

L V C I D V M
PHILOSOPHÆ
S Y N T A G M A
E D. THOMÆ AQVINATIS
Doctoris Angelici, Beaui Alberti Magni, &
rum quorumque Philosophorum
enī is ac dogmatibus concinna-
tum, variaq[ue] eruditione
locupletatum,


A R. A D M O D U M P. F.

NICOLA O ARNV,
ORDINIS PRÆDICATORVM,

Sacrae Theologiae Magistro, Studiorum olim Regente
Collegio S. Thomæ de Urbe Conventus S. Mariæ
super Minervam, & nunc in celeberrimo
Lyceo Patavino Metaphysicæ
Publico Professore.

T O M V S S E X T V S

Libros de Anima complectens.


PATAVII, M. DC. LXXXV.
Typis Petri Antonii Brigoncii.

Permissu, ac Privilegio.





NATURALIS
PHILOSOPHIAE
QVINTA PARS

De *Anima secundum se*, & illius passio-
nibus, sive affectionibus.

PRO O E M I U M .

Ipsa quidem Physicæ Consideratio-
tam longè latèque patet, ut nil
penitus eorum omnium, quæ sub
aspectum cadunt, vel Mundialis
machina complectitur, ejus per-
vestigationem effugiat. Specula-
tur enim, ut vidimus, Cœlo
contrarios cursus, Signorum con-
sentaneum lapsum, Orbium Cœ-
lestium motus, qui mobili semper
rotatione vertuntur, nec ullis conquiescunt temporibus;
Siderum dispositionem, affectionesque; ~~in~~itudinem
Ætheris, mensuram Telluris, nubigeras pluvias, gran-
dinis procellas, tonitruum sonora miracula, vagantium
ventorum situs naturasque, tremorem stabilium Terra-
rum, profunditatem inconstanti Maris, potestates vi-
rentium herbarum, quatuor Elementorum per omne
corpus dissociatas ~~componentes~~ exiones, quidquid denique in-
a Terra tuisque recessus ejis irrimos, atque

Contra Aris-
totelem. Inetur aris-
totelem. Ecclesiæ Doctor A-
scriptus. Nullum
qua vera, & ut dicatur
quam ut doceat quid sit
principio, quantusque in eo manet
unde Anima originem trahat, quia
tum distet à Deo, quid habeat primum,
in utramque naturam, quatenus moriatur, t̄ quomodo
immortalis probetur: & ut paucis verbis co-
quam notitiam Dei, atque ipsius Animæ. Pe-
Dei cognitio nos efficit beatos; Animæ autem
scientia, quâ nos ipsos nobismet reddimus, nos beatâ
vita præstat. Noveris te, noveris Deum. (inquit D.
Bernardus serm. 7. in Cantica) in altero initialis ad
sapientiam: in altero consummari. Quoniam, ut ait
D. Augustinus serm. 112. de temp. Cognitio Dei, nihil
melius est, quia nihil beatius est, et ipsa vera beatitu-
do est. Seipsum autem probe nosse via est. Unde Cræ-
so inter mortales sui temporis ditissimo Delphicum
Oraculum consulenti, quoniam itinere posset ad felici-
tatem pervenire, responsum fuit ad hunc modum: Si
te ipsum cognoveris, ut autor est Xenophon in Pædia
Cyri. Quapropter merito jure Aristoteles hanc Physio-
logiæ partem cæteris omnibus Naturalis Philosophiæ
partibus anteseferendam esse docet, sive nobilitatem sub-
jecti ipsius spectemus, sive maximas, qua ex Animæ
exacta notitia utilitates consequuntur, attendamus. Præ-
stantissima enim quædam res Anima est, nedum quâ
forma, quæ excellens quidpiam sit, & ut ait Aristoteles
lib. 1. Physic. dñs dyador, & vñ, sed potissimum
qua Anima est; quo pacto, ut ex Tragœdiis Philoso-
phia licet verbi illius divini quædam veluti scintilla
est, quæ corporeis in persa rebus eximium decorem,
præstantem speciem, & vim quandam mirificam im-
pertinet. Inde factum ut Veteres Mundi Aniram
quam vim divinam per Elementa, Plantas & Animalia
diffusam existimarent. Diversis Numinum iuorum voca-
bulis decorarint, in Athere Jovem, in Aere Junoem
in Aqua Neptunum & in ignis horum

am nominibus appellantes, quemadmodum
post alios non paucos adiutoravit Natalis mythol.
lib. 2. c. 8. Ipseque ideo lib. 6. cap. 22. illustrem illum
Deorum omnium ad Petrum, quād nuptias conven-
tum non aliud significasse, utrūq; quād sive morta-
les brutorum corpora, cūm imperent etiam in brutis
quodammodo corporibus, ex nobiliōri quodam loco
quam sint, Elementa, ipsas ducere par est. Sive
armonia quādam ex æquabilitate tempera-
mentorum, sive nobilius quiddam ignotum, omnino il-
las à Diis omnibus concedi corporibus dixerunt, & è
singulis cœlestibus virtutibus proprias quasdam vires as-
sumere. Quod si quid veritatis habet, potissimum id de
Anima humana dicendum atque existimandum est, cuius
interventu homo magnum quoddam est Naturæ mira-
culum, aeternitatis ac temporis Orizon, parvus Mundus,
atque mortalis Deus. Qui ideo ad imaginem ac similitudinem Dei conditus asseritur; quoniam autore
Gregorio Nysseno, à Deo in omnium bonorum societatem vocatus est. Nam si Dei natura perfecta quādam
copia est bonorum omnium, homo autem ejus imago,
hanc dubiè simulachrum hoc Dei princeps exemplum
ita refert, ut & ipsum bonis omnibus abundet. Et lib.
de opific. hom. cap. 4. Hominem, inquit, naturæ divi-
næ, cuius omnia pars imperio, imaginem esse, nihil
esse putandum est aliud quād regium ei decus in ipsa
creatione tributum esse. Quemadmodum enim qui more
humano Principum imagines faciunt, nativa formæ in-
dicia effingunt, atque etiam purpuræ amictu regiam
exprimunt dignitatem, eaque deinde suis imaginis numeris
absoluta ex consuetudine Rex apellatur. Ita &
hominis natura sic condita, ut reliquorum creatorum do-
mina esset propter eam, quæ Regen hujus Universita-
tis refert, similitudinem, imago quasi viva eretta est,
cum qua & dignitas & nomen archetypi communica-
tur. Insuper ræstat haec scientia Naturalis pars cæ-
portionibus ob certitudinem demon-

strans: Utrumque Philosophus his complectit. Ceteris
Cūm oīerāt p̄cipiam rem. Se bonam arbitremur ac
honorabilem, & diū magis x eo esse putemus, quia
vel exactior est, vel r̄arū. earum, quae magis præ-
stibiles, magisque sunt admirabiles sciētiā Anima,
nimirum ob hac utraque non. utrū. sc̄e. mis esse censemus. Q. d. interpretie. Jam in pri-
Dicitur una scientia nobilio altera, aut qui. s̄a h̄c)
rum & honorabiliorum, aut quia est magis et melio-
autem scientia de Anima utrumque habet; q̄ u. Hac
ta est, nam hoc quilibet in seipso experitur, Ani-
mā prædictus sit, quā vita fructū: & quoniā nobilior
est; Anima enim inter cæteras inferiores cœaturas no-
bilitate præstat. Jam vero quantē utilitatis sit dōcet idem
Philosophus subjungens: Videlur autem & ad veri-
tatem omnem ipsius Animæ cognitio vehementer con-
ferre: & maxime ad ipsius naturæ scientiam: est enim
Animæ quasi principium omnium animalium. Ad om-
nem, inquam, veritatem Animæ cognitio utilis est; quo-
niā si Philosophiam primam spectemus, per eam in-
divinarum atque altissimarum causarum notitiam mini-
mè devenire possumus, si naturam Animæ Intellectu
prædictæ ejusque potentias ignoraverimus, ut docet Com-
mentator i. Meraphys. Huc spectasse arbitror celebre
illud Thaletis, vel alterius cuiusvis Sapientis dictum fo-
ribus Templi Delphici ab Amphictyibus inscriptum,
videlicet, γνῶθι σεαυτὸν, Nosce te ipsum, hoc est, Ani-
mi tui naturam, atque dignitatem perfectam habe, ut
exponunt M. Tullius lib. i. Tuscul. & Plotinus lib. 3.
Enead. 4. c. i. post divinum Platonem in Alcibiade,
quoniā exquisita Animæ scientia veluti janua est, per
quam in Divi Numinis agnitionem, supernorumque
notitiam ingredimur: Cuemadmodum egregiè eloquitur
D. Augustinus, vel quilibet alius autor libri de interiori
dōmo c. i. dicens: Fristra oculum cordis erigit ad vi-
dendum Deum, qui nōndum idoneus est ad videndum
seipsum. Prius enim necesse est ut cognoscas invisibilia
spiritus tui, quam possis esse. Et ad cognoscendum
invisibilia Dei. Et si non potes cognoscere non pro-
fici mas apprehendere quæ sunt invisa te.

principia & speculum ad uelendum Deum est *Ar*^{is} - in-
ue*is* seipsum. Quod non ignoravit Plotinus signis
Philosophus, tiquidem ac: Nulla p*ro*fectio res est de-
ma diligentiusque diutius *re* tractareque quam
de Anima deanimis: cur, *oo* illa multa, tum etiam
quia ad ut *que* Anima uada conductit, scil. tam ad ea
quarum *is* principium, quam ad illa ex quibus ef-
ficitur. Si ergo parens inus Deo prae*cipienti*: Cognosce
seipsum. Est insuper haec doctrina magno illis usui &
qui in Moralibus versantur doctrinis, ut con-
stat ex . Ethic. c. 13. ubi dicitur: Quae cum ita sint,
patet ipsu*z* Civilem aliquam ex parte de Anima scire
oportere: quemadmodum et eum, qui curaturus est oculos,
totum etiam corpus scire oportet; idque eò magis,
quò facultas Civilis honoratior, præstabiliorque est Me-
dicina. Et certè qua ratione poterit Moralis scientia co-
gnoscere quid felicitas, & in quo confinenda, nisi Ani-
mae naturam, illiusque operationes perspectas habuerit.
Quomodo discernet inter virtutes earumque subjecta, &
potestates, si Animæ vires ignoraverit, que per eas mo-
derari debent, atque in debito officio retineri? qua ra-
tione dignoscer Rationem ac portionem illam Animæ
superiorem corpori debere imperare, viribusque irasci-
bili, & concupiscibili, si facultates Animæ, atque earum
ordo illi fuerint ignota? Plurimum etiam Animæ scien-
tia ad cæteras Naturalis Philosophiae partes capessendæ^{as}
conducit, inquit Divus Thomas, quia magna pars
Naturalium est habens Animam, qua in rebus animatis
fons atque principium est operationum omnium, atque
motionium. Valet denique ad omnem Philosophiam.
Unde rogatus Dæmonax quidam, quando cœpisset phi-
losophari, argutè respondit: Posteaquam, ait, cœpi
flosse me ipsum. Sed profecto te solent a *qz* pre-
stantis naturæ sunt à sensibus nostri esse remota, & co-
gnitu difficultia, *Omni ex parte*, ut Philosophus, atque
omnino difficillimum est fidem aliquam de ipsa Anima
tandem accipere. Quod & antea pronunciarat sapien-
tissimus ille Thales Ionicæ Philosophiæ princeps, qui
quando regatus quid difficile esset, respondit: *seip-*
nus. Et p*ro*lires Philosophi rei capessendæ difficul-

rat - ingenuè confessi sunt Animæ naturæ. penitus
inconveniensibilem esse. Unde eruditus Tertullianus lib. de Anima cap. i. loquens & hac re ait
Quanta difficultas obstat tanta operositas suadendi: ut meritò Heracliti genebrosum vastiores caligines animadvertisens apud eum admiratores. Animæ tædio quæstionum pronunciarit, tamen minime aquam inveniens. omnem viam ingredens &c. Diogenes Laertius de eodem Heraclito scribit: Dicitur & id de Animæ sensisse natura, nunquam illam repertam. quantalibet quis vitæ conficiat spatia. Iderat Laurentius lib. de opific. Dei c. 17. & D. Bernai. Ex me ipso, inquit, cognosco, quod Deus incomprehensibilis est, quia meipsum non comprehendo. Et tandem, ut alios innumeros prætermittam, D. Isidorus lib. i. de sum. bono exclamat: O homo quid miraris Siderum altitudinem, & profunditatem Maris? Animi tui abyssum intra te mirare si potes.

Quapropter Philosophus maximo studio hoc de Anima opus elaborasse invenitur, hucque omnes ingenii sui nervos intendisse, ut testatur ad ejus proœmium Themistius dicens: Cùm pleraque omnia Aristotelis scripta ejusmodi habeantur, ut demirari præstantiam ejus facile suppetat, nulla profectò commentatio est, in qua ille perinde ingenii sui vim & sublimitatem ostenderit, at qui in ea, quæ rationem Animæ continet: sive enim multitudinem quæstionum sive copiam rerum pulcherrimarum, sive doctrinæ subtilitatem queras, ejusmodi sunt libri de Anima, ut uni illi omnia, quæ ad hoc genus pertinent, in numerato fuisse, constitisseque videantur. Cui morem gerentes omnem operam adhibebimus nostram, omneque studium elaborando huic operi conferemus: quia niam ad Theologiae sapientiam, plus quam cetera Philosophiae Naturalis cognitio absque dubio utilis ac necessaria esse comprobatur.



PER PRIMUS

DE ANIMA.

Totum hoc de *Animæ* opus in tres libros distributum in Aristotele, sive ab alio quopiam ordinavit. Etenim non desunt, qui proximamente illud ab Aristotele continua oratione inscriptum atque elaboratum fuisse, postea vero a Nichilo Rhodio, Hermippo, vel Adrausto in diversos eos esse digestum. Eorum primus in duas dividitur partes. In quarum prima Philosophus statim cap. 1. & à textu primo ad 19. inclusivè totius operis præmittit proœmium, in quo ingeniosè auditorem attenum, benevolum, ac docilem reddere studet, hujus doctrinæ præstantiam, summamque utilitatem, & tractandi difficultatem, dilucidumque procedendi ordinem proponens. Animos enim attentos iis rebus facile accommodamus, benevolosque præbemus, quæ & dignitatis & utilitatis plurimum in se habent: dociles autem perspicuus docendi ordo maxime ac potissimum efficit. In secunda vero parte, quæ quinque capita, & textus septuaginta sex complectitur, varias Antiquorum de *Animæ* essentia opiniones refert, atque refellit. De quibus in sequentibus copiosus nobis erit sermo.

QUÆSTIO PRIMA

P R A E L U D I A L I S

De subjecto.

Morem gerentes ipsi Aristoteli, qui in primo capite proœmium præmittit, hujus scientiæ præstantiam, utilitatemque, necnon tractandi difficultatem eius, hanc præludiadem quæstionem imprimis tradam utarvimus, in qua de his erit sermo.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS

Utrum ^{A. i. in} ^{subjectum} ^{formale}
^{hō. m. i. b. r. o. r. u. m.} ^{ibrorum.}

C A P U T P

Quid Animi vox significet

Quamvis origo sive etymologia nomine non si omnia à natura , tamen in iis multis nominibus quæ sapientes habent auctorites , juxta naturam est , & rei quam designat propriam non raro amplectitir potestatem . Quod ex infinitis prope etymologiis liquet , præsertim apud Hebreos . Ut cæteras omittamus , id manifestè apparet in hac voce *Anima* , quæ ab animando , hoc est , à tribuendo vitam Latine dicta primum designat vitæ principium , seu id quo animata vivunt , atque ab inanimatis secernuntur . Appellatam *Animam* dicunt , ait Cassiodorus lib. de Anima , eo quod animet substantiam corporis sui , atque vivificet . Immò , ut notavit Eugubinus in Cosmopœia , in præcipuis quibusque idiomatibus , sive linguis eandem reperiatur habere etymologiam , utpote Hebreæ , Chaldeæ , Græcæ , atque Latina . Hebraice enim *Nephes* dicitur à voce *Naphash* , spiravit , insufflavit , significatque halitum sive spiritum secundum rem quæ halitum habet , ut patet Job c. 41 . & adverbit doctissimus Oleaster in Genes. cap. 1 . Quod nimis Anima sit veluti flatus Dei . Unde & in Sacris Literis Genes. c. 2 . *Spiraculum* vitæ appellatur . Quæ verba exponens egregius Doctor Augustinius lib. 7 . de Genesi ad lit. c. 3 . ait : *Nihil est cur Animam ipsam Dei flatum dicere dubitemus , dum intelligatur non esse Dei natura atque substantia ; sed hoc ipsum esse sufflare , quod flatum facere , hoc est , Animam facere . Cui sententiæ congruit quod per Esaiam dicit Deus : Spiritus enim à me procedet , & flatum omnem ego feci ; Quid est flatum omnem ego feci , nisi omnem Animalia Chaldaice quoque ut Hebraice *Naphsah* vocantur .*

Artic I. Cap. I.

videlicet vita principium sit, quæ in halitu consuētudine
explicant citati autores Oleaster, & Eugubinus.

2. Apud Græcos etiam hec vox *Anima*, eadem ha-
bet suæ significationis origine. Ab illis enim ἡψη, *psychi*,
nominatur *ψυχη*, *psuchē*, quod est, res-
piro. Hinc. Plutarchus lib. 1. de Stoic. pugnis ait:
Chrysipp. *ψυχην* sicut in ute- plantæ ritu vege-
tari. *Ubi* *in editus est*, frigescentem ex acre, indu-
rescentemque mutare spiritum, & animal fieri. Quare
non *animam* Græcè dictam *ψυχην*, *psychin*,
ψυχην, idest, refrigeratione. Eadem de causa
a Latinis *Anima* dicta putatur, quasi *ārepos*, *anemos*,
hoc est, *venus*, sicuti obseruatum reliquit Lactanius
lib. de opific. cap. 17. dicens: *Anima vel Animus non*
accepit, quod Græcè ventus ārepos dicitur.

3. Latini sermonis autores, immo & plures ex antiquis
Philosophis inter Animam & Animum distinctione repe-
riuntur; quod *Anima* sit vitæ atque sensus principium;
Animus autem rationis & consilii. Namque in nobis
Anima est qua vivimus, sentimus, & loco movemur;
ita ut vim vegetandi sentiendique contineat, quæ omnia
sunt nobis cum cæteris animantibus communia. *Animus* verò est quo homines sumus, sapimus, & intelligi-
mus; qui que à Græcis *īs*, hoc est, *Mens*, appellatur:
divinior scilicet *Animæ* portio, secundum quam, autore
Augustino lib. 12. de Trinit., subhæremus intelligibili
aque incommutabili veritati, cœlestibusque contemplan-
dis; ac de hisce corporalibus rebus secundum rationes
incorporeas atque sempiternas sublimiori quadam mo-
do judicamus, in harum confinio constituti. Unde Ovi-
dius lib. 15. Metamorph.

Mente Deos adiit.

4. Quam quidem distinctionem inter *Aninam* atque
Animum sive *Mentem* tradit in primis Lactanius lib. 7.
Divin. Institut. dicens: *Non identem est Mens & Anima.*
Aliud enim est quo vivimus: aliud quo cogitamus.
Macrobius etiam lib. 1. in Som. cap. 14. *Animus*, in-
quit, propriæ *Mens* est, quam divinorem *Anima esse*
nihil dubitavit. Unde & Cicero lib. de senect. Homi-
ne *Natura*, sive *Deus nihil Mente præstantius de-*
dit.

At indiscriminatum posse utrumque vocabulum in nomine pro principio vita, etiam intellectualis, usurpari content ex eodem Cicerone lib. I. Tuscul. qui etiam Menti regnum Animam. Idem docuere Horatius lib. I. Carmin. Ode. serm. sa. yra 3. atque Lucretius lib. 3. ubi cecinit :

Animum atque Animum, & anima teneri

Inter se, atque unam naturam confidere se.

Hoc est, Animam & Animum reipsa ab invicem non differre, sed unum esse ac sola ratione distingui scil. Animus, ut diximus, propriè sit Mens, ^{Anum}, Ratio domicilium habens in capite; Anima vero per totum corpus disseminata existat: ista sit nobis cum aliis communis in eo quod est vivere & sentire; ille vero nobis proprius, & quo cætera animantia longè latèque exuperamus, secundum ipsum ad imaginem atque similitudinem Dei efformati. Unde ex eo Mentem Animum dicunt viri eruditi arbitrantur, quod scil. per eam inter animalia emineamus plurimum; sive etiam quod ipsa inter cætera multum emineat rationibus inhærens semperiternis.

Casiodorus lib. de Auima aliud inter Animam & Animum discrimen constituit, advertitque hanc vocem de sola Anima rationis compote atque immortali cum proprietate effterri: *Anima hominis*, ait, *propriè dicitur, non etiam pecudum; quia illorum vita in sanguine tantum noscitur constituta. Hæc verò quoniam immortalis est, Anima rectè appellatur quasi àvaux, id est, à sanguine longè discreta: quoniam & post mortem corporis perfectam ejus constat esse substantiam. Alii verò appellatam Animam dicunt, eò quod animet substantiam corporis sui, atque vivificet. Animus vero dicitur ~~hæc~~ & àvaux, id est, à uento, quod velocissima cogitatio ejus ad similitudinem venti motu celeri pervagatur. Fit autem ex appetitu Animæ pro desiderii ejus qualitate commotus.*



A P U T . S E C U N D U M

Statuitur Animam secundum, sc. & quasi abstractive designiam esse suum formale horum Librorum.

De hac autem *Anima*, quæ est primum & radicale principium vitæ in viventibus impræsentia inquisitus, utrum sit subjectum formale quod hominibus, Adr. n. qui ab ea appellati & inscripti sunt. De qua triplex auctorum præcipua versatur sententia. Prima asserterat non ipsum *Animam* abstractivè designat sed ipsum corpus animatum in communi & simplicer acceptum esse pro subjecto formalis horum librorum habendum. Ita ex Recentioribus Hurtadus, Arriaga, Oviedo, & alii non pauci. Secunda assertit, non ipsum corpus animatum, sed *Animam* esse subjectum formale adæquatum in hisce de *Anima* libris. Ita communiter Græci Aristotelis Enarratores, & ex Latinis D. Albertus Magnus lib. 2. de *Anima*, & communiter Thomistæ, aliquique plures. Tandem aliqui Recentiores utramque sententiam conciliare volentes affirmant, libros de *Anima* bifariam spectari posse; nimirum separatim atque per se, vel una cum iis, qui Parvorum Naturalium libri inscribuntur; quique sunt eorum veluti accessio quedam. Et quidem, si priori modo spectentur, eorum subjectum formale adæquatum esse *Animam*: quoniam isti occupantur in pervestiganda per se *Anima* natura, propriisque illius passionibus, ac viventium affectionibus, quas non considerant nisi secundum originis suæ rationem, & quartenus ab *Anima*, seu fonte diminant, ad illiusque perfectam consequendam notiam deserviunt. Si autem posteriori modo spectentur, subjectum aiunt esse ipsum corpus animatum. Nam in libris Parvorum Naturalium jam ipsius *Anima* investigantur passiones, proprietatesque prout egrediuntur ab ipso corpore animato, vel ab ipsa *Anima*, ut est forma, & perfectio ipsius corporis animati. Ita PP. Conimbricenses, M. à S. Thoma, & doctissimi Patres Coraplutenses asseren-

entes Animam esse subjectum formale quo; corpus autem animatum esse subjectum formale quod. Quibus accedit Mastrius docens ipsi in corpus animatum esse subjectum propriè dictum; ample autem sumptum est ipsam Animam in communione & ut est principium vitæ in omnibus viventibus.

7 Notandum ex D. Thoma r. 1. lec. 41. subjectum alicuius scientiæ duo partum gen. a nōoere posse: nimirum partes primas, sive partes, ex quibus componitur tanquam ex primis; & partes subjectivæ. Partes primæ sunt principia ejusdem: sicuti partes primæ Entis mobilis, quod est subjectum Philosophiæ Naturalis, sunt materia & forma, quæ sunt principia illius quoad esse. Partes subjectivæ sunt diversæ Entium species sub ipso genere subjecti contentæ; sicuti diversæ species mobilium sunt partes subjectivæ ipsius Entis mobilis secundum se, & universaliter sumpti, nimirum mobile ad ubi seu localiter, mobile ad formam secundum communes transmutationes, & secundum speciales illius transmutationes; mobile inanimatum, & mobile animatum. De his enim omnibus, ceu partibus subjectivis vel speciebus suò se contentis, prædicatur ipsum genus Entis mobilis, seu Ens mobile Physicum universaliter sumptum. Similiter diversæ species coloris, qui est objectum visus, nimirum album, nigrum, viride, &c. sunt partes illius subjectivæ.

8 Notandum secundò ex eodem S. D. ibid. & lib. 1. Meteor. lec. 1. quod cum perfecta cognitio totius ex cognitione suarum partium dependeat, ad perfectam cognitionem subjecti totalis & adæquati exigitur impressis & potissimum perfecta primarum partium seu principiorum illius notitia. Unde in qualibet scientia (inquit S. D. ibid.) de principiis subjecti est prima consideratio; sicut in Scientia Naturali de materia & forma, & in Grammatica de literis. Requiritur etiam partium subjectivarum notitia, cum eandem subjecti formalem rationem participant; quoniam cognitio, quæ de re in universalis duntaxat habetur, imperfecta est, quoad usque ad illius species descendatur; sicuti cognoscere hominem quatenus animal imperfecta notitia est;

per-

perfecta verò si ejus quidditativa ratio plenè percipiatur. Cum itaque unius alicujus scientiæ partes, ut dicam, integrales desumantur penes diversas ejusdem subjecti partes, vel partia es considerationes, utroque modo aliqua pars scientiæ specialis designari potest; vel quia tractat de aliqua parte subjectiva & specie subjecti, vel de aliqua parte ratione.

9 Prima etatio: si loquamur de partibus subjectis ipsius subjecti adæquati Philosophiæ Naturalis secundum se & universaliter sumpti, libri de Anima, libri Parvorum Naturalium, & ii qui de Plantis & Animalibus tractant ad eandem partem subjectivam spectant, & eorum subjectum est mobile animatum. Ita expressè Div. Thomas lib. i. Phys. lect. i. ubi ait: *Hic est liber Physicorum, qui etiam dicitur de Physico sive Naturali auditu, quia per modum doctrinæ ad audientes traditus fuit. Cujus subjectum est Ens mobile simpliciter :: Sequentur autem ad hunc librum alii libri scientiæ Naturalis, in quibus tractatur de speciebus mobilium; puta in libro de Cœlo de mobili secundum motum localem, qui est prima species motus. In libro autem de generatione de motu (forsitan legendum mobili) ad formam, primis mobilibus, scil. Elementis, quantum ad transmutationes eorum in communi: quantum ad speciales eorum transmutationes, in libro Meteororum. De mobilibus vero mistis inanimatis in libro de Mineralibus: de animatis vero mobilibus in libris de anima & consequentibus ad ipsum.*

10 Probatur ex eodem S. Doct. lib. i. de generat. in prol. si ut tradit Philosophus in 3. de anim. tex. com. 38. scientiæ fecantur quemadmodum & res: sed res, quam per se Naturalis Scientia considerat, est ens mobile aut naturale, sive corpus mobile: ergo oportet quod secundum diversas mobilium species distinguantur atque ordinentur ipsius Scientiæ Naturalis partes: & subinde quod diversæ mobilium species sint diversa subjecta partialia earundem: ergo cum in libris de Cœlo & consequentibus ipsum de omnibus aliis mobilium speciebus, præterquam de mobili animato, tanquam de quibusdam subjectis partialibus sermo habitus sit, superest ut in libris de Ani-

qua & consequentibus serm^o nat de mobili animato tao
qu^m de partiali subiecto ioforum.

11 Confirm. 1. Subiectuⁿ partiale proit à parte
subiectiva partiale dicitur atque denominatur, propri-
loquendo debet esse species aliqua sub totali & adeq^{uato}
subiecto contenta: sed mobile animatum est quædam
species mobilis simpliciter dicti, in Apima ab-
stractivè designata, sed solummodo e. principium for-
male effectivum ipsius mobilis animati: ergo mobile.
animatum est subiectum formale hujus partis Philosophiæ,
quippe quæ aliquam speciem mobilis respicere
pro subiecto debet, non minus quam alia ejusdem par-
tes, ut ex D. Thoma dictum est.

12 Confirm. 2. Esto libri Physicorum de materia pri-
ma ac forma substantiali tanquam de principiis essendi
ipsius entis mobilis simpliciter dicti agant, tamen subje-
ctum partiale formale illorum constituitur ens mobile
simpliciter & universaliter dictum, non autem materia
& forma: ergo quamvis Anima sit principium formale
effectivum ipsius mobilis animati & operationum ipsius.
tamen hujus specialis partis Philosophiæ Naturalis non
debet constitui Anima, sed ipsum mobile animatum.
Unde Philosophus lib. 4. Meteor. c. 12. in fine, propo-
nens ea de quibus in sequenti Philosophiæ Naturalis
parte dicturus erat, quædam mobilia naturalia, seu mo-
bilis naturalis species recenset, videlicet hominem &
plantam, dicens: *Quibus elucidatis, modo de dissimila-
ribus, & denique hisce, quæ ex eis constant, ut homine
& planta, & ceteris id genus contemplandum est.*

13 Secunda concluio: in his de Anima libris, qui
simul cum subsequentibus Naturalis Philosophiæ partem
componunt, agitur per se de Anima secundum se & ve-
luti abstractivè considerata tanquam de communi qua-
dam ratione & principio seu parte prima subiecti scien-
tiæ de mobilibus animaliis. Unde potest dici subiectum
horum librorum principale attributionis, & tanquam id
de quo principaliter est intentio. Sumitur ex Aristotele
lib. 1. de Cœlo cap. 1. ubi ait: *Scientia Naturalis ferè
plurima circa corpora, magnitudines, atque horum effe-
ctus, motusve, & insuper circa principia, quæ sunt*

substantia talis, versari videtur. Et ad hoc probandum iubdit: *Lorum enim, quæ natura sunt, altera sunt corpora, magnitudinesve, &ia corpora ac magnitudines habent, alia principia habentium sunt: sed per corpora & magnitudines intelliguntur corpora simplicia, & mista in animata, & per habentia corpus ipsa mobilia*. sic significantur, quæ non sunt corpora sed habentia corpūs & Animam: ergo per principia habentium corpus debet intelligi Anima, & generaliter materia & forma, ut docet D. Thomas ibid. sed de corporibus est consideratio in libris de Cœlo, de Generazione, de Meteoris ac Mineralibus, de habentibus corpora est scientia in libris de Animalibus & Plantis: ergo debet esse specialis etiam tractatus de principio habentium corpora, nimirum Anima secundum se & quasi abstractive designata, de qua sic mentio nonnisi in libris de Anima fit, ut patet.

14 Et iterum lib. de Sensu & sensato c. 1. ait: *Quoniam de Anima per se (vel secundum se ut habet Antiqua translatio) necnon de potestatibus, quæ per partes illi insunt, per trahitatum est prius, proximum est de animalibus perscrutari. Quæ verba exponens Divus Thomas inquit: Circa corpora viventia Philosophus unili modo processit distinguens hanc considerationem tres partes. Nam primo quidem consideravit de Anima secundum se, quasi in quadam abstractione. Secundò considerationem facit de his quæ sunt Anima secundum quandam concretionem sive applicationem ad corpus, sed in generali. Tertio considerationem facit applicando omnia hæc ad singulas species animalium & plantarum, determinando quid sit proprium unicuique speciei. Prima igitur consideratio continetur in libro de Anima. Tertia vero consideratio in libris, quos scribit de animalibus & plantis. Media vero consideratio continetur in libris, quos scribit de quibusdam quæ pertinent communiter, vel ad omnia animalia, vel ad plura genera eorum, vel etiam ad omnia viventia.*

15 In quibus verbis S. Doct. equidem fatetur hanc Naturalis Philosophiæ partem circa corpora viventia sive mobilia animata veluti circa proprium subjectum

habere negotium ruramen quia in qualibet scientia vel scientiae parte prima consideratio est circa primas partes & rationes magis universales, acinde circa naturae universalia, etiam circa corpora viventia hos obiter, secundum venit, ut de Anima secundum se prius agatur, quia est omnium animatorum communis principium, & sic omnibus universaliter conveniens, & secundum quam magis viventia sunt id quod sunt, quam secundum corpus, ut docet idem S. Doct. lib. 1. de Coelo lect. 2.

16 Tandem Philosophus hic c. 1. ostendit de quo tractationem suscipere intendat, & quam sit utilis perfectio de Anima cognitione atque scientia, ita scribit: *Videatur autem & ad veritatem omnem ipsius Animæ cognitione vehementer conferre, & maximè ad ipsius Naturæ scientiam, est enim Anima quasi principium omnium animalium.* Q. d. oportet sedulò principiorum exactam cognitionem præaccipere: sed Anima est fons & principium omnium viventium, seu vitæ, motus, & cujuslibet operationis ipsorum: ergo utile est ipsius Animæ cognitionem præaccipere, priusquam de ipsis viventibus sive animalibus sermo instituatur: sed Anima quatenus est principium omnium animalium est Anima secundum se considerata, non vero corpus animalum: igitur Philosophus intendit de Anima secundum se, tanquam de subjecto horum librorum agere. Et iterum textu 3. *Quærimus, ait, perspicere, cognoscereque naturam & essentiam ipsius Animæ.* Animæ autem natura atque essentia ei secundum se considerate competit.

17 Ex quibus prob. concl. illud cuius cognitione principaliter in scientia intenditur, & de quo propria passiones demonstrantur, est subjectum formale intentionis ipsius: sed cognitione Animæ ex Philosopho in his de Anima libris principaliter & per se intenditur, & de ea secundum se considerata traduntur definitiones, propriaeque passiones demonstrantur, illi secundum se convenientes, vel corpori dependenter ab ipsa: ergo Anima secundum se & quasi abstractivè considerata est subjectum formale intentionis horum librorum, & non solum ut pars ipsius corporis animati, aut ratione illius;

que-

quoniam in eo casu corpus animatum per se debet erit definiri, de illoque proprietates demonstrari, & non de Anima secundum se & abstractivè considerata. Cuius contrarium præstigit Philosophus: quoniam toto libro primo falsas veterum Philosophorum opiniones de Anima ipsa, ejusque natura recenset ac refellit: in secundo definit eam secundum se & abstractivè consideratam ejus naturam & essentiam explicat, idque suam esse institutum aperie ostendit ibi cap. I. tex. I. dicens: *Dicitur in scis, quæ à Majoribus de Anima nobis tradita sunt, redeamus rursus oportet atque enitamur velut ab initio determinare quid Anima sit, & quænam sit eis communis maximè ratio.* Deinde explicat virtutes ac passiones Animæ per ipsam corpori convenientes.

I 3 Quod autem sit subjectum veluti principale & attributionis hujuscce partis Philosophiæ prob. corpus animatum non est mobile modo viventium nisi ratione Animæ, quæ est primum & radicale principium vitæ & motus cuiuslibet vitalis in ipsa: ergo habet mobilitatem hujusmodi per attributionem ad Animam seu principium, & iubinde sub hac ratione erit quodammodo subjectum formale attributionis, sicuti & in Metaphysica Deus habet rationem subjecti attributionis, quatenus consideratur ut principium ipsius entis, sicut ibi dicetur.

ARTICVLVS SECUNDVS

*Solvuntur argumenta, & discutitur utrum
Anima Rationalis consideratio ad hanc
scientiam attineat.*

.19 A Rg. I. Subjectum formale alicujus scientiæ propriè loquendo debet esse species aliqua sub totali & adæquato subjecto ipsius contenta, & non solum principium subjecti: sed Anima non est species corporis mobilis, quod est subjectum formale adæquatum ipsius Philosophiæ Naturalis, sed est principium corporis viventis seu animati: ergo nullo modo est subjectum formale horum librorum. Major prob. in qua-

liber scientia i.e. & se distinguere debent principium, substantium & propria passio, quæ per principia subjecti ipso demonstratur, ut sumitur ex Arist. lib. I. Posterior. c. 25. ergo subjectum partiale alicujus scientiæ propinquando debet esse species aliqua sub adæquato formalis subjecto contenta, & non sufficit quod sit principium subjecti.

20 Neque valet dicere, non esse necessarium ut subjectum partiale sub adæquato contineatur, ut species in genere; sed sufficere ut contineatur tanquam principium subjecti totalis & adæquati, vel partialis, & quod de ipso subjectum in obliquo prædicetur: quo pacto corpus mobile animatum de Anima effertur.

21 Non, inquam, valet: quia hac etiam ratione propria passio posset pro subjecto partiali constitui, quoniam de illa subjectum totale in obliquo prædicatur: sed hoc non est admittendum, quoniam propria passio cum subjecto confunderetur: ergo non sufficit quod Anima sub adæquato Physicæ subjecto ut principium contineatur, & quod de ipsa in obliquo subjectum illud prædicitur, sed deberet sub eo ut species, vel pars subjectiva contineri, si subjectum formale horum librorum esset.

22 Rep. ad arg. neg. maj. Nam Deus est subjectum principale attributionis ipsius Metaphysicæ; attamen ex D. Thoma opuse. 70. q. 6. ar. 3. Deus non est pars subjectiva vel species sub adæquato Metaphysicæ subjecto comprehensa, sed principium & causa illius. Ad prob. dist. antec. si sit sermo de principiis complexis & doctrinæ, conc. antec. si fiat sermo de principiis & causis essendi, nego antec. Hæc enim per se ad subjectum adæquatum pertinent, cum ex cognitione eorum subjecti cognitio omnino dependeat. Quapropter sicuti partes subjectivæ ut contentæ sub subjecto totali per se ad scientiam pertinent, ita & principia subjecti, ex quibus sicuti ex primis componuntur; ut docet D. Thom. I. Posterior. lect. 2. & 41. Nec requiritur quod subjectum totale de illis in recto prædicetur, sed sufficit ut in obliquo dicatur. Neque est simile de propria passione; quoniam cognitio subjecti ab hac sicuti ex primis non dependet, sed tanquam ex his quæ de ipso per prima proban-

bantur. Unde propria passio de se non habet de subiecto notitiam facere, sed dependenter à definitione ex incipiis subjecti constante. Et eò præsertim Anima hoc modo subjectum esse potest, quoniam propriam habet definitionem, propriæque passiones de ipsa per ejusmodi definitionem sunt demonstrabiles.

23 Arg. si Anima secundum se & abstractivè considerata esset subjectum formale horum librorum, in eis de omni Anima, etiam Rationali, consideraretur, cum sit species quædam sub Anima in communi contenta: sed Anima Rationalis non est per se considerationis Physicæ: ergo neque Anima secundum se est subjectum formale in hisce libris. Min. prob. ex Arist. lib. 1. de part. animal. c. 1. ubi ex professo negat Animam Rationalem ad Physicæ considerationem pertinere.

24 Pro solutione nota quod triplex de hac re versatur Doctorum sententia. Prima absolute negat illius considerationem esse negotium Physicæ. In assignanda autem scientia, ad quam propriè pertinere dicenda sit, non consentiunt illius Autores. Quidam asseverant Animæ Rationalis speculationem omnino ad Metaphysicam attinere. Alii autem ut Philoponus lib. 1. de Generat. Simplicius & Themistius initio lib. Phys. quibuscum sentire videtur Boëtius in prologo ad Ilagog. Porphyrii, existimant ad Mathematicas spectare disciplinas, per has medium quandam scientiam inter Naturalem & Divinam intelligentes. Cum enim Anima inter res Physicas ac divinas quodammodo mediet veluti quidam Mundi Intelligibilis atque Corporei Nexus, & Horizon, consentaneum videtur ut illius etiam consideratio ad medium quandam scientiam revocetur. Dividuntur enim scientiæ quemadmodum & res, ut dicitur infra lib. 3. c. 8. textu 38.

25 Alia sententia huic è diametro opposita arbitratur Animæ Rationalis considerationem omnino ad Physicam delegandam esse. Ita Gandavensis, Morissius, Hurtadus & alii apud Mastrium heic quæst. procœm. n. 7. Rro eadem sententia adducuntur à PP. Conimbricensibus heic quæst. procœm. artic. 1. Alexander ad init. Meteor. & Averroes 2. Phys. tex. 26. & 1. de Part. animal.

cap. i. Aliisque eandem esse aliorum compiurium opinionem.

26 Tertia sententia docet, bifariam posse considerare Animam Rationalem: primo quidem prout est forma per se subsistens, & à corpore separata existit, habetque operationes omnino à corpore & materia independentes, & hoc pacto ad Metaphysicum quidem pertinere. Secundo ut est Entelechia & actus primus ipsius corporis naturalis ac phycici organici humani potentia vitam habentis, & sic ad speculationem Physiologiæ per se attinere, præsertim quatenus est principium operatum quæ à corpore dependent. Ita D. Thomas lib. 6. Metaphys. lect. i. & alibi sèpè. Estque communior inter Philosophos. Immo nonnulli addunt etiam ut separatam nonnisi secundum ea, quæ statui separationi propria sunt, ad Metaphysici considerationem spectare, quoad reliqua Physico illius investigationem competere.

27 Dicendum est itaque considerationem Animæ Rationalis prout habet esse in corpore, fortiturque operationes ab ea dependentes ad Physiogiam pertinere, non autem prout est forma per se subsistens & à corpore separata; etiam si consideretur secundum suam naturam vel essentiam, vel alio quovis modo. Prima pars prob. ad eam scientiam, ad quam spectat per se aliquid contemplari, attinet etiam principia & causas illius per se considerare, cum notitia rei nonnisi per suas causas & principia habeatur: sed ad Physicum per se attinet de homine considerare, cum sit quoddam ens naturale & physicum, mobile motu physico: ergo ad eundem pertinet de causis & principiis illius agere: sed Anima Rationalis est vera forma & causa hominis, nam partes compositorum sunt principia & causæ illorum, ut patet, ac docet D. Thomas lib. i. Periherm. lect. i. ergo ad Physicam per se spectat de Anima Rationali considerare.

28 Secunda pars etiam prob. Physica est simpliciter de his, quæ habent esse in materia, & suapte natura secundum esse ab ea non sunt separata: sed Anima Rationalis ut est forma per se subsistens secundum esse est à corpore, seu materia separabilis, immo & ab ea separata

Rata est illa: ergo secundum hanc rationem ad Physicum minimè spectat. Maj. prob. ex Aristotele lib. I. de part. animal. c. I. dicente: *Rem à materia abstractam nullam potest scientia Naturalis contemplari.*

29 Unde ad arg. concessa maj. dist. min. Anima Rationalis ut est entelechia & forma corporis habens esse in illo, & operationes ab eo dependentes, non est considerationis Physicæ, nego min. ut est forma per se subsistens, & à corpore separata existens, conc. min. & nego conseq. Ad autoritatem Aristotelis quidam cum Alessandro Aphrodiseo respondent eo in loco Aristotelii non esse duntaxat sermonem de Anima viventium, sed de Anima secundum se sumptā prout Animam Mundi & Intelligentias seu formas per se subsistentes & naturas immateriales atque incorporeas complectitur. Alii docent Philosopho sermonem esse de Anima separata, & secundum ea, quæ illi in statu separationis propria sunt.

30 Ego exstimo dicendum loqui Philosophum tum de Anima Rationali, nedum secundum statum separationis, sed etiam prout in corpore operationes quasdam haber omnino à corpore & corporeis phantasmatisbus independentes. Tum de omni Anima separata. Quod mihi videtur ex textu ipso colligi. Etenim imprimis Philosophus ibi constituit, *Hominis naturæ studiosi sane interesse de Anima differere & scire; et si non de omni Anima, tamen de illa, quæ tale animal est.* Quoniam scil. Anima est forma sive substantia animati, móvens, & finis ipsius. Quapropter multò magis de Anima quam de materia agere, inquit, ad Physicum spectat. Ubi sub Anima non dubium certe, quin ipsa Anima Rationalis comprehendatur, prout vera forma corporis animati, móvens, & finis illius est. Deinde movet quæstionem an de omni Anima considerare competit Physico, & respondet negative. Primò quia nulla alia scientia præter Physicam esset, quippe quæ de omni intelligibili ageret, videlicet tam de eo, quod est separatum secundum esse, quam de illo quod non est intelligibile sine materia intelligibili aut sensibili, siquidem omnia ista sunt objectum Intellectus secundum se sumpti. Unde sicut Philosophus agens de sensu de omni

etiam sensibili agit, quod cum sensu conjunctionem habet; pariter si Physicus ageret de Intellectu secundum se considerato, de omni intelligibili agere deberet. Quod sanè intelligi debet de Intellectu secundum quod Intellectus est habens capacitatem quandam infinitam & ad omnia intelligibilia se extendentem. Unde subjungit quod de omni parte Animæ tractare ad Physicum non spectat, quia non omnis Animæ pars est natura & principium motus, quod de Anima secundum partem intellectivam intelligendum venit, ut diximus libro 2. Phys. Secundò probat, quia de separatis à materia non pertinet ad Physicum agere. Per separata autem à materia apud Philosophum debere Intelligentias, sive substantias illas immateriales intelligi nulli in doctrina illius versato dubium esse potest.

31 Ad illud quod insinuatum est, nimirum Animam secundum naturam suam esse actum & partem corporis & in statu separationis dicere inclinationem & habitudinem ad illud, dico totum hoc ad Metaphysicæ negotium attinere, quæ considerat quidditates rerum, itemque actum & potentiam, totum & partem.



QUÆSTIO II.

DE ANIMÆ NATURA

Et Quidditate secundum Veterum Philosophorum opinionem.

P Rætermis sa quæstione de ipsius Animæ in rerum natura existentia ad investigandam illius naturam, quidditatem accedimus. Quemadmodum enim ait Alexander heic lib, 2. c. 1. Animam esse Sole ipso est evidentius. Sed quoniam, autore Lactantio Firmiano lib. 1. divin. Institut. c. 23. Primus sapientiae gradus est falsa intelligere, secundus vera cognoscere, prius falsos & repugnantes veterum Philosophorum de Animæ sententias recensebimus ac refellamus, deinde in quæstione sequenti ipsius Animæ naturam & essentiam cum Philosopho explicatam trademus.

ARTICVLVS PRIMVS

Veterum Philosophorum, qui Animam corpus aliquod esse asseruerunt, opiniones recensentur, & confutantur.

CAPUT PRIMUM.

Referuntur illorum sententias, qui Animam aliquod corpus simplex esse asseverarunt.

A Pud omnes quidem Philosophos in concessu semper fuit, Animam esse, excepto nescio quo obsoleto, ne dicam, inanimi Philosopho, qui, certe Cicero lib. 5. Tusculan. qq. insipienter pronunciavit nihil omnino esse Animam; sed nomen esse totum inane; frustra animalia, aninantesque appellari, neque in homine esse Animam neque in bestia. Quod facis, superque communi ipsius vocabuli notione confusa-

futatur. &c. pofcitur: quo ſemper voluere omnes intelligi priuatum vitæ principium in iphis viventibus. Namque res viventes animatas eſſe dicimus, res autem vitæ expertes inanitas, ut notavit D. Thomas i. p. q. 75. a. i. c. Animæ tamen natura ita recondita & abſtrusa eſt, ut cum ipſa indagatione ſubili naturalia omnia perveſtiger: ac de via etiam Naturæ Parente & Opifice non pauca ſciat, tamen haud facile ſeipſam agnoſcat. Datum eſt illi, ait Augustinus lib. de Spiritu & Anima, tam ingentium rerum ſecreta ſcire, & ſeipſam cognoscere non poſſe.

2 Hac de cauſa in ſtabilienda Animæ natura, quiditateque iphis explicanda ſumma ſemper inter Sapientes atque Philosophos extitit Animorum diſfensio, opinionumque incredibilis ac pene innumerabilis diuersitas. De quibus Seneca lib. 7. q. 74. ita ſcribit: *Habere nos Animam cuius imperio & impellimur, & revocatur, omnes fatebuntur.* Quid tamen ſit Animus ille rector, dominusque noſtri, non magis quiſquam tibi expediet, quam ubi ſit. Alius illum dicit eſſe spiritum, alius conueniūm quemdam, alius vim diuinam & Dei partem, alius tenuiſſimum aerem, alius incorporalem potentiam: non deerit, qui ſanguinem dicat, qui calorem. Adeo Animo non poſt liquere de ceteris rebus: vel adhuc ipſe ſe quaerat.

3 Illas omnes, vel faltem celebriores, quæ ſuo tempore circumferebantur in Scholis, adamuſſim in hoc libro primo recenſet atque refellit Philosophus. Que ad tria præcipua capita revocari poſſunt. Etenim Priors Philosophi omnia quæ in Mundo exſtant, nonniſi corpora aut corporum accidentia eſſe arbitrati, Animam dixerunt eſſe corpus, vel quoddam corporis acci-dens. Postefiores autem rem magis conſiderantes & verius affequiti dixerunt, Animam neque eſſe corpus, neque corporis aliquod accidens, ſed Entelechiam quan-dam, hoc eſt, formam ſive perfectionem ſubſtantialem, ant vim ſe moventem. Quoniam vero animatum ab inanimato diuibus maximè diſferre videtur, motu nimirum & ſenſu, ſicuti ex Majorum unanimi conſenſu docet Philosophus heic cap. 2. tex. 19. his diuabus potif-

potissimum viis ad peruestigandam abditam anima-
taturam processerunt. Qui ex motu illam comprehen-
dere tentarunt, Animam dixerunt id esse debere, quod in rebus maxime notabile aut motivum existit. Quo-
niam illa primum motus ipsius principium esse debet.
Qui autem ex sensu illius naturam venari, & com-
prehendere aggressi sunt, hoc stabilito principio, quod
simile simili cognosci debeat, Animam ex principiis il-
lis communibus, quibus res omnes coalescunt, compa-
ginatam voluerunt, asseverantes ipsam esse quoddam
Elementum, vel quidpiam ex Elementis compositum.
Et quemadmodum alii unum, alii plura Elementa ad-
miserunt, ita & Animam diversimode ex uno vel ex
pluribus iis coalescere dixerunt. Ita in hac quæstione
semper fuere discordes; ut notavit inter alios innume-
ros Laclantius lib. de Opific. Dei cap. 17. De his igit-
tur, qui Animam corpus aliquod fecerunt imprimis
dicamus oportet. Postea de illis qui Animam aliquid
ex corporibus mixtum constituerunt, aut aliquid illius
accidens esse existimarunt, differemus.

4 Qui Animam corpus aliquod esse dixerere, hi per-
multi extiterunt. Et imprimis quidem non pauci corpus
aliquid simplex specialis cuiusdam Elementi habens
vel sapiens naturam esse putarunt. Inter quos primo
loco recensendus venit quidam Hippo rufus ingenii
& infimæ notæ Philosophus, qui Aquam rerum
omnium commune principium esse cum Thalete arbit-
ratus, Animam pariter Aquam esse dixit; ex eo nimis
rum quod semen, ab eo vocatum, Anima prima, hu-
midum esset; quemadmodum adnotavit D. Thomas
lib. 1. Metaphys. lect. 4. Eandem sententiam Thaleti
Jonice Philosophiaæ Principi tribuunt Tertullianus lib.
de Anima c. 2. & Philoponus præfat. in lib. de Ani-
ma. At profectò quamvis ille rerum omnium materia-
le principium Aquam constituerit; non tamen perinde
existimasse credendus est, quod Anima esset Aqua,
sed id duntaxat, quod maxime motivum est, seu ali-
quid semper se movens; ut etiam adnotavit B. Rhe-
nanus Tertulliani Interpres in cit. lib. de Anima: &
conceptis verbis docet ipsemet Philosophus heic textu-
com.

com. 32. Thales, inquit, videtur ex hisce, que traditæ memorie sunt, motivum quoddam Animam esse pietasse: siquidem dixit magnetem habere Animam; quam moveat, trahitque ferrum. Immo Plutarchus lib. 4. de placit. cap. 2. de Thalete verba faciens inquit: *Primis vocavit Animam rationem animorum, nō avicinantes naturam quæ semper moveatur, & à seipso semper moveatur.* Neque his contraria sunt, quæ de Thalete habet Theodoretus lib. 5. de curand. Græc. affect. dicens: *Thales igitur Animam esse inquit immobilem naturam.* Etenim de Anima Rationali sermo est (de qua Antiqui potissimum & ferè unicè loquuti sunt, ut testatur idem Philosophus hec tex. 7. his verbis: *Nunc quidem dicentes & querentes de Anima, de humana solum videntur intendere*) quam immortalem esse arbitratus est, quapropter Theodoretus refert, quod eam immobilem fecerit, hoc est, immortalem & incorruptibilem. Quo etiam sensu Philo Hebreus pro ipius Mundi incorruptione, sive immortalitate adversus antiquos disputans dixit, *Cadet in Deum mors, si cadat & quies, quoniam si & Anima ipsi æminivit perpetual motum ademeris ipsam quoque eximes rebus.* Cujus rei gratia adverte. Antiquos Animam Rationalem fecisse immortalem eo quod immortalibus assimilaretur, hoc est, corporibus cælestibus, quia nimis perinde ac illa semper moveatur. Unde Pythagoricae ac Platonicae doctrinæ sectatores hæc tria, immortale, semper moveri, & per se, sive à se moveri, ita de Anima Rationali loquentes distribuerunt, ut dicent eam esse immortalem, quia semper moveatur; semper autem moveri, quoniam per se sive à se moveatur. Quod enim à se moveatur, cum se defigere nequeat, semper moveatur necesse est. Quod autem ita semper moveatur, id sanè immortale est, ut in Corporibus Cælestibus appareat. Egregie igitur iuxta sui temporis Philosophorum doctrinam. Thales & Animam Rationalem quid maximè motivum dixit, & immobilem, hoc est, immortalem fecisse refertur. Vei forsitan dixit Animam esse quidem maximè mobilem, quatenus Anima est, Mentem vero immortalem, quod & sensu Plato ut refert Plutar. lib. 4. de placit.

Diogenes autem Apollionates, Hippasus Miletinus, & Anaximenes existimantes Aerem esse communem rerum omnium principium, corporumque subtillissimum, subinde quoque Animam aerem quendam esse dixerunt, ad cognitionem omnium rerum & mortuum respicientes. Exinde namque censuerunt eam maxima vi tum cognoscendi, cum movendi potiri. Virtute quidem cognoscendi, quoniam ex universali rerum omnium principio coalescebat, per quod res omnes cognoscere potis erat, siquidem cum cognitione sit per simile, si ex rerum omnium principiis constabat, consequaneum erat, ut omnes eas cognoscere posset. Virtute autem movendi, quippe quae subtilissima esset omnium corporum. Quod verbis paucis complectitur Philosophus hic tex. 32. *Idcirco cognoscere atque movere Animam dixit. Hoc quidem cognoscere, quomodo primum est, & ex hoc ipso cetera constant: hoc autem esse motivum quod subtilissimum est.* Diogeni Anaximandrum copulat Theodoretus lib. 5. de curand. Grac. affect. Macrobius vero lib. 1. in som. c. 1. & B. Rhenanus loco citato his Anaximenem addunt: Stobaeus praeterea Archelaum & Anaxagoram his adjungit. (Sed quid iste senserit, infra dicemus). Tertullianus etiam lib. de Anima c. 2. quendam Aenisedemum in horum numero recenset. Non longe ab hac opinione recessisse videtur & Hippocrates, qui Animam dixit Spiritum esse tenuem per corpus omne dispersum, si fides habenda sit B. Rhenano ibid. De Zenone etiam & Cleanthe haec Theodorctus habet: *Zenoni quidem & Cleanthae jure optimo succensere quis possit, qui de Anima ita contumeliosè loqui. sunt. Uterque enim Animam solidi corporis evaporatum quendam, exhalationemque dixerunt. Quicquam etiam Pythagoræ asseclæ, ut refert Plutarchus lib. 4. de placit, Animam aereum quid & corpus esse dixerunt. Spiritum vero calidum Stoici.*

6 Argumento his fuit, tum maxima Aeris mobilitas, ut diximus; cum etiam respirandi necessitas: ex qua patet Animam, nisi aere inspirato continuò quasi resarciantur, deperire, atque excedere. Hanc ultimam

confam assignavit Lactanius lib. de Opif. Dei c. 17.
Illi, ait, qui ventum putant esse, hoc falluntur
quod ex aere spiritum dicentes vivere videntur.
Hinc Varro Animam apud eundem ita definit: An-
ima est Aer conceptus ore, deferuens factus in pulmone,
reperfatus in corde, diffusus in corpus. Sed haec, in-
quit, apertissime falsa sunt, quia multò prius gignitur
Anima, quam concipi aer ore possit. Non enim post
partum insinuatur in corpus, ut quibusdam Philosophis
videtur, sed post conceptum protinus.

7 Alii non punci Animam ignem esse dixerunt hac
ducti ratione, quod Ignis inter cætera Elementa ma-
xime subtilis sit, atque actius, subindeque maxime
motivus. *Ignis* (ait Philosophus heic tex. 30.) quibusdam
Animam esse videtur. Is enim subtilissimarum est par-
tium, & longè magis, quam cætera Elementa incorpo-
reus, movetur insuper, & cætera primo movet. La-
ctanius lib. de Opif. Dei aliam addit rationem scri-
bens: *Qui Animam Ignem putaverunt, hoc usi sunt*
argumento, quod præsente Anima corpus caleat, recc-
dente frigescat. Pro hac sententia Philosophus heic
tex. 20. Democritum & Leucippum adducit. Hi enim
arbitrari Animam esse debere quidpiam maxime mo-
bile; & inter ea quæ mobilia sunt, Ignem excellere,
Animam esse ignem aut calorem quendam dixerunt.
Quoniam verò indivisibilia quædam corpuscula, seu
atomos, prima rerum omnium initia sive principia
constituerunt, figura, positione, & ordine inter se
differentia, quorum videlicet quædam essent rotunda,
alia pyramidalia, alia quadrata &c. assuerunt Ani-
mam etiam ex ejusmodi corpusculis constare atque es-
se compositionem quæ incessanter moventur, nec unquam
quietur. Etenim cum corpuscula illa, quæ vulgo
vocantur, hoc est, ramenta, seu decisiones appellan-
tur, minutiario quodam motu per Aera ferantur, nul-
lo enim agitante vento, ut cernere est in radiis Solis,
maxime verò per portas ac fenestras, multo magis id
existimandum venit de atomis illis, & corpusculis ut-
pore omnino infectilibus, atque indivisibilibus. Non
tamen ex quibusvis atomis Animam esse concinnatam
arie-

iebat; sed ex rotundis duntaxat, quoniam inter eas
as figuræ rotunda est ad motum aptior, quippe quæ
ngulos non habens, quibus in motu suo retardetur, ut
noveri prohibeatur.

8 Id autem cum à signo colligebant, tum exemplo
uidere nitebantur. A signo quidem, quoniam respi-
rationem vivendi rationem, hoc est, terminum vitæ,
& causam esse putabant (licet falso, nec enim omnia
viva respirant) non alia prorsus ratione, nisi quia
ipsa respiratio ejusmodi corpora indivisibilia (quæ esse
causam motus in animali putabant) intra illud con-
tineat, & quibusdam continuò foras erumpentibus, aut
extrusis, concepto aère per respirationem iterato intro-
mittantur. Horum igitur corporum (ait Philosophus tex.
20.) ea quæ sunt rotunda, Ignem & Animam asserunt
esse: propterea quod maximè omnium figuræ tales to-
tum corpus ingredi, penetrareque possunt, atque cate-
ra mouere, cum moveantur & ipsa. Arbitrantur enim
Animam id esse, quod motum animalibus præbet. Qua-
propter & respirationem vivendi rationem atque can-
sam esse putant. Nam eo quod continet contrahente
corpora, comprimenteve, ac extrudente figuræ eas,
quæ præbent animalibus motum, quia nec ipsæ unquam
quiescunt, succursum auxiliumque respiratione fieri
dicunt, ingredientibus aliis figuris similibus, & quæ
quidem egredi prohibent ipsas, quæ animalibus insunt,
id repellendo, quod contrahit atque premit, & consq;
vivere animalia, quoisque id facere possunt.

8 Non desunt eruditæ viri, qui haud absque magno
jure existiment, hanc de constitutione Animæ ex ato-
mis rotundis & igneis Democriti sententiam ad lite-
ram & ut verba sonant, minime intelligendam vel
usurpandam esse, præsertim quoad Animam Rationa-
lem spectat. Nam eam fecit immortalem, Pytha-
goram secutus, cuius doctrinæ vehementer addictus
fuit; & ut ait Laertius in ejus vita, *Omnia à Pytha-*
gora videtur accepisse. Quocirca & integrum elabora-
vit opus, περὶ τῶν ἐναέρινων, De his quæ in Inferno sunt,
scilicet aguntur. Quod neutiquam præstisit, nisi Ani-
mam post corpus esse superstitem, & æternum vivere
ex sti-

xistimasset. Alio ergo sensu Animam, sicutem Karo
sem, ignem quendam & calorem fecisse et timar-
dis est.

> Notandum occurrit ex D. Thoma opusc. ii. in-
expedit. text. Ignem, autore Dionysio c. 15. de Cœle-
sti Hierar. aptissimum esse Divinæ Majestatis symbo-
lum, & ad significandas illius divinas proprietates ac
commodatissimum, tum ratione eximia subtilitas, at-
que flammantis ac rosei luminis, cum etiam ratione
præpotentis virtutis, atque eminentioris situs: ipse enim
in concavo Lunæ veluti his omnibus sublunari bus pre-
sidens suam regiam & domicilium habet. Quare olim
Ignem inextinctum in Templis servabant, tanquam
cœlestibus simillimum, inquit Eusebius lib. i. de præp.
c. 6. Unde Persæ & Chaldae sub figura Ignis Deum
colebant; ipsumque ut supremum & potentissimum ve-
nerabantur. Quæcum adorare Abrahamus detrectavisset,
in Ur Civitate ab igne ita nuncupata, quoniam ibi re-
ligiosissime colebatur, multa ab eis passum esse refe-
runt inter alios D. Augustinus & Josephus Judeus.
Quapropter cum Animam Rationalem quid diuinum
esse arbitrarentur, ignem esse dixerunt, perennem a-
que immortalem. Inter enim Chaldaicæ Theologie
Oracula hoc celebratur, *Quod Anima, cum sit ignis*
lucidus potestate Patris manet immortalis & vita do-
mina est. Et merito quidem sub specie & symbolo
ignis Chaldaeorum Theologi ac Sapientes Animam ex-
presserunt, Hebraeos imitati, quoniam magna est ignis
ad Animam analogia, tum ob maximam istius subtili-
tatem, cum & propter alias ipsius enumeratas dotes.
Hinc & Hebraicè vir animatus sive Anima pollens
isch, appellatur, quasi esch, id est ignis, ut notavit
Eusebius lib. ii. de præparat. Evang. cap. 4. *Hebrei*
ait, *virum isch vocant; quod quidem vocabulum ab*
esch, quod ignem significat, deducitur, ut natura viri-
lis ignea, & calida verbo exprimatur. Chaldaeos au-
tem Democritus præceptores habuit, à quibus Theo-
logiam, Astrologiamque adhuc puer didicit. Qua-
propter eorum doctrinis innutritus, atque illis addictissimus
videtur sub specie & symbolo ignis Animam.

isse, eamque ignem & calorem, ut puto, cœm
ten non inasse, & cum Chaldæis immortalem repu-
sse.

O idquid sit de seniū & mente illius, opinione n
llis verbis conceptam atque propositam variè exagitat
Philosophus heic tex 55. sed potissimum ex eo, quod
animal naturaliter conquiescere non valeret. Quoniam
orbiculares illæ atomi irrequieto motu agitatae & sua-
pte naturā nunquam quiescentes, quietis causa nullatenus
esse possent. Præterea signum illud ex respiratio-
ne desumptum inane & falsum est: tum quia non om-
nia animalia respirant, sed ea duntaxat, quibus pulmo
inest, ut docet idem Philosophus lib. 2. de hist. animal.
cap. 15. cum tamen omnia Anima prædicta sint: tum
etiam quia respiratio est necessaria ob interioris caloris
refrigerationem, ut in nobis experimur, qui calefa-
ctum sive aërem sive halitum exspiramus, ut frigidum
attrahamus: illæ autem atomi igneæ putabantur, ut
pote quibus corpus caleret, unde respirationi inutiles
forent.

11 Et re ipsa quidem Animam rationis compotem-
esse ignem quendam cœlestem, sive ignea præditam,
naturā nedum Persarum atque Chaldæorum, sed &
Ægyptiorum, atque Græcorum, immo & Romanorum
Philosophiam statuisse observat eruditus P. Causinus
in Observat. ad Hor. Apoll. Hieroglif. 7. lib. 1. quod
& Fabii autoritate confirmat ita definitis, *Animam*
esse *flammei vigoris impetu perennitatemque non ex*
nostro igne sumentem, sed quo sidera volant, & quo
sacri torquentur axes, inde venire, unde rerum omnium
autorem, parentemque spiritum ducimus, ne in
mittere, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato:
sed quoties humani corporis carcerem effregerit, & exo-
nerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, pe-
ttere sedes in astra. Igneas igitur non tantum facit Ani-
mas, sed & volucri Siderum igne accensas. Unde
Martianus Capella lib. 1.. septem Planetas in Animam
quasi in sobolem suam calore & luce influentes indu-
cit. Ex quo Animum humanum à Saturno habere dicit
Ægyptior, hoc est, Ratiocinativum seu ratiocinandi vim

facultatem : à Marte *ducenti*, vim irasci
Mercurio *equum* intercedandi sive munera
dicitur : Venere *indumentorum* vim concupiscibilium :
in *putredine*, vegetativum seu procreans facultate
Iove *propanum*, virtutem recte agendi seu rem gerendi,
administrandi : & à Sole *alacritus*, facultatem sensi-
vam .

Hac eadem ratione frater igneam esse Animorum na-
turam dixerunt , quodd & ab Astris igneis fluere , & in
Astra redire ; immo quod magis mireris , Stellas post
excessum è corpore fieri crederent : quod adnotavit
Aristophanes . Unde & Horus lib. 2. Astra Symbolo-
lum esset dicit *ψυχῆς αὐθόποιον ἀπέπεστος* , Naturæ hominis
masculi seu masculum Animum induentis . Eadem de
causa Hipparchus apud Plinium lib. 2. probat , *Ani-
mam partem esse Cœli* , & Heraclitus apud Macrobius
asservit , *Animam esse Scintillam stellaris essentiæ* ,
quoniam Cœlum igneæ esse naturæ putantes Animam
quoque illius cœlestis ignis particulam esse dicebant .
His adjungendi veniunt Zeno , Chrysippus & alii Sto-
ci , Animam esse ex illo Igne asserentes , quem *νοέπον
τεχνιὸν* appellabant , hoc est , intelligentem atque
artificalem . Unde Animam definiebant , *Spiritum
igneum & cœlidum* : Spiritum ob maximam illius sub-
tilitatem nuncupantes . Hanc sententiam spectavit Pru-
dentius cum de Anima dixit , *Oris opus vigor igneus* .
Quod per allegoriam dictum putandum est .

13 Præter hos non pauci alii Animam corpus sim-
plex esse arbitrati sunt , non quidem Elementare aut
Elementi alicuius naturam sapiens , sed corporis Cœ-
lestis , quod quidem corpus simplex est , & ab Aristotele
quicunque Elementum nuncupatur .

CAPUT SECUNDUM.

sententur eorum opiniones, qui Animam aliquam corpus ex pluribus compositum, vel mixtum esse dixerunt.

¶ **A**lli vero Animam esse non equidem corpus simplex, sed quid ex corporibus simplicibus compositum atque mixtum aseverarunt. Inter hos à Petro Gassendi hic sect. 3. c. 2. recensetur imprimis Xenophanes, utpote qui Animam ex Terra & Aqua texuerit. Sed profectò Diogenes Laertius lib. 9. refert, quod *Animam spiritum esse dixit*. Parmenidem deinde Animam ex Terra & Ignem composuisse refert: quoniam scil. ex his duobus omnia esse composita censuerit, ut narrat idem Laertius cit. lib. 9. sed profectò cùm ipse Parmenides asseruerit Terram habere vices materialia, Ignem verò opificis, non potest inde certò constare, an Animam Ignem esse arbitratus sit, corpus vero Terram: siquidem *hominum ortum primū è limo extitisse dixit*, autore eodem Laertio. Empedocles autem, ut refert Aristoteles heic text. 25. ex universis quidem Elementis veluti ex principiis materialibus ipsam Animam constare censuit, Amicitia insuper ac Lite veluti ex principiis activis atque passivis: ut hæc essent illi principium omnia cognoscendi. Cùm enim vnumquodque, ut diximus, non nisi suo simili cognosci posse existimaret, posuit Terrā Terram, Aquam Aqua, Aēre Aērem, Ignem Ignem, Amicitiam Amicitiam, Lite denique Litem oportere cognosci. Unde cecinit:

Terrea vis Terram, vis humida percipit undas;
Æther ab Ætherea sentitur, ab Ignibus Ignis,
Pax pacem monstrat, litem Lis aspera sentit.

¶ In eandem sententiam refert Aristoteles divinum Platonem: Eodem, inquit, & Plato modo Animam in Timaeo ex Elementis constare censet. Simili namque, ejus quoque sententia, cognoscitur simile, & res ipsæ ex principiis sunt. Sed quænam fuerit Divini Plato-

1 de hac re sententia fuso infra explicabitur.

16 Præterea Epicurus Animam ex corpoream s. tenuis
sicut & mortalem, quoniam tellus, iactuque gravaretur
ari narrat Plutarchus lib. 4. de placitis; eam esse
seruit, Temperatum quid ex quibusdam quatuor, nem-
pe ex quodam igneo, ex quodam aereo, & quodam fla-
tuoso, ex quarto quodam innominato, quod ipsi est
sentiendi vis. Id ipsum de illo infinitat Diogenes Laer-
cias lib. 10. ubi postquam retulit Epicurum sensisse Ani-
mam esse corpus tenuissimum compositum ex atomis
levissimis, rotundissimisque, nec multum diversis ab
isis, et quibus est Ignis, subdit: *Esse vero corpus ait*
simillimum auræ aliquam temperiem caloris sortitæ, &
quadam quidem ex parte illam, ex quadam istum re-
ferens. De quarto autem innominato statim subjun-
git: *Illud quoque tenendum est habere Animam in se*
uberrimam sentiendi causam. Ex his prorsus quatuor
Animam constare asseruit, ut aura, hoc est, lenior spiri-
tus flatus, illi esset causa motus, aer quietis, cali-
dum ejus caloris, qui in corpore manifestè patet, in-
nominatum denique sensus, qui in nobis est; cum
nulli eorum Elementorum, quæ nominantur, sensus
insit: quemadmodum adnotavit Stobæus. Ex his itaque
Anima *κράψια*, *temperatum quid*, fieri dixit ita perfectè
inter se mixtis, ut inde fiat una quædam, eaque te-
nuissima substantia, quæ per totum diffusa animalis
corpus, ab ipso contineatur, & ipsi causa salutis exi-
stat.

17 Tandem non pauci alii Animam sanguinem es-
se, aut spiritum ex sanguine factum asseverarunt. Et
sanguinem quidem Critias dixit, ut refer Philosophus
heic textu 33. Id ex eo sibi persuasit, quod in animali
deficiente sanguine sensus non existat: exanguia enim,
ut ossa, unguis, & dentes sensu carent. Quapropter
cum sentire maximè proprium Animæ esse putaret,
sanguinem Animam esse pronuntiavit. In qua senten-
tiam ivisse videtur Virgilius dum lib. 9. Aeneid.
dum ait:

Purpuream vomit ille Animam.
Eandem sententiam tribuunt Empedocli Tertullianus
lib.

de Anima , & Macrobius : tametsi id ad sanguinem corporis suffusum restrinxerit , ut notavit Cicero lib. 1. Tuscul. quæst. De quo Chalcidius in Timæum Platonis ait : *Empedocles quidem principalem Animæ vim constituit in corde , sic dicens ; Sanguine enim noster viget Intellexus .* Et non desunt , qui existimant , quod in eodem compositum ex quatuor Elementis unâ cum lito & amicitia sanguinem esse senserit , si vera dixisse tum istos , cum etiam Aristotelem existimandum est . Fuit etiam istis argumento , quod ex sanguinis detractione & excedere Animam , & finiri vitam comprehendendum habeatur . Hinc Maro lib. 2. Æneid.

Vitam cum sanguine fudit .

18 His annumerandus venit Philo Hebreus , qui in lib. quod Deter. Potiori insid. explicans illa Genes. c. 4. verba : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de Terra , in unoquoque nostrum Animam & Mentem distinguit .* Secundum Mentem nos homines & ad imaginem Dei conditos esse ait . Secundum Animam vero animalia esse , & hanc non aliud esse quam sanguinem . Forsan id sibi Philo persuasit eo quod ubi Vulgata legit Genes. cap. 9. vers. 4. *Carnem cum sanguine non comedetis ,* Hebraica lectio habet : *Carnem cum Anima sua , sanguine suo ,* id est , cum Anima sua , quæ est sanguis ejus . Sed profecto verba illa non hunc reddunt sensum , quod sanguis sit Anima vel vita carnis , vel animalis ; sed quod sanguis sit sedes & vehiculum Animæ , & in eo potissimum vigeant spiritus vitales , & sit quasi quædam tessera vitae , in qua vita conservetur , ut notavit etiam Chalcidius ibidem dicens : *Hebrei quoque videntur secundum hunc opinari de Animæ principali cum dicunt : Clamat apud me sanguis fratris tui .* Et item alio loco . Non edetis carnem cum sanguine ; quia omnium animalium sanguis Anima est . Quæ si ita intelliguntur , ut debent , Animam esse animalium sanguinem quia sit vehiculum irrationalis Animæ , cuius partes sunt importuni Appetitus , habet plane rationem talis assertio . Unde Leviticus cap. 17. Anima carnis in sanguine esse vel juxta Hebraicam veritatem sanguis pro Anima esse

38 Quæstio II. De Anima & Naturâ.

itur, quoniam si illum tollas, tollas Animam.

19 Inter eos autem, qui Animam spiritum ex genere factum esse asseruerunt recenserit consuevit G. nu, qui licet quid sit Anima expressa non defuit. (passim enim ingenie facetur fibi Anima substantiam sive essentiam esse ignorantiam) attamen in libro de Respirat. omnibus attentè pensatis concludit fibi videtur eis quæ evidenter apparent, Spiritum, qui in ventriculis circa cerebrum continetur, aut Anima substantiam esse, aut primum ejus organum. Dixerat vero antea, Consentaneum esse hunc Spiritum ex sanguinis evaporatione nutriri. Quod & multis tum Medicis tum Philosophis celebribus visum testatur.

20 In eadem sententia fuisse videtur Medicorum princeps Hippocrates. Etenim, ut testatur Macrobius, Animam spiritum tenuem per omne corpus dispersum esse asservit. Et ipse met. 6. Epid. sect. 5. Animam sortiri Ignis & Aquæ temperationem affirmavit. Quoniam scil. sanguis, cuius flos est ille spiritus, calidus & humidus est. Et ibidem dixit, Animam hominis continuò ad mortem usque generari, quia videlicet spiritus ille usque ad extremum vitæ halitum ex sanguine procreatur.

21 Cicero lib. 1. Tusculan. quæst. quibusdam tribuit, quod dixerint Cor esse Animam, aliis vero, quod senserint esse Cerebrum, vel Cerebri partem, quoniam sine his animal vivere non potest. Sed crediderim potius intelligendum de Animæ ipsius sede. Stoicis ita tribuit Chalcidius loco cit. dicens: Stoici vero cor quidem sedem esse principalis Animæ partis consentiunt, nec tamen sanguinem, qui cum corpore nascitur. Spiritum quippe Zeno querit hactenus. Quo recessente a corpore moritur animal, hoc certè Animæ est: naturali porro spiritu recessente moritur animal naturalis igitur spiritus animal est. Item Chrysippus Una & eadem re certè spiramus & vivimus: Spiramus autem naturali spiritu: ergo etiam vivimus eodem spiritu: vivimus autem Anima: Naturalis igitur spiritus esse Anima invenitur. Unde & hi Anam spiritum fecisse videntur.

C A.

C A P I T U L U M . T E R T I U M .

*Relata quorundam patrum opinione , qui pariter
Animare corpus quoddam esse dixerunt .
stabilitur veritas .*

22 **P**RÆTER Antiquos Philosophos , qui maxima-
ex parte , uti ex dictis constat , Animam-
corpus aliquod esse asseruerunt , in eandem senten-
tiam nonnulli Patres ivisse putantur . Et in primis qui-
dem antiquus & eruditus Tertullianus , siquidem lib.
de Anima cap. 7. dixit Animam nihil esse si cor-
pus non sit . Et ad id asserendum motus videtur qui-
busdam Antiquorum rationibus , utsiote quod Ani-
ma corpori conseratur , & iterum illud deserat : se-
se autem contingere & ab invicem separari rerum cor-
poralium est . Præterea quod filii referant parentes non
lineamentis corporis solum , sed etiam notis Animæ .
Et tandem quod Animæ communibus cum corpore affe-
ctionibus subjiciatur : cum tamen notum sit , talem
communionem atque compassionem incorporalium re-
rum minimè esse . Ita illi & quibusdam aliis tribuit D.
Augustinus lib. 10. de Genesi ad lit. c. 44. dicens: Pro-
pter hoc corporalibus assuefacti & affecti sensibus no-
lunt Animam credere aliud esse quam corpus , ne si
corpus non fuerit , nihil sit :: Ita enim feruntur in
phantasias , vel phantasmatu imaginum , quæ cogita-
tio de corporibus versat , ut his subtractis , tanquam
per inane pereundum sit , reformident . Inde Tertullia-
nus corpus esse Animam creditit , non ob aliud nisi
quia eam incorpoream cogitare non potuit . Et ideo ti-
muit ne nihil esset , si corpus non esset . Immo quo-
niam sensus nonnisi corpora qualitatibus sensibilibus
affecta percipere valent ; idem Tertullianus Animæ
qualitates hujusmodi indidisse dicitur ab eodem Au-
gustino seq. c. 25. Cum , inquit , Animæ colorem daret
aereum & lucidum , ventum est ad sensus , quibus eam
membratim quasi corpus instituere conatus est . No-
luit tamen crescere substantia sicut corpus .

23 Præterea Animam esse corp̄is auctorat Apol. S. Alexandrinus , ut refertur in His Tripart. cap. & alii antiqui Tractatores Ecclesiastici . Quod & colligi putarunt ex iis , quæ Anima Lazarī & Divitis S. Scriptura Luce 24 adiunguntur . Legitur enim Animam Divitis putari in flamina , & crucifixi in lingua . Animam verò Lazarī digitos habere . Ita colligitur in Compendiis Theodoti : hocque argumentum Ternillianus lib. de Anima adducit , additque duplīcēm debere distingui hominem , interiorem scil. & exterio-rem , cui utriusque sua lingua , sui dīgiti , sui oculi , sua aures sint . Animam etiam esse corpus sentire videtur D. Hilarius can. 3. in Matth. ubi ait : *Nihil est , quod non in substantia sua & creatione corporeum sit . Nam & Animarum species , sive continentium corpora , sive corporibus exulantium corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur .* Præterea D. Hieronymus in cap. Matth. explicans illud , *Nolite timere eos , qui occidunt corpus , Animam verò non possunt occidere , si significari declarat , Animam esse corpoream non esse omnino negandum , sed solum modo illo crasso , quem in corpore nostro tenemus .* Tandem in Concilio VII. Generali act. V. hæc verba leguntur , *De Angelis & Archangelis , & eorum Potestatibus , quibus & nostras Animas adjungo , ipsa Ecclesia Catholica sic sentit , Esse quidem intelligibiles , sed non omnino corporis expertes & invisibles , ut vos gentiles dicitis , verum tenui corpore præditos & aereo , sive igneo .* Citan-
turque in eandem sententiam à Joanne Thessalonicensi , cuius lectus liber in eo Concilio fuit , Basilius , Methodius Athanasius , & qui stant ab illis . Inde Petrus Gassendi heic cap. 2. colligit prioribus saeculis hanc satis communem opinionem fuisse .

24 Dicendum est tamen Animam præsertim Rationalēm corpus non esse , sed corporis actum , substancialē inque perfectionem . Sumitur ex D. Augustino lib. 2. Retract. c. 59. ubi ait , *Se scire Animum non efficit corpus .* Et lib. 6. de Trinit. cap. 6. Ideo simplicior *Anima corpore , quia non mole diffunditur per spatium loci .* Sed om̄ne corpus , quippe quod tria dimensione affe-

um, i.e. spatium loci diffunditur: igitur Anima est corpus. His de Anima Rationali docent D. Damascenus lib. 2. fid. Orthod. c. 12. & lib. 3. cap. D. Gregor. Nyssenus lib. 2. de hom. D. Remigius & Bernardus relati à D. Alberto Mag. Sum. de hom. ac. 1. q. 2. art. 1. Cassiodorus lib. de Anima cap. 2. D. Thomas a. p. q. 75. a. 1. & communiter Patres ac Theologi.

25 Prob ratione ejusdem S. D. loco cit. Anima est primum & radicale principium vitæ in viventibus: sed primum vitæ principium nequit esse aliquod corpus; quamvis corpus esse possit vitæ principium secundum quid & instrumentale; quo pacto cor dicitur esse principium vitæ in animali: ergo Anima non potest esse corpus; sed quidam substantialis corporis actus, quo nimirum vivit, & movet se primò; sicuti etiam calor, qui est principium calefactionis, non est corpus, sed quidam corporis actus, quo scil. calefacit, seu calefactione calorem in passo producit. Maj. patet, nam si Anima esset quocunque vitalis operationis principium, & non primum simpliciter atque radicale, oculus esset Anima, cum sit quoddam visionis principium, quæ est operatio vitalis seu vita in actu; idemque de aliis Animæ potentiis dicendum veniret, quod est absurdum. Min. vero prob. si esse primum ac radicale vitæ principium corpori essentialiter conveniret, vel conveniret ipsi secundum se & absolute sumpto, vel quatenus est tale corpus: Primum dici nequit, nam quod convenit alicui secundum seipsum & absolute, per se & universaliter convenit; v. g. quia esse vivens sentiens competit animali absolute & secundum se considerato, essentialiter omni convenit animali; & quia corpori secundum se competit habere trinam dimensionem, omni corpori convenit: ergo si corpori secundum se & absolute sumpto competeteret esse primum vitæ principium, omni corpori conveniret; subindeque omne corpus esset animatum & vivens, quod est absurdum. Si autem dicatur secundum, sequitur, quod Anima sit corporis forma & actus. Quod prob. etenim quod est actu tale, & hoc non habet secundum se, id ab aliquo principio habet,

haber, quod est forma & actus. v. hu-
calidæ competit actu calefacere, ex quoniam hoc
habet, in quantum est aqua & seculum cum se habet.
forma aliqua, actu illam efficiente calidam, sive calo-
facientem, quoniam nihil est in actu corporis nisi est
fendi, nisi per aliquam formam: ergo cum Anima
corpus vivens actu, seu animatum dicatur. & hoc non
habeat secundum se & in quantum est corpus oportet
ut per Animam id habeat, tanquam per propriam for-
mam & actum.

26 Conf. ex eodem S. D. lib. 2. cont. gent. cap. 6.
Viventia, cum sint quædam res naturales, sunt compo-
sita ex materia & forma: sed componuntur ex corpore
& Anima, quæ facit illa esse in actu: igitur oportet alte-
rum illorum esse formam, alterum materiam: sed cor-
pus nequit esse forma, quoniam ipsum non est in alte-
ro sicut in materia & subjecto: Anima igitur erit for-
ma: non est ergo Anima corpus.

27 Quod ad autoritates Patrum in contrarium ad-
ductas spectat, adnotandum velim ex D. Augustino
lib. 10. de Trinit. c. 7. hoc nomen, *corpus*, ab Anti-
quis tripliciter usurpatum legi. Primo quidem pro sub-
stantia vel essentia, aut omni illo, quod aliquo modo
est in leipso, ac per se subsistit. Quo pacto à Tertul-
liano dictum putant Viri eruditi, Deum esse corpus,
hoc est, essentiam & rem per se subsistentem. Secun-
do, pro qualibet substantia mutabili, sive motu pro-
priæ accepto, sive etiam largè sumpto pro quacunque
operatione, etiam immanenti, ut velle & intelligere;
mutari enim est substantiæ creatæ, quemadmodum &
corporum. Tertiò pro substantiâ trinâ dimensione
quantitatâ affectâ. Primo & secundo modo sumpto
corpore intelligendi veniunt Patres, dum aiunt Ani-
mam Rationalem esse corpus, non autem tertio modo.
Quo tamen sensu Tertullianus locutus nobis videtur.
Quæ doctrina desumpta est ex D. Augustino epist. 18.
ubi postquam Animam incorpoream esse stabilivit, quo
sensu corporea, vel corpus dici queat, explicat dicens:
*Si eam solam incorpoream placet appellare naturam
qua summe incommutabilis, & ubique tota est, corpus*

ma. quoniam cale aliquid ipsa non est : sed mu-
securidum affectiones suas, & loco definitur. Por-
ti corpus non est, nisi quod per loci spatum aliqua
gitudine latitudine altitudine ita sit constitutus vel move-
tur, ut majori sui parte majorem ipsum occupet, &
breviore breviorem, minusque sit in parte quam in to-
to, non est corpus Anima. Eodem modo intelligendus
venit auctor libri de Ecclesiast. dog. cap. 11. dum ait ;
Nihil incorporeum & invisibile natura credendum est
nisi solus Deus. Sed de his amplius in commentariis ad
.. p. D. Th. q. 50. a. 1. c. 4. prope diem in lucem
edendis .

28 Ad autoritatem illam ex VII. Synodo adductam
communis solutio adhiberi solita est , in illa Synodo
tantummodo fuisse probatam conclusionem , quam
Joannes ex tali doctrina intulit ; nimirum , Angelos &
Animas pingi posse : non autem eam doctrinam , ex
qua conclusio deducta est , nimirum Animas esse cor-
pora , Angelosque corporeos : quoniam tunc de hac re
non erat quæstio , sed de retinendo imaginum usu .

29 Ad eas rationes , qua referendo oppositam sen-
tentiam tactæ sunt , & similes responderet D. Thomas
lib. 2. cont. Gent. c. 65. dicens : Ea autem quibus ali-
qui conati sunt probare Animam esse corpus , facile est
solvere . Ostendunt enim Animam esse corpus per hoc
quod filius assimilatur Patri , etiam in accidentibus
Animæ , cum tamen filius generetur à patre per deci-
sionem corporalem ; & quia Anima compatitur corpo-
ri : & quia separatur à corpore ; separari autem est
corporum se tangentium . Sed contra hoc iam dictum
est (cap. 63.) quod complexio corporis est aliqualiter
causa Animæ passionum per modum disponentis . Ani-
ma etiam non compatitur corpori nisi per accidens :
quia cum sit forma corporis , mouetur per accidens mo-
to corpore . Separatur etiam Anima à corpore , non si-
cuit tangens à tacto , sed sicuti forma à materia . Quam-
vis & aliquis sit tactus incorporei ad corpus , nimi-
rum virtutis . Quo pacto Anima potest dici tangere
corpus .

30 Objicies insuper : Omne movens motum est cor-
pus :

pus: sed Anima est movens motum ergo illi co.
Prob. min. prime: nūl potest movere nisi move-
sed Anima corpus moveret: ergo & ipsa moveatur. *via*
patet, quoniam nihil dat quod non habet, v. g. quod
non est calidum non calidum facit: sed id quod move-
præbet mobili ut moveatur: ergo debet etiam movere
seu esse motum. Secundò prob. movens non resum
causat motum sempiternum, & semper eodem modo
se habentem, ut probatur 8. Phys. te. 45. & seq. sed
Anima sempiternum & eodem modo semper se haben-
tem non causat motum; motus enim animalium est
diffinis, ut patet: ergo Anima est movens motum.

31 Conf. Omnis cognitio fit per aliquam similitu-
dinem ipsius cognoscentis ad cognitum: sed Anima
cognoscit corpora: ergo ipsa est corpus, etenim incor-
toreum ad corpus nullam similitudinem habet.

32 Resp. ad arg. cum D. Th. 1. p. q. 75. a. 1. dist.
maj. movens motum est corpus, si per se ad motum
sui mobilis moveatur, conc. maj. Si moveatur duntax-
at per accidens, & non per se, nego maj. Tunc enim
non est nec se ut sit corpus, sed aliquid corporis; si-
cuti color v. g. moto colorato per accidens movetur;
nec tamen est corpus, sed aliquid ipsius corporis, ni-
mirum ejus affectio vel qualitas. Anima autem est per
se equidem movens, sed per accidens duntaxat mota;
quapropter non sequitur eam esse corpus, sed quan-
dam corporis formam, sive substantialem perfectio-
nem. Ad 1. prob. neg. maj. Ad cuius prob. dist. min.
movens præbet mobili ut moveatur, efficiendo ipsum
esse in actu, sive reducendo illud de potentia in actum,
conc. min. Dando illi potentiam, per quam fiat mo-
bile, sive opum moveri, neg. min. Quapropter est
Anima per se habeat movere corpus, non tamen per se
si competit moveri: quoniam non movere inquantum
est potentia, sed quatenus est actu, & efficit mobile in
actu esse per actionem suam. Ad 2. prob. dist. movens
non motum causat motum uniformem, si sit movens
non motum simpliciter, & omnimodè, hoc est, neque
per se neque per accidens motum sit, conc. maj. si sit
non motum duntaxat per se, & motum per accidens,
nego

anā. anima cui uī est equidem movens per se,
per accidens mēta. Unde non conseq̄uitur ut mo-
uī semper uniformen atque sempiternum causare
eat.

¶ Resp. ad conf. cum eodem S. D. ibid. dist. maj.
omnis cognitio sit per aliquam similitudinem cogno-
scēti ad cognitum , entitativam & naturalem , nego
maj. intentionalem & in esse repræsentativo, conc. maj.
Sicut per latuam auream ducimur in cognitionem ali-
cujus Imperatoris vel Regis , non quia inter utrumque
sit uniformitas entitativa & naturalis , sed repræsen-
tationis , seu in esse repræsentativo . Quapropter licet
Anima non sit corpus potest tamen corpora , sive cor-
poralia cognoscere per species intelligibiles & intentio-
nales ipsorum , quibus in esse intentionali & repræsen-
tativo illis conformatur , vel potius illa Intellectui pro-
portionata efficiuntur .

ARTICVLVS SECUNDVS

*Philosophorum opiniones recensentur , qui Animam ali-
quod accidens esse putarunt & confutatur ;
ostenditurque illam esse substantiam ,
& cuiusmodi substantia sit .*

34 **S**ecunda principalior circa naturam ipsius Ani-
mæ antiquorum Philosophorum sententia eo-
rum fuit ; qui illam non equidem corpus sed corporis
aliquod accidens esse dixerunt. Inter quos nonnulli pau-
ci Animam esse arbitrati sunt Harmoniam quandam non
equidem vocum , sive concentum nervorum in integros
modos sine ulla offensione consonantium , sed primarum
contrariarumve qualitatum in unam temperiem
symmetriamque coēuntium , vel etiam mixtorum . Hu-
jus Opinionis mentionem facit Aristoteles heic tex. 54.
caterisque à se relatis præfert , magisque rationi confen-
taneam reputat dicens : *Est autem & alia quædam
opinio de Anima tradita , probabilis quidem compluri-
bus , & nulla earum inferior , quæ de ipsa dicuntur .*

Ani.

Animam enim harmoniam quandam inquit cuius rei gratia nosandum ex S. D. prior Philosophos et sam formalem sive formam substantialem non agnoscere. Aliquid tamen illi simile præ cæteris Democritus & Empedocles constituerunt. Etenim En pedocles ex quatuor vulgatis Elementis, Liteque & Amicitia omnia constare exitimans afferuit, hanc ut in mutuo coire et invicem sociata confitere possent, concinentiam quandam, proportionemque inter se servare debere, quam quidem formam, harmoniamque nuncupabat, Quapropter ipse Empedocles Animam fecisse, harmoniam dicitur. Ita illi tribuunt D. Thomas heic & lib. 2. cont. gent. c. 64. Dicaearchus etiam Philosophus Siculus Aristotelis auditor apud Plutarchum lib. 4. de placit. Animam esse ait, quatuor Elementorum concinentiam. D. Gregorius Nyssenus lib. 2. de Philos. c. 3. pro eadem Dinarchum citat. An hic sit alius à Dicæarcho, vel idem cum ipso non constat. Simmias etiam in Phædone Platonis dixit, nullam aliam de Animæ consistentia atque natura hac probabiliorem sibi videri. Adduci solet etiam pro hac sententia Galenus in lib. Quod Animi mores corp. temper. seq. Sed Averroes com. 6. de Anima, & ex ipso D. Thomas cit. lib. 2. cont. gent. c. 63. Galeno tribuunt, quod assertuerit, Animam esse complexionem hac ratione motus, videlicet, quod ex diversis complexionibus diverse Animæ passiones in nobis causentur. Qui enim, cholericam fortiti sunt complexionem de facili in iram prorumpunt; melancholici leviter etiam de causa tristantur.

35 Dicendum est tamen Animam nullatenus esse harmoniam, aut complexionem, vel corporis temperamentum, aut crasim, vel denique aliquod accidens huiusmodi, sed substantiam quandam. Ita communiter Doctores. Quod Anima non sit contrariarum harmonia probat S. D. ibid. cum quia hujusmodi contrariarum harmonia omni mixto, iam non viventi communis est: Anima autem id principium esse censetur quo vivimus, & à non viventibus ipsa viventia secunduntur. Tum etiam, quia harmonia ratio potissimum cor-

oreis qualitatibus competit; sanitas enim quædam morum dicitur harmonia; fortitudo nervorum, & ium; pulchritudo membrorum, & colorum: vix autem, aut ne vix certo alignari potest cuiusmodi qualitatam sensus, aut Intellectus harmonia sit. Tum denique, quia Anima aut erit harmonia, quæ compositione dicitur, aut illa quæ est compositionis ratio, & proportio. Non primum: etenim unaquæque ipsius Animæ pars erit quarundam corporis partium compositionis, quod Intellectui & Voluntati potissimum repugnare convincitur. Non etiam est compositionis ratio, quia tunc singulæ ipsius corporis partes singulas haberent Animas, cum in diversis illius partibus diversæ compositionis rationes, atque proportiones inveniantur: unde alia Anima ipsum os præditum esset, ab ea quæ in carne, aut nervis reperiretur: quod plane absurdum est.

36 Quod etiam Anima quædam complexio esse non possit prob. tum quia complexio ex qualitatibus acti- vis & passivis coalescit, quæ virtutes Elementorum sunt in ipso mixto remanentes: Anima autem præsertim intellectiva, & sensitiva operationes fortit, quæ mirum in modum hujusmodi virtutes excedunt. Tum etiam quia id censetur Anima, quod est principium moris, & sensus: complexio ipsi animali nequit esse principium, localis motus: ergo neque Anima. Prob. min: in mixtis motus localis est secundum qualitatem Elementi prædominantis, hinc lapis deorsum fertur, quia terreus est: si ergo complexio esset animali motus localis principium, ipsum animal localiter motum Elementi prædominantis sequeretur; unde cum Terra in eo magis praestet, semper deorsum moveretur, & non iu unamquamque partem. Tandem, quia Anima passionibus reluctatur, quæ complexionem hujusmodi consequuntur. Cum enim aliqui ex ipsa complexione sibi propria magis ad concupiscentiam, vel iram proni sint, tamen ab eis magis quam cæteri abstinent; cuius oppositum experiremur, si Anima foret complexio: tunc enim corpus regeret; unde passionibus illis, quæ ad eam consequuntur, minimè reluctaretur. D. Th. loc. cit. c. 63.

37 Tandem quod accidens non sit, sed substantia prob.

prob. ex eodem S. D. ibid. tum anima. ventia, quae sunt quedam substantiae speciem formatur, & à non viventibus differunt: id autem quo aliquid in specie substantiae constituitur, substantiam est oportet. Tum etiam, quia Anima est prima & radicale motus principium in viventibus ipsis: non ergo est accidens. Quemadmodum enim accidens per se ens non est, ita neque per se primo agit, sed in virtute alicujus principii substantialis operatur, cuius est instrumentum.

38 Objicies: Anima neque est prima substantia, cum non sit suppositum per se existens, ac subsistens: nec secunda, cum non sit genus, vel species substantiae: ergo nullatenus Anima est substantia, sed accidens quoddam. Deinde, Anima ex Arist. in subjecto esse dicitur, nimirum corpore: proprium autem ipsi substantiae ac potissimum est, quod in subjecto non sit.

39 Resp. Animam simpliciter non esse substantiam prædicamentalem, & propriè dictam, sed communiter, prout omne illud substantiam nuncupare consuevimus, quod accidens non est, sed per se ens.

40 Resp. ad Confirm. quod Anima in corpore tanquam in subjecto esse dicitur, non quidem inhæsionis sed informationis, & eo pacto quo forma substantialis in materia, vel actus in suo perfectibili. Quapropter non inde consequitur Animam non esse substantiam, sed aliquod accidens.

41 Esto hæc sit communis & receptissima in Scholis sententia, attamen nonnulli recentiores à communi sensu & Peripatetica doctrina recedentes Animæ substantiam longè aliter statuunt, præsertim quoad Animam brutorum spectat. Inter quos Petrus Gassendi heio cap. 3. negat Animam brutorum esse talen formam, qualem vulgo Peripatetici describunt, substantiam videlicet quandam, quæ non sit ex nihilo facta, sed de materia sinu & potentia educta. Afferit autem, potius esse Animam substantiam quandam tenuissimam, ac veluti florem materiæ cum speciali dispositione & symmetria partium intra ipsam corporis crassiorem massam degentem. Siquidem prout substantia est,

est ob sui motus etem agendi principium esse potest : quatenus vero est tali symmetria , partimque dispositione , tali modo agere potest , quatenusque non est , non potest . Ait præterea sibi videri ealem substantiam esse contexturam subtilissimorum ac summe mobilium corpusculorum , iis non absimili um , ex quibus ignis vel calor procreatur : quorum motu & diffusione per corpus calor in partibus ipsius progignatur . Additque videri sibi Animam proinde esse quandam flammulam , ignis vetentissimi speciem , quæ quandiu viget , seu manet accensa , tandiu vivit animal ; cum amplius non viget , sed extinguitur , animal moritur . Ea de causa exigi ait in reliquo corpore capacitates quasdam meatusque minimè obstructos , in quibus talis ignis sive flamma libertatem motionis habeat : tum etiam desiderari in ipsis ignis flammulæve partibus intervallula , sive laxitatem , ob quam suam illam agitationem incessantem tueri possit .

40 Probat imprimis hanc suam opinionem autoritate Democriti , Leucippi , & aliorum Antiquorum , qui id visi sunt a struere , sed & ipsius Platonis in Timæo assertentis , animal omne habere in sanguine ac venis calorem quasi fontem ignis πυλων πυρος . Immo in hanc sententiam Aristotelem trahere nititur , eò quod lib. de respirat. animal. c. 8. dixerit Animam non esse ζευς τε φυκη πυρος , absque igne naturali . Et iterum , quod Animam in corpore natura accenderit . Etrursus , egeræ respiratione naturam animalium ob factam in corde Animæ inflammationem .

31 Præterea id ipsum multis rationibus confirmare aititur . Et primò quidem , ex effectu ipsius caloris , qui sensibilis admodum est , ac aliud tandem perseverat in corpore , quandiu Anima est in illo : tum perit cura ea desinit . Negre valet dicere , Animam potius soveriservarique a calore : constat enim calorem in corpore nullatenus reperiri nisi ob motum , actionemve alicujus interni principii , quod non nisi Anima esse potest , cuius effectus sit ille calor .

42 Secundò ex continua indigentia , depastioneqæ pabuli . Quippe ut flammula lucernæ constare sine eo

quod continentē depaſcatur, non potest, & ne p̄ā
marcore extinguitur, olerū ſufficiendum per intervalla
la eſt: na videmus Animam non conſilare in corpori
ſine idoneo alimento, quod incessanter pabuletur, &
ne p̄ā macie pereat, aſſumendum eſſe per intervalla
alimentum, ut ſit quod ſuccedat in abſumpti locum.

43 Confirmatur: quoniam alimentum idoneum non
eſt, niſi quatenus pingue eſt, inflammabileve quip-
piam continet. Unde neque aqua, neque res purē ma-
cræ nutriunt, ſed panis, ſed vinum, ſed cetera om-
nia, ex quibus potest elici, ſeu in quibus continentur
ſpiritus aqua vitæ dictus, quemque accendi poſſe mani-
festum eſt. Et quamvis rurſus dicatur talem depaſtio-
nem fieri non ab Anima ſed a calore ejus instrumento;
pro nunc tamen eſt intelligere Animam, cūm ſit cauſa
principalis calore tanquam instrumento utens, igneā
eſſe.

44 Tertiō ex motione continua cordis, arteriarum
que cohaerentium. Etenim cūm pinguis illa inflamma-
bilis que materia contineatur in ſanguine, neceſſe fuit
ſanguinem, ne turgendo frigesceret, coagulareturque,
agitari continuo, ſive intra cor iplsum, quod, teste
Aristotele, eſt quaſi lares, focusque, quo naturæ fomi-
tes, & quaſi primordia ignis nativi contineantur, at-
que ferventur: ſive intra ipsas non modo arterias, ve-
rū etiam venas ab arteriis apposite adimitis continuo
pulſatas, que ſunt quaſi ubi derivatum ignem in ſe con-
tinente, & in universum corpus diſtribuentे.

45 Quartō ex actione ipsa pulmonis, respirandique
neceſſitate. Siquidem pulmo, vicem folium, atque
ſlabelli gerit, tum ut fervor ille ſit temperatior, ignis
que mitior & commiſta portione aëris evadat: tum etiam
quaſi fuligines variæ ex ſanguine, ſeu ignis mate-
ria non omnino pura excernantur, neceſſe ſit aërem in-
ſpiratum exſpirari, ut unā cum eo fuligines expectoren-
ter, forasque mittantur; quando alioquin igniculum
illum brevi ſuffocarent, corque iplsum opprimerent,
ut fumus ignem ad caminum, aut intra lampadem, niſi
ſpiramentum, quo excedat, pateat.

46 Quinto ad comprobatur ex mira illa efficacia ſive
ener-

energia, quæ res adeo tenuis ac est Anima, vim tantam habet conseruandi tantam molem, quantum est corpus. Quæ sane vis ac energia propria ignis videatur, quem tam manifesta apparet in flamma excitata ex pulvere pyrio. Quibus omnibus accedit motio continua, qua agitatæ intra phantasiam imagines rerum nunquam interquiescunt: unde & sit in animali cogitatio continua, quæ non inter vigilandum modo, verum etiam inter dormiendum ex insomniis comprobatur. Ex quibus arguitur esse Animam in continuo motu instar ignis, seu mavis flammæ, cuius, quandiu vigeret, agitatio perpetua est.

46 Modum autem, quo hæc Animæ flamma in corpore accendatur, ita declarat. Concipiendum est, inquit, semen, è quo animal gignitur, esse animatum, hoc est, continens partem Animæ per corpus generantis fusæ; quæ veluti candela ex illa face Animæ generantis subtrahitur; atque inde subducta in matricem immittitur, ubi accensa permanet, & ex adhibitis illi continua suffectione alimenti partibus evadit animal simile priori. Et quemadmodum ex una face possunt aliæ plures illa subductione, adhibitioneque accendi, & ex iis iterum plures aliæ atque aliæ in longum tempus, adeo ut & prima, & aliis succedenter extinctis concipiatur tamen flammam nunquam fuisse extinctam, & eam, quæ in nuperis est, a prima fuisse derivatam; ita ex creatis à Mundi exordio animalibus fuisse Animam ex decisione feminis & appositione alimenti in plura, pluraque ad hoc usque tempus propagatam, ac primis licet, aliisque extinctis, ipsam tamen semper in aliquibus constitisse, uti & constat etiam in iis, quæ jam sunt; ipsaque non aliunde quam a prima illa originem habens. Hinc quamplures Antiqui semen appellabant, *A vulsa Animæ corporis partem*. Hæc & plura ibi Gassendus.

47 Evidem negari non potest nihil magis consentaneè naturam & operationes ipsius Animæ exprimere, quam ipsam lucem, vel ignem; qui etiam egregium ipsius Divinæ Magestatis symbolum & insigne à Sapientibus semper reputatus est. Unde & Deuter. cap. 4.

dicitur, *Dens noster ignis consumens est*. Quoniam scilicet ut notat D. Thomas Opusc. 70. ex D. Dionysio c. 15. Cœlest. Hierarchy. Ignis maxime accommodus est ad divinas proprietates atque dotes designandas, tum ratione subtilitatis, tum ratione luminis, cum ratione virtutis activæ, nec non motus atque nobilioris situs. Quibus & de causis Animæ, quæ est quædam divinitatis participatio nobilis, dotes & operationes congruentissimè significat. Attamen non esse re ipsa Ignem, quallem nos in usu habemus, aut Elementaris Ignis particulam prob. imprimis opposita Gassendi fundamenta evertendo. Etenim, ut experientia constat, tanti nos homines vitam protrahimus, quandiu in nobis calor naturalis, & flammula illa viget, quam ipse Animam dicit: & tamen constat ejusmodi calorem sive flammatum non esse in nobis Animam, sed dispositionem corporis ad susceptionem Animæ: ergo neque in bruis. Minor prob. etenim si in nobis esset Animæ quædam, plures essent in uno corpore Animæ, & separata. Anima rationali, etiamnum homo per aliam Animam vivere eo planè modo quo Animalia cætera posset: Animam illam retinendo, quæ prius advenerat, quam Rationalis: siquidem & Embryo calore præditus est atque Animæ sensitiva ante adventum Rationalis.

48 Deinde humido radicali deperdito etiam & ipsum animal perit: si igitur Anima dicitur esse ignis subtilior & flammula quædam, ex eo quod calore naturali evanescente perit Animal & moritur, eadem ratione & Anima censenda erit esse quid humidum & aqueum; quoniam isto evaporante vita amittitur Animalis. Tertio, quod Animal cibo indigeat, & eum ceu pabulum depascatur ad reficiendum se, solùm probat illud calorem naturali ceu instrumento quodam Animæ præditum esse: etenim si Anima in se & ut forma corporis refici indigeret, omni momento mutaretur, creceret ac decresceret, subindeque eadem specie non permaneret: quoniam species rerum sunt veluti numeri, quibus si quid addatur, statim species variatur.

49 Prob. 2. si Anima esset ignis quidam subtilior, oporteret Ignem Elementarem esse etiam Anima prædi-
tum:

tum: si quidem cum in pluribus aliquid per participationem invenitur, oportet esse aliquod primum in eogenere, in quo illud per se maximè reperiatur, ut patet per singula discurrenti: sed in genere calidorum primatum obtinet Ignis: ergo si Anima Ignis quidam subtilior est, & flammula, oportet ut Ignis Elementum potissimè Anima præditum sit sensitiva. Eò preferunt quia omnes istæ operationes, ex quibus ille conjicit Animam esse Ignem quendam, Igni elementari competant. Dicere autem Ignem & alia Elementa esse Animam sensitiva prædicta absurdum est, immo & erroneum ut constat ex D. Hieronymus in Catena Aurea D. Thomæ, ad cap. 8. D. Matth. ubi explicans ea verba: *Surgens Christus imperavit ventis, & Mari, & facta est tranquillitas*, ita scribit: *Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creature sentiant Creatorem: quibus enim imperatur, sentiunt imperantem: non more hereticorum, qui putant omnia Animantia sensibilia esse: sed majestate conditoris, quæ apud nos insensibilia sunt, illi sensibilia sunt.*

50 Prob. 3. ubi sunt plura inter se diversa, ut unum quidpiam constituant, oportet ut ratione alicujus ad unitatem reducantur: sed illa corpuscula maxime mobilia sunt plura, & inter se diversa, nec enim Animal ex solis igneis constare potest: ergo necessum est, ut ratione alicujus principii reducantur ad unitatem, & cum hæc unitas sit naturalis, & substancialis, oportet esse aliquod substancialie principium illa ad unitatem reducens, & continens, quod non aliud esse potest, quam quedam forma substancialis, sive Anima. Non igitur illa corpuscula sunt Anima, quoniam non habent ex se unde ad unitatem aliquam reduci possint: & præterea omni momento mutantur; & exsiliunt per poros, subindeque Anima in continua trasmutatione, incrementoque ac decremente versaretur: quam tamen, si perfecta sit, indivisibilem esse oportet, ut infra ostendetur.

51 Rationes vero in oppositum adductæ nil aliud concludunt, nisi in corpore animato vigere debere calorem naturalem, cœu instrumentum Animæ, ac me-

dium congruentia efficiens congruere Animam cum corpore, & ē converso. Inde enim promanat, ut extincto eo deservatur Animal; quoniam forma in materia propria non continetur nisi ratione dispositum. Et hac de causa Aristoteles dixit, Animam non esse absque igne naturali, seu medio nimis congruentia, ac dispositione. Unde & principium operationum vitalium dicitur, non quidem principale atque primum seu radicale, sed instrumentale. Et quibus ad cætera solutio patet.

ARTICULUS TERTIUS

Platonis de Anima sententia proponitur & explicatur.

57 **D**ivinus Plato, ut refert D. Thom. q. unica de Anima art. 5. c. imprimis asseruit Animam rationis compotem nedum formam esse per se subsistente, sed etiam in se completam speciei habere naturam. Quapropter non se habere ad corpus veluti substantiale illius formam, sed sicuti nautam ad navim, vel motorem ad mobile. Cujus opinio communiter rejicitur; quoniam Anima est id quo corpus humanum habet esse actu, vitam, atque speciem, & subinde illius substantialis forma esse debet.

58 Insuper affirmavit Animam esse quidpiam ex suis elementis, sive principiis constitutam, quæ quidem numeros quosdam harmonicos esse dixit, id est, consonantes, & naturalem harmoniam concentum habentes, & juxta ipsum secundum motus ferari consonantes, hoc est, proportiones aptas, concinnas, concordes, atque proportionatas operari. Quam doctrinam in Timæo tradit: potissimum de Anima ipsius Cœli loquens. Arbitratus est enim Cœlum ipsum esse animatum seu quodam immortale Anima intellectiva, quam in quarto Intellectualium entium gradu collocavit. Sex enim ejusmodi entium gradus ipse distinxit, ut asserit Apuleius lib. de Deo Socratis. In primo Summum Deum constituit, quem nuncupavit per se bonum, & per se unum; quem etiam

etiam patrem Deorum dixit. In secundo Deos secundos collocavit; quo secundas bonitates & unitates immediate primam participantes existimavit. In tertio Intellectus posuit Separatos, quos Peripatetici Intelligentias vocant. In quarto Animas Cœlorum, quæ quidem licet secundum naturam suam sint intellectuales, tamen sunt Corporibus colligatae Cœlestibus. Et quoniam ista inter corpora sunt nobilissima, Animas Cœlorum inter omnia Animarum genera nobilissimas esse affirmavit. In quinto gradu Animas Dæmonum apposuit, quas arbitratus est intellectivas esse: sed tamen corpore aëreo indutas. In sexto denique gradu Animas humanas collocavit, quæ licet intellectivæ sint, tamen infirmæ sunt, subindeque inter omnia entia intellectualia ignobiliores; quoniam & ipsæ ignobiliori corpori sociantur, terrestri, opaco, fætulento, & corruptibili.

59 Hanc igitur Cœli Animam Plato è numeris harmonicis atque consonantiis constitutam esse duplice de causa dixit, ut refert Arist. lib. 2. de Cœlo, & Macrobius in Som. Scip. Quarum prima est, quia ipse cum Phythagoricis sensit, ut diximus supra, ex variis Sphærarum Cœlestium motibus sonos musicos ac maximè consonantes effici: & idcirco oportere Cœlorum Animas ex numeris harmonicis componi, ut illas in Cœlis efficere possent, dum eos movent. Secunda causa est: quia unumquodque in suo simili delectatur atque connaturali. Videns igitur Plato Animas nostras rebus delectari proportionatis atque inter se consonantibus, ut puta Visus luce temperata delectatur, excellenti autem offenditur, veluti dum irreverberata oculorum acie Solis radios intuerit: & delectatur pariter Auditus sono mediocre atque musico sive consonanti, acuto autem perterritur aut contristatur, veluti horrendo tonitrui sono, dicit Animam imprimis Cœli, & deinde Animas nostras, quæ hujusmodi Cœli Animam imitantur, componi ex numeris harmonicis, sive musicis.

60 Quinam autem sint hi numeri, & quas proprietates fortiantur ipse ibidem declarat numerans, 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. qui in se quinque continent proprietates, consonantiam, aspectum rectum, duplceil coordinatio-

nem, identitatem ac diversitatem, reflexionem in circulum. Imprimis quidem consonantiam habent, in eis enim præcipue Musicae consonantiae reperiuntur; videlicet Diapason, Diapente, Diatessaron, ex Diapason atq; Diatessaron Composita, ex Diapason & Diapente comp̄sita, atque Tonus. Inter unum enim ac duo Diapason reperitur, quoniam ibi est proportio dupla. Inter duo & tria est Diapente, quoniam ibi servatur proportio sesquialtera. Inter tria & quatuor invenitur Diatessaron, quia servatur proportio sesquitercia. Inter tria & octo reperitur consonantia composita ex Diapason & Diatessaron, quia ibi servatur proportio dupla superbipartiens: nam octo continet bis tria & duas unitates. Inter octo & nouem est Tonus, nam ibi servatur proportio sesquioc̄tava: quia novem continet octo & octavæ partem. Inter novem denique & viginti septem est consonantia composita ex Diapason ac Diapente; quoniam ibi servatur proportio tripla: nam ter novem viginti septem constituant. Hoc igitur pacto in istis numeris consonantiae musicæ clauduntur.

61 Secundò aspectum rectum in hoc sensu continent, quod numerus posterior priorem semper excedit. Patet enim quod duo excedunt unum, & tria superant duo &c. Tertio duplicem coordinationem claudunt, unam parium, aliam disparium: nam duo, quatuor, octo, pares numeri sunt; tria, novem, viginti septem impares. Pares numeri a Platone dupli nominantur; nam duo bis unum, quatuor bis duo, & octo bis quatuor continet: impares vero tripli; nam tria ter unum continent, novem ter tria, & vigintiseptem ter novem. Quartò clauduntur in eis identitas ac diversitas: nam ex parte numerorum imparium est identitas; ex parte vero parium diversitas. Quoniam si omnes numeri impares ordinati invicem comparentur, semper resultabit eadem numeri species, nimisrum quadratus numerus: qui sic dicitur, quoniam ex duetu aliqui numeri semel in seipsum confurgit; v.g. quatuor est numerus quadratus duorum, nam bis duo constituunt quatuor: novem autem est numerus quadratus trium, quoniam

niam ter tria novem efficiunt. Quod autem ex parte parium, si adinvicem comparentur, numerus quadratus pullulet, patet: nam si sumatur unum cum primo impari, quod est tria, quatuor efficiunt, qui est quadratus duorum; deinde si sumatur secundus impar, scilicet quinque & componatur cum quatuor, novem reddunt, qui est quadratus trium, nam ter tria novem constituunt: insuper si tertius impar, scilicet septem, accipiatur, & componatur cum ipsis novem, sexdecim constituunt, qui est quadratus, nam quater quatuor sexdecim reddunt. Tandem si sumatur quartus impar, scilicet novem, & conjungatur cum sexdecim, vigintiquinque constituunt, qui pariter est numerus quadratus, nam quinque quinque reddunt viginti quinque: & sic deinceps procedendo, atque sumendo numeros impares ordinatè, & apponendo priori numero quadrato servatur semper numerus quadratus.

62 Quod autem ex parte numerorum parium sit diversitas declaratur: si numeri pares ordinatè adinvicem componantur diversæ numerorum species constituuntur, & non una & eadem, sicut in numeris imparibus; nam si sumatur primus numerus par, nimis unum duo, & secundus par, scilicet quatuor, & componantur adinvicem constituunt sex, qui dicitur numerus superficialis: si autem accipiatur tertius numerus par, nimis sex, & componatur cum priori sexto, reddunt duodecim, qui numerus solidus appellatur. Patet igitur ex numerorum parium adinvicem adunatione varias resultare species, & subinde in eis diversitatem reperi.

63 Quinto in ejusmodi numeris continetur reflexio quasi circularis: nam in eis procedere possumus ab imparibus ad pares, & è converso à paribus ad impares. Quia si sumatur unitas & binario addatur, fiet impar, nimis ternarius: inde addatur quaternario fiet impar, scil. quinarius: inde addatur octonario fiet iterum impar, videlicet novenarius. Ex parte vero imparium si eis ordinatè addatur unitas, fiet processus ad numeros pares. Nam si ternario addatur unitas, quaternarius exurget, & si novenario addatur uncas, efficietur dena-

denarius, & si vigesimo septenario addatur, resultabit vigesimus octonarius, & sic de cæteris.

64 Hæ omnes proprietates in hilce numeris inventæ primo quidem Animæ Cœli competunt, sicuti alibi declaratum est: & ex consequenti ipsi Animæ humanae cujus operationes Cœlorum motibus quodammodo similantur. Et imprimis quidem in Anima nostra consonantia quædam atque proportio respectu suarum operationum reperitur. Omnes namque Animæ potentiae naturaliter in suos feruntur actus secundum consonantiam quandam; ut patet in Visu, qui ex tenebris atque luce intensa offenditur; delectatur vero in temperate lucido, & pulchris coloribus. Item calor intensus aut nimia frigiditas Tactum offendit, delectatur vero in tangibili proportionato, & consonante; & idem de cæteris Animæ potentiis proportione servata experimur. Qua de causa Hipparchus egregie dixit, Animam habere sensum harmoniæ connaturalcm.

65 Secundo aspectus rectus in Anima invenitur respectu rerum cognoscibilium extra illam existentium. Anima enim omnia entia naturalia, præsertim sensibilia, directè cognoscit, prout in Intellectu intelligibles sui species causant. Tertio in ea reperitur reflexio quasi circularis prout seipsum intelligit; hæc enim intellectio ab ipsa incipiens Anima ad objecta sensibilia quodammodo egreditur, & postea ad ipsam reddit Aniam, quatenus seipsum ex sensibilibus intellectis cognoscit. Quartò in Anima duplex reperitur ordinatio ob duplum illius cognoscendi modum, nimirum cognitione sensitiva atque intellectiva: quæ in hoc distinguuntur, quodd sensatio est à potentia organica & circa singulam; intellectio vero organum non requirit, & circa universalia negotiatur. Hic igitur duplex cognoscendi modus, duplex nominatur coordinatio.

66 Quinto reperitur in Anima identitas atque diversitas ob varias illius potentias. In potentiis enim intellectivis est identitas, quoniam sunt simplices, immateriales, & intellectivæ. In potentiis autem vegetativis, sensitivis, atque appetitivis, ac loco motivis, seu executivis invenitur diversitas: quoniam sunt organicæ,

subindeque extensa per accidens ac materiales. Hoc igitur modo affirmavit Plato Animam esse numerum, harmonicum, & in ea numerorum musicorum proprietates reperiri, ut per id ostenderet divinam illius symmetriam quoad virtutes, essentiam, & operationes; re ipsa quidem tamen existimavit eam esse substantialem corporis formam, sive assistentem, sive informantem.

67 Cùm autem, ut notat Arist. hic lib. 1. res omnes judicemus, alias quidem Intellectu, alias Scientia, alias autem opinione, & alias sensu: Intellectum dixit correspondere uni, & esse ex natura primæ unitatis, tum quia id quod intelligitur, debet esse quodammodo unum, tum quia maxime ad unum tendit, ut supra explicuimus. Scientiam vero dixit primæ dualitati correspondere: quoniam Scientia est ab uno ad unum, scil. ex principiis ad conclusiones. Opinionem autem primæ trinitati seu numero ternario; quia opinio est ex uno ad duo, nimis ex principio aliquo ad conclusiones duas, quarum uni magis adhaeret, tamen cum formidine partis alterius. Sensem denique ex prima quaternitate constare affirmavit; quia sensus est solidorum, sive corporum, corpus autem ex quatuor angulis constat. Sic ergo Plato fecit Animam ex hisce principiis, seu elementis numerorum, quia simile simili cognoscitur.

68 Insuper Animæ nostræ operations motibus Cœlorum assimilari arbitratus est. In Cœlo enim duplex est motus: unus ab Oriente ad Occidentem, quo Primum Mobile singulis quibusque diebus moveri deprehenditur: alius è converso ab Occidente in Orientem, qui est proprius Planetarum, & septiformis est, quoniam septem ipsi sunt. Sic in intellectione accidere dixit. Nam imprimis hæc duplex est, altera qua Substanties intelligit separatas, sive Divina entia, quæ motui Primi Mobilis assimilatur; est enim nobilissima ac simplicissima, quoniam hujusmodi sunt objecta simplicia nobilissimaque: secunda est, qua intelligit entia corporea inferiora, quæ motui Planetarum assimilatur; est enim inferior atque ignobilior prima eò quod ejusmodi entia sunt Substantiis Separatis ignobiliora. Et cùm isti

sint isti motus septem, haꝝ quoque in collectiones sepm assignavit, secundum diversa corporalia objecta distinctas. Harum prima & secunda in ordine est, qua Elementa intelligit; secunda qua Mixta imperfecta, ut Meteorologicas impresiones: tertia, qua Mixta perfecta inanimata noscit, ut Mineralia & Lapidès: quarta qua Vegetativa, ut Plantas: quinta, qua Sensitiva immobilia intelligit: sexta, qua Sensitiva secundum locum mobilia cognoscit: & septima denique circa Rationalia versatur. Et hæc de Platonis opinione satis superque dicta, quæ ex D. Thoma, D. Alberto Magno, Marsilio Ficino, & aliis excerpta sunt & pro majori parte refert Javellus epitome sup. lib. I. de Anima tract. 2.

LIBER SECUNDUS DE ANIMA.

Confutatis toto superiori Libro Veterum de natura ipsius Animæ opinionibus, & ostendo quid Anima non sit, in hoc Philosophus quid ipsa sit, quasve proprietates habeat explicare aggreditur. Distribuitur hic Liber in quatuor præci-
puas partes. In quarum prima duas tradit ipsius Animæ definitiones quod quid est ipsius explicantes. In secunda de potentias Animæ in communi agit. In tertia de potentias Animæ Vegetativæ. In quarta tandem de potentiis Animæ sensitivæ.



61

QUÆSTIO III.

DE ANIMÆ

Natura & quidditate secundum Peripateticos & veram sententiam.

Quoniam, ut diximus, primus Sapientiae gradus est falsa confutare, secundus autem veritatem stabilire, relatis & confutatis Veterum de essentia & quidditate Animaë insulsis opinionibus, superest, ut Aristotelicam & veram de hac re opinionem constituamus.

ARTICULUS PRIMUS

Vtrum Anima recte à Philosopho definiatur, Actus primus corporis Physici organici &c.

1 **D**uplicem ipsius Animæ definitionem traditam nobis reliquit Arist. hic lib. 2. c. 2. Quarum prima est: *Actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*. In hac definitione, *Actus*, loco generis est!. In Graeco, habetur hæc vox ἐντελεχεία, quam ab Aristotele inventam & excogitatam esse inconfesso est apud omnes: & inter alios notarunt Cicero lib. 1. quæst. Tuscul. & Themistius lib. 2. de Anima c. 1. *Animam, ait, formam & speciem, entelechiam vocat, seu novo usus & horrenti vocabulo.*

2 Circa significationem illius genuinam non contentiunt Autores. Imprimis enim Cicero ibidem illam continuam & perennem interpretatur motionem: *Aristoteles, inquit, ipsum Animum ἐντελεχέιαν appellat novo nomine, quasi continuatam quandam motionem, & perennem*. Sed à quibusdam redarguitur imprimis Cicero quod entelechiam, per ♂ & non per ♀ scripsit.

Qua-

Quoniam endelechia non est novum nomen, sed multo ante Aristotelem ab aliis Autoribus Græcis usurpatum, veluti à Cherilo. Et Lucianus endelechiam prius dictam in entelechiam declinasse notat. Reprehenditur etiam ejus interpretatio, qua eam vocem asserit, continuatam quandam & perennem motionem significare. Etenim Anima non motio, sed *ousia*, substantia est, *ēidos*, species, & *μορφή*, forma rei, actusque primitus corporis physici. Conatur Cœlius Rhodiginus lib. 10. c. 22. Ciceronem excusare asserens illud *interpretamentum subdititium esse*, nec de summi autoris officina propagatum; sed ab sciolis & male feriatis insertum, quod genus multa agnoscimus, tum Græcè tum Latine. Alii suspicantur in hac interpretatione eum secutum fuisse Platонem, qui dixit Animam esse numerum se ipsum moventem. Quò respiciens Philo Hebræus insignis Platonicus lib. Quòd Mundus sit incorruptibilis dixit, *Cadet in Deum mors si cadat & quies*. Quoniam si Anima perpetuum motum ademeris, ipsam quoque eximes vita.

3 Unde relicta Ciceronis interpretatione alii hanc vocem deducunt è vocibus Græcis *iv*, quod est, *unum*, & *τέλος*, quod est, perfectum, atque *ένειον*, quod est habere, seu continere: ita ut entelechia sit forma sive perfectio continens corpus in esse vivi, & qua recedente vita quoque à corpore abscedat. Nam *Anima*, ut scribit Philosophus lib. 1. tex. 91. *videtur corpus continere: egrediente enim expirat & putrescit*. Alii vero vocem hanc derivant à præpositione græca *in*, hoc est, *in*, sive *intra* & *τέλος*, finis, & Verbo, habere: qualis in se habens suam perfectionem, & finem, est enim finis & perfectio corporis animati. Alii dictam *Animam* Entelechiam putant, quasi perfectum habentem: quoniam Anima perfectionem omnem in vivente repertam præhabet atque corpori animato tribuit. Sumitur hæc vox quandoque apud Aristotelem pro forma informante, quandoque vero pro forma assistente, ut constat ex tex. 11. ubi nauta entelechia navis appellatur: *Adhuc, ait, immanifestum est, si sic corporis entelechia Anima, sicut nauta navis*. Immo & pro-

forma omnino spirituali & per se subsistente : ut constat ex lib. 12. Metaphys. tex. 49. ubi Intelligentiam entelechiam appellat. Usurpatur præterea pro ipsa forma accidentalí qualitativa , quæ est quodammodo principium operationis : immo & pro ipsa operatione , ut videre est in hoc lib. 2. c. 1.

4 Significat itaque mea sententia qualicunque , hæc vox Entelechia in definitione Animæ apposita , speciam quandam perfectionem & vim se moventem, suæque operationes ex se derivantem , atque dirigentem , & continentem corpus in operatione vitæ atque motus vitalis , & ab intrinseco procedentis . Quod colligo ex D. Thoma hic lib. 1. lect. 14. ubi explicans cit. Arist. verba ait : *Animæ continet corpus* . Videmus enim , quod egrediente Anima à corpore corpus deficit & marcescit : Quia Animæ est continere & regere . Unde quo perfectior est Anima eo perfectius habet continere & regere corpus , pluresque ac nobiliores ex se operationes derivare . Vel dicitur Entelechia , quia est veluti ultima perfectio complectens naturæ fluxum : quoniam cæteræ inanimatorum formæ non habent esse compleatum ultima naturæ perfectione , cum eis desit vita . Qua forsitan de causa Aristoteles lib. 1. de Animatex. 82. dixit : *Materiæ comparantur Elementa* . Atque præstabilissimum id esse patet , quod continet , quidquid id tandem sit . Anima autem aliquid esse melius , & quod principatum obtineat ? impossibile est . q. d. quidquid continet aliud est perfectius illo , unde corpora simplicia quo superiora , & continentia alia , eò perfectiora sunt , & quodammodo alia regunt , atque perficiunt , & idcirco Anima continens corpus quid perfectissimum est in genere formarum cæteras perficiens , & veluti regens : & idcirco Entelechia dicta , hoc est , perfectihabia , ut interpretatur Hermolaus Barbarus . Per quod à ceteris Elementorum , & Mixtorum inanimorum formis distinguitur .

5 Dicitur , *primus* , nimirum via perfectionis , & ordine actualitatis essendi , quia est ut prima perfectio rei animatæ dans speciem , atque potentiam materiæ ultimè finiens atque perficiens . Hinc differt , tum à formis

mis accidentalibus quæ rei speciem & esse simpliciter non præstant ; sed secundum quid duntaxat , cùm etiam à formis substantialibus genericis , quæ potentiam materiae ultimò non finiunt ac determinant seu perficiunt , sed ulterioris perfectionis susceptricem in linea corporæ substantiæ relinquunt : mixtum enim quodlibet in potentia est ad ipsum esse substantiale , & speciem viventis seu animati . Ultra autem esse animati perfecti non supersunt nisi conditiones individuales & accidentia ; ut existentia , subsistentia &c. Unde additur corporis physicæ , id est Naturalis & cui debetur existentia .

6 Vel dicitur actus primus ad designandum , quòd quamvis ipsa Anima sit Entelechia , seu quidpiam actuosum & energicum , non tamen per modum actus secundi , qui est operatio , sed ut actus primus , qui est forma habituata ab operationem , sive per modum habitus . Unde Philoponus super tex. 2. lib. 2. ita scribit : In duas partes Entelechiam Philosophus dividit : alteram secundum habitum , alteram secundum operationem dicit . Hoc autem facit , quia hæc divisio ad definitionis Anima assignationem utilis est . Cum enim sit duplex Entelechia , altera secundum habitum , quæ tempore & natura prima est ; altera quæ est operatio ab hac existens , Anima est Entelechia prima . Ita etiam D. Thomas & D. Alb. Mag.

7 Dominus Caietanus hic lib. 2. c. 4. q. 2. Animam dici primum corporis actum edocet , non modo ut ab operatione , verū etiam ut à formis rerum naturalium inanimarum distinguiatur : quæ nunquam ab operatione , seu actu secundo cessant , casu quo non impediantur , ut in ascensu levium , & descensu gravium manifestum est , ignisque calefactione . Quia ex natura rei ab ipso generante ad unum determinatae sunt . At vero Anima ab operatione cessare , & revocare se potest . Quam explicationem amplectuntur communiter Interpretes . Et hanc fuisse Aristotelis mentem ex eo deduci videtur , quod hujusmodi actum primum cum habitu scientiæ , & somno contulerit ; actum vero secundum cum vigilia , & considerare . Somnus autem quietem , & cessationem ab actu inducit ; habitus vero non est sem-

Semper ad actum considerandi exiens.

8 Tertia particula est, *Corporis Phisici*, hoc est, Naturalis & habentis in se principium sui motus & quietis. Per quod ad Angelis distinguitur, qui licet actus quidam sint, non tamen sunt actus corporis naturalis, sed per se subsistentes & completi. Dicitur etiam physici, ut excludantur corpora Mathematica, & artificia.

9 Quid nomine corporis physici intelligatur, varie admodum explicant autores. Pro intelligentia nota ex S. D. q. de Anima 2. 1. ad 15. in definitionibus formarum aliquando subjectum ut informe constitui; v. g. cum definatur motus: actus entis in potentia: aliquando vero ut formatum; ut cum dicitur lumen esse actum lucidi. Non enim aliquid est lucidum nisi lumine formatum. Et hoc modo, inquit S. D. dicitur anima actus corporis physici: quia anima facit ipsum esse corpus physicum, organicum, sicut lumen prestat ali- quid esse lucidum.

10 Ad cuius plenioram intelligentiam recole superius dicta lib. 1. de gener. & corrupt. q. 1. a. 6. animorum, quod licet in qualibet re sit una tantum quidditas, & forma secundum esse, sunt tamen quodammodo plures secundum essentiam, seu plures gradus formarum quodam ordine aduenientium ipsi materiae primae. Prima, quæ aduenit ordine generationis, est forma corporis metaphysicè loquendo: physice autem, & in re est forma corporis physici determinati ad naturam corporis simplicis, vel mixti, complexionati, vel non complexionati. Et quæ primò aduenit, est ut materiale quidpiam, & formabile per ultimò aduenientem, & concedentem toti composito esse limitatum ad talcm natu- ram, & speciem. Licet igitur esse corporeum, seu co- poreitas secundum esse illud limitatum ab anima actu, & in re adveniat, tamen secundum essentiam, & quasi metaphysicè ratio corporis intelligitur præcedere ipsam rationem animæ, & primò aduenire materiae quam ipsa animæ ratio: & hoc pacto subjectum animæ dici- tur totum compositum ex materia & forma corporis. Nec tamen inde sequitur quod accidentaliter animæ ra-

tio corpori adveniat, quia non addicit secundum esse distinctum, sed penes idem esse, licet sit diversus essentiæ gradus. Videatur D. Th. loc. cit.

11 Ratio autem pro hac explicatione sumitur ex S. D. loc. cit. lec. 1. Anima non constituitur, nec diffinitur hic secundum rationem genericam formæ substancialis, sed ut Anima est, præbens subjecto sui suscep-tivo esse vivum: sed proprium susceptivum Animæ, ut Anima est, non est ipsa materia prima nude sumpta; sed quatenus in ipsa præintelligitur ratio corporei: ergo nomine corporis non materia prima nude sumpta, sed ut formata gradu corporeitatis, seu compositum ipsum venit hic intelligendum. Prob. minor: formæ substanciales ordine quodam ipsi materiæ adveniunt: ergo, cum forma corporis physici sit prior Anima, saltem secundum gradum essentiæ præintelligitur in materia, antequam intelligatur Animæ ratio illi advenire: licet secundum esse actu limitatum & in re, corpus ab Anima habeat, & quod sit, & quod corpus sit, & quod sit corpus vitæ susceptivum.

12 Quarta particula est, Organici, id est, constan-tis partibus diversæ rationis, & habentis diversitatem organorum, saltem radicaliter, ad exercendas vitæ opera-tiones, diversas. Unde quanto perfectior Anima fuerit, tanto corpus pluribus hisce partibus organicis confat. Hinc Anima nostra, cum sit inter formas rerum corporalium perfectissima, & plurimum diversarumque operationum principium, in corpore humano plures easque diversas partes organicas exigit: rerum autem inanimarum formæ, cum sint paucarum operationum principia, hujusmodi organorum diversitatem non for-tiuntur, ut docet D. Th. hic lib. 2. lec. 1.

13 Ultima particula est, potentia vitam habentis. Pro cuius explicatione nota ex S. D. hic. lib. 1. lec. ult. dupliciter sumi vitam. Primo substantialiter, seu radicaliter, quo pacto dicit principium radicale, & primum operationum vitalium, seu id quo vivens aptum natura est mouere seipsum, & operari. Qua ratione vita morti opponitur, qua est destructio principii hujusmodi operationum: & sic dicitur quod vivere in viven-tibus

tibus est esse. Secundò accidentaliter , & pro ipsa operatione vitali exerceente principium illud . Unde Phile- sophus lib. 10. Ethic. c. 4. ait , quod vita quædam est operatio . Præterea aliquid dicitur esse in potentia duplíciter , ex eodem S. D. lib. 2. lec. 2. uno modo , cùm non habet operationis principium : alio modo , cùm ha-
bet euidem hujusmodi operationis principium , sed actu secundum ipsum non operatur . Dicitur corpus physicum potentia vitam habens , non quidem primo modo , & ut abjiciens omne principium vitæ , opera-
tionemque vitalem : sed secundo modo , scil. ut habens quidem principium vitæ , sed tamen secundum ipsum non operans . In definitione enim animæ , ut diximus , ponitur subjectum ut formatum , corpusque organicum : non est autem organicum actu , & simpliciter , nec for-
matum , nisi per animam ipsam , quæ prout unita , est ipsa radicalis vira : cuius separatio mors est . Per quod differt à corporibus inanimatis , quæ non sunt potentia vitam habentia , potentia , inquam , non abjiciente principium vitæ , sed abjiciente : quia materia illo-
rum formata est forma tali principio omnimodiè op-
posita .

Solvuntur Argumenta Contraria.

14 Rg. 1. Anima est potissima perfectio : sed actus secundus est perfectior primo : cùm sit finis illius , minusque potentialitatis admixtum ha-
bens : ergo anima potiori jure dicetur actus secundus , quām primus . Conf. esse actum primum omni formæ substanciali competit : ergo non explicat specialem quandam animæ rationem .

15 Dices animam speciali quadam ratione esse ac-
tum primum , nimirum separabilem ab operatione , seu actu secundo : quod aliæ formæ non habent , quam-
vis sint actus primi ipsius materiæ primæ , sub generali formarum substancialium ratione .

16 Contra 1. semper anima vitam insuit ; nam mo-
tus cordis non cessat , aut nutritivæ potentiarum actus , dum anima in corpore persistit : ergo non è dicens est ac-

63 Quæst. IIII. De Anima essentia &c.
tus primus, quod ab actu secundo seu propria operatione cessare possit.

17 Contra 2. si esset anima actus primus ab operatione actuali separabilis, maximè quia positis omnibus requisitis posset operari, vel non operari: quod enim non appositis omnibus requisitis non operetur, speciale quoddam illius privilegium non est; cum hoc omni formæ naturali competit: sed quod positis omnibus requisitis ab operatione cessare possit, omni animæ non competit, sed soli animæ rationali, quæ formarum corporalium ordinem transcendit: ergo non ideo anima speciali privilegio actus primus dici potest, quod ab operatione, seu actu secundo cessare possit.

18 Respondent communiter nostri Thomistæ cum D. Cajetano hic actum secundum formaliter in ratione actus præstantiorem esse quam actum primum: quia minus de potentialitate in ordine ad ulteriorem actum relinquat: licet in esse rei actus primus sit perfectior; quia est substantia, actus autem secundus est accidens. Dices 1. actuare est dare esse: sed actus primus dat perfectius esse, nimirum substantiale: ergo actus primus, etiam in ratione actus, præstantior esse debet. Dices 2. actus in ratione actus eò præstantior est, quò majorem potentialitatem replet: sed anima, seu quilibet actus primus majorem potentialitatem adimpler, nimirum materiæ primæ capacitatem, quæ totius potentialitatis secunda mater est: ergo etiam in ratione actus erit præstantior.

19 Ad 1. replicam responderi potest disting. maj. actuare est dare esse absolute, nego: formando ac terminando, concedo: actus enim est qui terminat ultimè, ac distinguit. Et distingo min. actus primus dat perfectius esse, absolute, concedo: in ratione terminandi, & complendi, nego: quia dat esse primum terminando primam potentiam, scil. materiæ primæ: relinquendo potentiam ad ulteriorem terminationem, quæ fit per actualem operationem. Unde nego conseq. Ad 2. resp. potest eodem modo: nimirum actum eò præstantiorem esse, quò majorem capacitatem replet per modum ultimi termini: forma autem substantialis non adim-

adimpleret totam potentialitatem per modum ultimi termini, cum relinquat subiectum in potentia ad operationem, sed per modum primi termini substantialis finientis potentialitatem in linea essendi absolute, sed non in linea operandi.

20 Resp. 2. quod sicut principium proximum operandi praecise sumptum non est perfectius primo ac radicali principio operandi, quod est forma substantialis; sed est perfectius quatenus radicatur in ipso, & includit ipsum in re: ita & operatio, actusve secundus praecise & ex se non est perfectior primo, sed ut radicatur in ipso, supra ipsum addens actualem terminationem, quam non addit nisi ut radicatur in primo. Unde actus primus simpliciter, & absolute perfectior est actu secundo absolute sumpto: licet non sit perfectior actu secundo ut sibi conjuncto, & in se radicato: quia ut sic est ulteriorem perfectionem addens. Neque actus secundus absolute sumptus est finis primi, sed ut radicatus in primo, & conjunctus illi: quod non obscurè indicat D. Thom. 3. cont. gent. cap. 17. 7. ubi ait: *Finis ultimus cuiuslibet facientis, inquantum est faciens, est ipsem. Utinam enim factis a nobis propter nos. Etsi aliquid aliquando homo propter aliud faciat, hoc refertur in bonum suum, vel utile, vel delectabile, vel honestum. Quasi diceret: operatio est bonum, & perfectio agentis, inquantum agens est, & sic finis illius: non est autem perfectio agentis nisi ut radicatur in forma illius secundum quam determinatur ad esse proprium illius: unde non est finis nisi ipsem faciens, ut actionem fundat, & appropriat ad subiectum operans.*

21 Resp. ad conf. ex dictis quod esse actum primum absolute, & per modum formae substantialiter informatum, est commune omni formae: sed esse actum primum per modum entelechiæ, & vis seipsum moventem est specialis quedam animæ perfectio: & hoc pacto in ejus definitione ponitur.

22 Sustinendo autem communem explicationem, nimirum esse actum primum, quia est ab actu secundo separabilis: resp. ad. 1. replicam quod anima semper vi-

tam substantiale corpori influit, quæ est actus primus; non verò accidentalem, quæ est actus secundus: unde ab actu suo secundo separabilis est. Ad illud de nutritiva resp. D. Al. M. quod actus nutritivæ non ideo dicitur non cessare, quia in quolibet instanti agat; sed quia tempus determinatum sibi præfixum non habeat, ultra quod animal minimè nutriatur: sicut augmentativæ præfixum est tempus, ultra quod non augetur.

23 Ad illud autem de motu cordis resp. ex D. Tho. Opusc. 35 motum cordis à vita inseparabilem esse, quia animam consequitur, ut quædam proprietas naturalis ipsius, ut est forma corporis: sicut motus sursum formam levis consequitur ut est à generante: estque motus cordis cæterarum omnium operationum principium, quæ non se habent ut proprietates sed ut accidentia, unde licet motus cordis semper insit, ut est proprietatis, & principium quoddam operationis; hinc tamen non deducitur quod anima sit actus primus ab operatione inseparabili, sed separabilis ab illa, si simpliciter habeat rationem operationis, & actus secundi.

24 Resp. ad 2. replicam dist. maj. si esset anima actus primus ab operatione separabilis maximè, quia posuit omnibus requisitis ad operandum posset non operari, positivè, & ex proposito ab operatione cessans, nego: hoc enim est proprium solius voluntatis ex proposito semoyentis, & secundum rationem agentis. Quia positis omnibus requisitis posset non operari quasi privative, id est, posset privari actu suo tale principium operans, concedo: quia se habet actus primus per modum somni, in quo virtutes ligatae actibus suis privantur; seu per modum habitus, qui sibi actu suo privatus manet.

25 Arg. 2. illud nomine corporis physici intelligendum venit, quod est realiter & physice immediatum animæ susceptivum: sed anima immediate unitur materia, & in ea recipitur: ergo nomine corporis physici materia prima nudè sumpta intelligenda venit. Min. patet: nam si anima non uniretur immediate ipsi materiae primæ, supponeret aliam formam substantialem corporis in ipsa, unde adveniret ei accidentaliter, vel in eodem compagno plures formæ substantiales inveniuntur.

26 Confirm. subjectum proprium formæ susceptivum debet realiter ab ipsa distinguuntur: sed esse corporeum non distinguitur realiter ab ipsa anima: ergo non est proprium susceptivum ejus. Maj. patet, quia subjectum habet rationem causæ materialis respectu formæ: & est participans formam: nihil autem est causa sui ipsius, vel seipsum participat. Min. etiam est evidens: quia ex S. D. ab ipsa anima corpus habet quod sit, & quod sit corpus physicum, & animatum. Conf. 2. etiam forma lapidis prius tribuit esse substantiale & corporeum, & huic addit proprietatem, & specificam rationem: ergo esse corporeum non erit proprium, & peculiare susceptivum animæ, sed etiam cuiuslibet alterius formæ.

27 Resp. ad arg. dist. maj. nomine corporis physici intelligitur id quod est realiter & physicè subjectum susceptivum animæ, ut informe, & per modum subjecti ex quo fiat totum, nego maj. ut formatum, & per modum subjecti in quo est anima secundum suum effectum formalem, & ut determinat corpus ad certam naturam & speciem, conc. maj. Ad minorem dico animam, ut quædam forma substantialis est, immediate uniri materiae ut subjecto ex quo & ipsa fit totum: at vero si sumatur formaliter ut anima est determinans rem ad speciem, naturam potentem seipsam movere, & exercere operationes suas, tunc immediate non unitur materiae ut subjecto ex quo & ipsa fiat totum, sed presupponit in ea rationem corporis physici organici, tanquam subjecti proportionati ad exercendas proprias operationes suas, non quod presupponat corpus physicum ut determinatum ad certam speciem, & naturam, & ut existens in re, sed per modum essentia formabilis, ac determinabilis ad esse actu talem naturam per ipsam animam, quæ determinativa est ad ultimam speciem, & naturam.

28 Ad prob. autem dico, quod anima, ut anima ~~est~~, supponit in materia aliam formam scilicet corporeitatis inchoative, secundum essentiam, & quasi metaphysicè, non vero secundum esse actu, & physicè. Nec realiter & physicè sunt ibi duas formæ secundum esse actu, sed secundum essentiam, & virtualiter, una ut determinabilis, alia ut determinans ipsam ad certam speciem. Unde

anima non advenit ei accidentaliter, quia adveniens metaphysicè rationem ejus ad unum esse naturæ determinat, ratione cuius physicè est una forma. Vide ea quæ diximus lib. de gener. q. 1. a. 6. & 7.

29 Resp. ad 1. conf. dist. maj. subjectum proprium formæ susceptivum debet ab ea realiter distingui, si sumatur ut est informe, & in potentia ad ipsam formam secundum se, concedo: si sumatur ut formatum, & ut exercens effectum formalem ipsius formæ, nego. Sicut lucidum est subjectum lucis, formatum tamen, & ut exercens effectum formalem illius; unde à luce non distinguitur realiter, nisi realitate extrinseca: ut superius diximus de relatione tomo 2. q. 8. a. 6. Corpus antea physicum organicum in hac definitione constituitur ut subjectum formatum actu animæ, secundum quod dat esse corporeum, licet formabile sit, prout esse corporeum est quædam essentia, & gradus determinabilis per animam, ut anima est, & principium mouendi intrinsecum. Unde corpus physicum potius videtur dicendum susceptivum metaphysicum, quam physicum: quatenus materia prima non suscipit animam ut anima est, ac principium vitæ, nisi prout præintelligitur in ipsa ratio corporis physici organici inchoatiæ, & ut determinabilis per animam ut est ultimò finiens speciem. Ad quod sufficit virtualis distinctio.

30 Resp. ad 2. conf. dist. antec. forma lapidis dat esse corporeum, & huic addit propriam rationem formæ, ultimò finiendo potentiam materiæ, & corporis indeterminationem, nego antecedens: dicitur anima actus corporis organici, quodammodo relinquendo in potentia ad ulteriorem speciem, seu gradum perfectionem, concedo. Unde simpliciter non est actus corporis, sicut anima, quæ ex se in genere corporalium est ultima forma, ultimò finiens potentiam materiæ, & corporis, ut est primus gradus determinabilis per ipsas formas subsequentes.

31 Arg. 3. per vocem, *Organicum*, vel intelligitur corpus organicum substantiali organisatione, vel accidentalis, & habente actu partium diversitatem? Non primum, quia substantia ex se nullam partium diuersitatem

tatem habet: si autem dicatur secundum, animæ definitio non erit quidditativa cum tradatur per accidentia. Conf. adveniente forma substantiali omnia accidentia perent, quæ erant ante illius introductionem: ergo non poterit eadem organisatio accidentalis post adventum, animæ remanere, sed ad introductionem illius sequetur: sed subjectum susceptivum formam ipsam præcedit: ergo corpus organicum cum organisatione accidentalí non est proprium animæ susceptivum.

32 Resp. quod ibi est sermo de organisatione substantiali, & inchoativa: non vero accidentalí, formalí, & completa, quia corpus quod ponitur in definitione animæ, dicit materiam ut stat sub forma viventis, saltem prout datur esse corporeum talis rationis, scilicet organicum plenum potentia vitam habens. Unde partium diversitatem actu inchoatiuo, & potestate formalí dicit ex se; cum habitudine tamen ad quantitatem, quæ ad ipsam animam consequitur, per quam actu & formaliter seu completere organicum constituitur.

33 Arg. 4. qui dicit organicum, dicit potentia vitam habens: ergo hæc particula, potentia vitam habens, est superflue apposita. Conf. vel intelligitur de vita substantiali, vel accidentalí? non substantiali: quia corpus organicum, non solum potentia, sed actu vitam habet: non etiam accidentalí: quia anima defineretur per aliquid posterius, scilicet operationem vitæ: ejusque definitio non esset quidditativa. Tandem cum actu vita substantiali corpus illud potiatur, potiori jure dicendum videtur actu vitam habens, quam potentia vitam habens.

34 Resp. ad arg. dist. antec. materialiter & entitative; concedo: formaliter, vel secundum eandem formalitatem, nego. Etenim ut notauit D. Alb. M. in fam. de hom. tract. i. q. 4. a. 5. per corpus organicum, & potentia vitam habens, diuersi respectus inducuntur. Namque *organicum* ad potentias animæ respectum dicit, quæ in organis operantur: sed *potentia vitam habens* dicit respectum corporis ad ipsam animam: vita enim est actus animæ secundum se, cum vivere in viventibus sit esse. Resp. ad conf. vitam accidentalem intelligi: ut exponit S. D. lec. 2.

74 *Quæst. III. De Animæ essentia &c.*

35 Ad illud , quod in contrarium adducitur, ut satis fiat , examinandum breviter superest , Sit ne hæc definitio Animæ quidditativa . Aliqui cum Avicenna lib. 6. naturalium qq. negant definitionem hanc esse quid- ditativam . Tum quia omnis definitio debet tradi per notiora & priora , non solum quoad nos , sed etiam natura , & simpliciter : hæc autem traditur per poste- riora , nimur effectum suum ; esse namque corpus organicum est effectus formalis Animæ : qui solum , quoad nos potest esse notior & non simpliciter . Tum etiam quia nulla substantia per ordinem ad accidentia definiri potest ; alias ab eis speciem suam , ac naturam desumeret : ergo Anima non potest quidditativè defini- niri per ordinem ad suam operationem , seu vitam ac- cidentalem : & per ordinem ad corpus organicum , quod necessariò aliqua accidentia involvit . Eam tamen esse quidditativam communiter Philosophi asserunt .

36 Dicendum existimo hujusmodi animæ definitio- nem essentiale esse , non tamen quidditativam simpli- citer , sed per additamentum . Nam ut supra notavi- mus ex D. Th. forma , cum simpliciter non sit ens quasi ipsa sit , sed potius quia per ipsam aliquid est , necessariò ad subiectum ordinem inducit , & per additamentum definitur : essentialis tamen est ista definitio , quid eni m sit Anima , egregiè explicat .

37 Ex his patet solutio ad objectiones . Ad primam , resp. equidem definitionem quidditativam simpliciter per priora , & notiora natura tradi debere , quia partes illius se habent ut constituentes essentiam definiti : non tamen exigi ut in definitione essentiali per additamentum omnia , quæ ingrediuntur ipsam , priora sint , ac notio- ra natura , & simpliciter , sed quoad an est : quia multa non intrant ut constituentia essentiam definiti , sed ut ter- minantia , ad terminandum enim sufficit esse . Corpus autem organicum quoad an est , est notius ac prius ani- ma , cum sit susceptivum ejus .

38 Resp. potest 2. quod hæc definitio physica est: un- de non ponitur materia nudè sumpta ut genus , sed ma- teria quatenus actu inchoativo continet formam , sub qua ratione materialiter præcedit ipsam animam ut dat ulti-

ultimum esse specificum , sicut genus præcedit differentiam . Unde jam traditur per priora natura ipsa Anima , non quidem sub omni respectu , sed ut est anima formaliter dans esse specificum completum . Sub qua ratione corpus organicum initiativè non est effectus , sed organicum completivè . Resp. ad 2. organicum initiative sumptum , primò substantiam importare ut animæ susceptivum , & consequenter ordinem ad accidentia , quod non implicat .

ARTICULUS SECUNDUS

Utrum secunda Animæ definitio ab Aristotele tradita sit exacta.

39 Secunda animæ definitio hæc est : *Principium quo primò vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus.* Quam esse exactam probatur singula , ex quibus constat , elucidando . Dicitur *principium quo ejusmodi operationum vitalium* , quia est natura & ut *primum principium formale effectivum* , seu ut *forma effectiva vitæ* , corpus autem organicum est quo vivimus ut vitam suscipiens : sicut v.g. id quo scimus , ut principio formalis effectivo est scientia ; quo autem scimus , ut suscipientes scientiam est anima . Est etiam anima quo vivimus sicut actus corporis organici , & forma illius , seu quatenus est in hac materia actuans eam , & dans illi esse determinatum ad speciem viventis . Formaliter importatur in hæc definitione quod sit *principium formale effectivum vitæ* : ratio autem actus præsupponit , non enim est anima *principium formale effectivum vitæ* in animato corpore , nisi quia est animati corporis actus , & forma .

40 Dicitur autem , *Primò* , quia anima est radix , & *primum principium viæ &c.* Per quod differt à potentiis , per quas non vivimus primò , vel sentimus &c. sed formaliter proxime . Vel *primò* , idem est , atqui *secundum* quod ipsum , seu non per aliud , sed cætera per ipsam , sicut dicimus , quod lucere primò competit luci , qui a conuenit

venit ei secundum quòd ipsa , & cæteris per ipsum .

41 Secunda particula est , *vivimus* . Quæ sumuntur quatenus speciale vivendi modum designat , qui est per motum alimenti , & decrementi , atque augmenti . Qui modus ab aliis vivendi modis , nimirum per intellectum , sensum , & motum localem , separabilis est in his quæ vegetantur , id est , plantis ut docet D. Th. hic lib. 2. lec. 3.

42 Sicuti autem per *vivimus* specialis gradus vitæ vegetativæ intelligitur , ita per *sentimus* , *loco movemur* , & *intelligimus primò* , alii tres vivendi modi seu gradus vitæ enumerati intelliguntur . Namque primò aliquid dicitur esse animal propter sensum tactus , qui omni animali inest , estque cæterorum fundamentum & basis . Unde Anima dicitur *id quo sentimus* . Additur , *quo movemur* , nimirum motu locali progressivo , qui animalibus perfectis proprius est : non autem quibusdam imperfectis , ut ostreis , quæ licet sentiant , non tamen sic moventur . Additur tandem , *intelligimus* , quia eorum , quæ anima constant , etiam quædam præter motus præfatos intelligunt , seu habent Intellectum . Anima igitur secundum se importat , non quidem exercitium horum actuum , & operationi exercitam , sed habitualem potentiam & perfectam , quæ est principium vitæ secundum actum separabilem ab esse animæ .

43 An autem hæc definitio sit quidditativa in dubium vocari solet . Quidam negant , ut Ferrara , & alij plures , quos referunt , & sequuntur PP. Complut. hic disp. 3. q. 2. l. 2. Alij asserunt esse quidditatiuam , qui videri possunt apud M. Martinez de Prado lib. 2. de Anim. q. 4. l. 2. Nota breuiter ex dictis , quòd forma substantialis ut forma est , materiam terminat in esse speciei : sed ut actus , est principium operandi : quia intantum aliquid operatur , inquantum est actu . Inter omnes autem formas corporalium anima maximè actus est secundum rationem animæ , unde est etiam ex sua ratione præcipue etiam operativa , seu operandi principium formale effectivum , radicaliter tamen . Unde ad operationes sibi proprias intrinsecam habitudinem dicit , ut ad proprium specificatum extrinsecum potentiae per quam redditur ultimò completa , & habituata perfecte , ut operetur .

44 Dico igitur hanc definitionem essentialem esse, non tamen simpliciter quidditativam, sed per additamentum. Probatur: anima in ratione animæ est essentialiter radicale principium hujusmodi operationum vivendi, sentiendi, loco moyendi, & intelligendi primum: & ut postulat compleri per potentias suas, tanquam proprietates ab ea dimanantes intrinsecam habitudinem ad eas dicit: ergo cum hujusmodi definitio explicet rationem animæ prout est principium formale effectivum vitæ, & aliarum operationum, reipsa quidem erit essentialis; per additamentum tamen quia importatur ordo ad aliquid extrinsecum, scil. potentias, & operationes illius.

45 Nec valet dicere quod animæ prius competit esse principium essendi, quam operandi: quod autem est essentiale nihil supponit prius in re. Non, inquam, valet: licet enim principium essendi absolute secundum rationem suam prius sit, non tamen principium tale essendi, quod est natura, cum natura intrinsecè, & essentialiter sit principium operandi: sed anima ex sua intrinseca ratione in re, & physicè est tale principium essendi, quod est natura, cum physicè constituat speciem entis naturalis: ergo physicè, & in re competit illi essentialiter esse radicale principium operandi, sicut & esse principium essendi: licet metaphysicè esse principium essendi praaintelligatur ei quod est principium esse operandi. Physicè autem hic anima definitur.

46 Maj. difficultas versatur in explicando quomodo ista definitio ad priorem se habeat. An scilicet causam propter quam anima est actus primus corporis physici organici &c. demonstret, an à priori, vel a posteriori? Nota, quod definitio quidditativa duplex est, alia dicens quid, seu simpliciter manifestans rei essentiam, ut cum definitur eclipsis Solis: *Defectus luminis in Sole.* Vbi solùm indicatur quid sit eclipsis, sed ejus causa in esse minime determinatur. Alia est dicens propter quid, seu essentiam, & causam illius propter quam est: ut cum eclipsis Solis definitur: *Defectus luminis in Sole ex eo quod ei Luna subjiciatur, vel inter Solem & Terram*

terram interpozatur. Definitiones dicentes quid, præsertim si sint materiales, pertinent ad demonstrationem *quia*, & sunt ut conclusiones in demonstrationibus, nec sunt per se notæ. Definitio autem dicens propter quid ad demonstrationem propter quid spectat, & in demonstrationibus se habet ut principium. Eapropter definitio *quia*, per definitionem propter quid demonstrari, & concludi potest: v. g. in exemplis appositis prima per secundam hoc pacto concluditur: *Omne per se luce s, cui supponitur corpus non pervium, in illuminando deficit: Sol eclipsatus est per se lucens, cui supponitur corpus non pervium: ergo deficit in illuminando.*

47 Haud secùs cùm prima animæ definitio, nimirum actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis dicat quid, secunda verò dicat propter quid, illa per istam demonstratur, ac concluditur hoc modo: *Omne quod est per se principium, & causa vita est actus potentia viventis: sed anima est per se principium, & causa vita: ergo est actus potentia viventis.* In qua demonstratione prior definitio se habet ut conclusio demonstrata, posterior vero se habet ut principium: Unde prior definitio se habet ut incerta, & non notificata, secunda vero ut certior, ac notior: nam propter quod unumquodque tale, & illud magis.

48 Modò examinandum superest, an hujusmodi demonstratio sit à priori, an verò solummodo à posteriori? Nota primo demonstrationem à priori eam esse, quæ procedit ex causis in essendo, quæ simpliciter priores sunt: demonstratio autem à posteriori est quæ procedit ex causis in cognoscendo, seu ex effectibus nobis notioribus. Nota 2. quod in diverso ordine causæ priores & posteriores adinvicem esse possunt. Si consideretur ordin intentionis, prima est causa finalis, secunda efficiens, tertia forma, & ultima est materia. Ordine autem essendi actu, prima est efficiens, secunda materia, quæ movetur ab efficienti, deinde forma, quæ perfectum efficientis producitur in materia, ultima finis. Si verò ratio formalis movendi attendatur, prima erit forma, quæ est principium formale radicale movendi, dein

in efficiens, tertio finis, ac ultimò materia.

49 Dico igitur quod propriè & simpliciter loquendo, prima definitio solum a posteriori per secundam demonstratur. Ita D. Th. hic lib. 2. lec. 4. Prob. prima animæ definitio tradita est per materiam & formam, secunda vero per efficientem: sed attendendo rationem formalem moveri, quam per se & simpliciter Physicus considerare debet, forma præcedit efficientem: ergo hoc pacto secunda definitio solum a posteriori primam demonstrat: licet ordinem intentionis & essendi spectando, quodammodo secunda definitio se habeat in ratione prioris respectu primæ, quia in hoc ordine efficiens est prior forma, & causa illius; similiter & finis. Ex quibus ad propositam difficultatem patet.

Solvuntur Argumenta.

50 Arg. 1. hæc definitio non competit omni animæ, nec enim omnis anima vivit, sentit, loco moverit, & intelligit, sed solummodo humana: ergo non est exactè tradita. Nec valet dicere illas particulas esse divisim accipiendas: ita ut ad rationem animæ sufficiat unam, vel plures, vel omnes simul operationes illas habere. Non, inquam, valet, tum quia esset potius divisio dicenda, quam definitio: tum quia & dictio copulativa est indicans particulas illas conjunctim esse sumendas. Confirm. hæc definitio videtur cum præcedenti coincidere: ergo est superflua. Prob. antec. nam per hoc quod anima sit actus primus corporis physici potentia vitam habentis satis indicatur quod sit principium operationum vitæ, quæ sunt vivere, sentire, loco moveri, & intelligere.

51 Resp. ad arg. ex D. Th. hic lib. 2. lect. 3. & 4. quod Anima dupliciter sumi potest. Primò secundum se, secundò ut actus corporis ad speciem certam viventium determinati, in quo suas operationes exercet: & in quibus diversum modum operandi vitam sortitur. Anima secundum se, & ut natura est principium omnium istarum operationum; ab anima enim simpliciter & in-

& intrinsecè dumanat vivere , sentire , loco moveri , & intelligere: prout autem est actus corporis ad speciem certam viventium determinati in exercitio non est principium harum omnium operationum simul , nisi ipsa anima rationalis . In vegetabilibus autem solum est principium vivendi , & in animalibus , vivendi , loco movendi ad sentiendi .

52 Dice : omnis anima continetur sub anima ut sic : sed quidquid diffinito competit , debet etiam omni contento sub illo competere : ergo omni animæ competitere deberet esse principium primum vivendi , sentiendi , loco movendi , ac intelligendi .

53 Resp. dist. min. quidquid competit diffinito per modum partis actualis diffiniti , ut ipsum est totum actuale , concedo : si competat ei ut ipsum est totum potestativum continens in potentia formalis indeterminata suas partes potestativas , vel subjectivas , nego: v.g. animali ut est totum actuale diffinibile competit esse vivens sentiens , & hoc omni contento sub ipso animali competit . Esse autem rationale vel irrationale , vel hominem aut leonem &c. ipsi competit ut toti potestativo complectenti in se potentia formalis indeterminata suas species & differentias: unde non requiritur ut hoc ipsum competit simul omni animali in particulari , sed secundum diversum modum determinandi illam potestatem convenit unum vel aliud : v.g. ut potestas ejus determinatur per rationale , competit ei esse hominem , & non leonem , & sic de cæteris . Intellectivum autem , loco motivum , sensitivum & vegetativum continentur sub anima ut partes potestativæ adæquantes ambitum potestatis illius , ut est principium formale ipsius vitæ effectivum: unde non requiritur quod simul omni animæ competant , sed diverso modo secundum diversam vitæ determinationem ad diversum corpus organicum , quod est vitæ susceptivum , diversumque modum operandi vitam .

54 Resp. ad conf. neg. ant. ad cuius prob. dico quod in prima definitione explicatur animam in corpore organico esse principium susceptivum vitæ , in secunda autem quod sit ut principium effectivum formale ipsius vitæ .

animæ. Unde una formaliter non coïncidit cum aliâ ; si-
ce aliam demonstret.

57 Arg. 2. tres sunt animarum species , scil. vegeta-
tiva, sensitiva , & intellectiva ; quarum unaquæque
sufficienter per propriam operationem manifestatur :
ergo superflue additur illa particula *loco movemur*.

58 Conf. *loco movemur*, ut explicat gradum specia-
lem vivendi est quid consecutum ad gradum sentiendi
& intelligendi multò magis quam appetitivum ; sed ap-
petitivum in prædicta definitione non exprimitur: ergo
neque debet exprimi loco motivum . Maj. patet, quia
motus progressivus ad appetitum consequitur : ergo lo-
co motivum ad appetitivum .

59 Resp. ad arg. quod in hac definitione explicatur
animæ ratio, non absolute sumptæ , sed secundum
diversos inessendi modos in ipsis viventibus , ut infra
explicabitur : sub qua ratione loco moveri est propria
& distincta operatio animæ , explicanda in definitio-
ne illius , quæ per diversos vivendi modos explicatur .

60 Resp. ad confirm. quod ibi anima , ut natura est,
& principium vitæ effectivum , definitur per ordinem
ad operationes suas , ut sunt vitæ quædam accidentales,
sub qua ratione appetitivum includitur in eo quod est
loco moveri , quia loco moveri est actus executivus
ipsius appetitivi : ex appetitu enim finis , vel boni con-
venientis consequendi , animalia motu progressivo mo-
ventur .

61 Arg. 3. hæc definitio debet omni viventi adapta-
ri : ergo potiori jure dicendum erat : anima est prin-
cipium quo vivitur &c. quam quo vivimus &c. cùm so-
lummodo id de nobis verificari videatur .

62 Resp. PP. Complati. ibi omnia viventia explicari
per ly vivimus &c. quia nos , & omnia viventia, ut eli-
cimus operationes physicas vitæ à materia dependentes,
per contrapositionem ad Angelos , qui operationes à
materia omnino liberas , & immunes producent, eli-
cimus .

63 Resp. 2. quod inter omnia viventia solus homo
omnium graduum vitæ susceptivus est , qui ut qualita-
tes quædam substantiales se habent : unde speciali ratio-

82 Quæst. III. De Anima essentia &c. —
ne anima definitur: Principium quo nos qui sumus homines vivimus &c. licet per hoc non excludantur alii viventia, quæ specialem quendam modum, vel speciales modos vivendi sibi vendicant, sicut neque in definitione qualitatis cætera participantia qualitatem, præter hominem excluduntur.

64 Arg. ultimò: anima rationalis, ut intellectiva est, principium intelligendi est: sed sub hac ratione non est actus corporis physici organici potentia vitam habentis: ergo saltem quantum ad hanc prior definitio nequit per posteriorem demonstrari.

65 Resp. quod anima rationalis secundum gradum intellectivum quantum ad substantiam non est actus corporis, id est, virtus affixa organo corporeo: bene vero quantum ad modum operandi secundum statum sibi connaturalem, prout est forma physica, in quantum in operando a phantasmatibus dependet, & organis corporeis ministrantibus sibi.

ARTICULUS TERTIUS

Utrum Anima in Vegetativam, Sensitivam, & Intellectivam rectè dividatur?

66 C onclusio est affirmativa. Eam docent communiter Philosophi cum Arist. 2. lib. de anim. l. 3. D. Th. ibid. lec. 4. &c. p. q. 78. a. 1. Prob. tres sunt operationes excedentes operationem naturæ corporalis: sed distinctæ animæ constituendæ sunt, secundum quod diversimodè operatio animæ operationem naturæ corporalis supergreditur: ergo triplex anima constitui debet. Min. patet: quia omnis differentia, quæ sumitur penes constitutivum rei, essentialis est, ac speciem variat: sed distinctæ operationes viventium indicant diversa principia movendi se, operatio enim ostendit formam. ergo distinctæ animæ constituendæ sunt, secundum quod diversimodè operatio animæ operationem naturæ corporalis supergreditur.

67 Major vero prob. nam est quædam operatio ani-

ma

Hæc, quæ in tantum naturam corpoream exuperat, quod nec etiam per organum corporale exerceri postuleret, qualis est intellectio, quæ spiritualiter perficitur: & huic anima rationalis correspondet. Aha autem est operaio animæ infra istam: quæ quidem per organum fit corporale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem: qualis operatio est animæ sensibilis. Quamvis enim calidum & siccum, frigidum ac humidum, & cæteræ hujusmodi qualitates sensibiles ad operationem sensus requirantur: nec tamen à virtute illarum operatio animæ sensibilis dimanat aut producitur; sed solum ad debitam organi dispositionem exiguntur. Infirma autem animæ operatio est, quæ fit per organum corporeum, ac virtute corporeæ qualitatis; naturæ tamen corporeæ operationem supergreditur, quæ est ab exteriori principio: operatio autem animæ vegetabilis est ab interiori principio; quia vegetabilia ad suas operations se movent: nutritio enim, quæ est propria animæ vegetativæ operatio, ab interiori principio procedit, licet per organum corporeum, & virtute caloris naturalis seu instrumenti fiat. Et præterea natura, quæ est principium motus in rebus corporeis, ad contraria loca non movet, sed ad locum determinatum tendit, ut patet in igne, & corporibus gravibus inanimatis: vegetabilia autem motu augmenti ac decrementi ad contraria loca feruntur; augentur enim tam sursum quam deorsum: ergo tripliciter anima in suis operationibus naturam corpoream supergreditur, & exuperat. Aliæ rationes videri possunt in S. D. 1. p. q. 78. art. 3. & q. un. de anima a. 13.

68 Hæc divisio est univoca, ut docet D. Th. lib. 2. cont. gent. c. 61. Omnis enim anima simpliciter participat actum animæ essentiali, qui est vita, seu vivere, & movere se ab intrinseco. Estque hæc divisio quasi generis in species subalternas. Nam in intellectiva anima est agens intellectus & patibilis, qui specie distinguuntur.

Solvuntur Argumenta.

69 **A**Rg. i. anima vegetativa simpliciter rationem animæ habere nequit: ergo haec divisio non est bene assignata. Prob. antec. anima vegetativa nullam operationem habet, quæ naturam corpoream supergrediatur, & excedat: ergo simpliciter rationem animæ habere nequit. Prob. antec. actiones illius propriæ sunt augmentatio, ac nutritio: sed hæ inanimis rebus etiam competit: ignis enim per appositionem combustibilium nutritur, & crescit: ergo &c.

70 Conf. i. hujusmodi actiones vel sunt alterationes per qualitates rebus inanimatis communes, ut sunt calor humiditas &c. vel sunt motus locales per aliquam attractionem, vel expulsionem, quas etiam in rebus inanimatis deprehendimus: magnes enim attrahit ferrum, & alia inanimata quasdam res sibi non sympathicas respuunt, & expellunt: ergo non habet operationes sibi proprias per quas ab inanimatis distinguitur. Confirm. 2. omnis vita in creatis est à Deo participata: sed vita Dei non est nisi per spiritualem operationem, nimirum cognitionem, vel amorem, quæ vegetabilibus nullatenus competere queunt: ergo eis vita competere nequit; ac perinde neque anima, quæ est vitæ principium.

71 Resp. ad arg. neg. utrumque antecedens. Ad prob. dist. maj. actiones illius propriæ sunt augmentatio & nutritio, propriæ dicta, & quæ fit cum motu intrinseco illius, quod augetur, vel nutritur, conc. maj. sunt augmentatio & nutritio impropriæ seu communiter dicta, & quæ fit sine motu intrinseco illius quod augetur, vel nutritur, nego maj. & dist. min. nutritio & augmentatio propriæ dicta, & quæ fit cum motu intrinseco ejus quod nutritur vel augetur, nego min. impropriæ seu communiter dicta, & quæ fit sine motu intrinseco ejus quod nutritur, vel augetur, conc. min. Ignis enim & alia inanimata augentur ab extrinseco & per appositionem novæ materiæ; sola autem animata ab intrinseco sunt se mouentia motu augmenti, & nutritionis. Unde in ani-

animatis quilibet pars augetur , non verò in rebus inanimatis .

72 Resp. ad 1. conf. eodem modo , scil. quòd ejusmodi actiones non sunt rebus inanimatis cum viventibus communes . Quoniam à viventibus seu animatis procedunt , quatenus sunt ab intrinseco se moventia , & mediantibus determinatis organis , quod in animatis non contingit , quæ ab extrinseco moventur , & determinata organa non habent .

73 Resp. ad 2. conf. quòd in vita Dei duo considerari possunt : unum quasi commune & genericum , quod est movere se : aliud speciale ac divinum , quod est movere se per actionem spiritualem . Primo modo plantæ vitam Dei participant , imperfectius tamen quam cætera viventia . Secundo modo sola anima rationalis , quæ spiritualis est . Medio modo animalia , quæ sunt moventia se per cognitionem . Unde anima vel homo est imago Dei , plantæ vero & animalia vestigium . lib. 1. sent. dist. 17.

74 Arg. 2. dantur plures animarum species , quam assignatae : ergo hæc divisio est diminuta , & subinde mala . Prob. antec. illud quod est principium motus progressivi in animalibus veram animæ rationem habet : sed tamen sub prædictis illis membris dividentibus non concluditur : ergo &c. Min. prob. si concluderetur sub aliquo membro dividenti , maxime sub anima sensitiva : sed sub illa comprehendi nequit : ergo &c. Prob. min. tum quia loco motiva est principium specialis operationis , distinctæ ab operatione sensus , ut constituit animam sensitivam : anima enim loco motiva est principium motus vitalis , qui ab operatione sensitiva ex sua natura separabilis est , ut in quibusdam animalibus patet ; v. g. ostreis : sed ideo tres animæ , veluti tres species distinctæ ponuntur , quia sunt distinctarum operationum specialium principia , quarum una sub alia formaliter non concluditur : ergo etiam admittenda erit anima loco motiva non comprehensa sub sensitiva . Min. patet : nam cum anima diffinitur , ut est principium formale effectivum suarum operationum , ponitur

loco movemur, quemadmodum vivimus, sentimus,
& intelligimus primum.

75 Conf. loco motivum constituit gradum, seu modum vivendi à sensitivo distinctum, enumeranturque quatuor vivendi gradus: ergo pari jure loco motivum distinctam exigit animam; ac perinde quatuor erunt animæ, non minus quam quatuor vivendi gradus.

ARTICULUS QUARTUS

*Utrum sint quatuor vivendi modi, seu gradus; nempe Intellectivum, Sensitivum, Loco motivum,
& Vegetativum.*

76 P^r Suarez lib. 1. de Anim. c. 7. num. 13. & alii propter rationem adductam de numero animalium, tres tantum vivendi modos constituunt. Quod enim quædam animalia omnes sensus non participant, quibus perfecta animalia prædicta sunt, ad multiplicandos vivendi modos parum interest: quia omnes illi sub anima sensitiva comprehenduntur, nec distinguuntur in altiori modo abstrahendi à materia in sua operatione, sed solum in majori, vel minori perfectione, specifica subalterna, vel infima ejusdem modi, & gradus animæ. Veruntamen communiter Philosophi quatuor istos vitæ gradus distinguunt.

77 Concl. dantur quatuor vivendi modi, sive gradus, nimirum Vegetativum, Sensitivum, Loco-motivum, & Intellectivum. Ita D. Th. lib. 2. de Anim. lec. 2. & 1. p. q. 78. a. l. ubi difficultatem solvens ait: *Tres dicuntur animæ, quatuor vero dicuntur vivendi modi.* Et hujus diversitatis ratio est, quia diversæ animæ distinguuntur secundum quod diversimode operatio animæ super-egreditur operationem naturæ corporalis. Tota enim natura corporalis subiacet animæ, & comparatur ad ipsam sicut materia, & instrumentum::: Modi vero vivendi distinguuntur secundum gradus viventium. Quædam enim viventia sunt in quibus est tantum Vegetativum, sicut in plantis. Quædam vero in quibus cum Vegetativo est

etiam *Sensitivum*, non tamen *Motivum secundum locum*: sicut sunt immobilia animalia, ut conchilia. Quædam verò sunt, quæ supra hoc habent *Motivum secundum locum*; ut perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam. Ideo indigent motu, ut vita necessaria procul posita querere possint. Quædam verò viventia sunt, in quibus cum his est *Intellectivum*, scil. in hominibus.

79 Pro intelligentia nota quod vivere, & vita comparantur ut abstractum & concretum; sicut currere, & cursus. Vita igitur dicit vitam ut conceptam, quæ cōsistit, si substantialis sit, in quodam esse substantiali ab ipsa anima profluente; si vero accidentalis sit, in operatione, non quidem ut exercita, sed ut concepta. Vivere autem dicit actum essentiali animæ in exercitio, si sumatur pro vivere substantiali, & primo: qua ratione dicitur quod vivere in viventibus est esse: vel operationem ut exercitam, si sit vivere accidentale. Esse autem vivens essentialiter consistit in hoc quod sit motivum sui, seu ex seipso, ut saepius diximus. Animæ igitur effectus formalis intrinsecus est præbere corpori esse motivum sui, seu ex seipso; quod est esse vivum, seu habere vitam.

80 Ex his sequitur vitam esse actum animæ secundum se, sed vivere formaliter est actus viventis per se subsistentis, & non animæ, nisi ex ea parte, qua est quid per se subsistens, ut de anima rationali infra dicemus. Cum animarum distinctio à S. D. dicitur desumi ab operatione illius ut superegreditur, & exceedit naturam corpoream, ibi loquitur de operatione animæ secundum se; quia secundum se, & ut est natura viventis, est principium operationum radicale, & motionis ab intrinseco: per quod à formis inanimateorum distinguitur: Triplici autem modo operatio illa ut respicit animam secundum se, naturam corpoream exceedit; ut art. sup. explicuimus: ac perinde triplex anima constituitur. Sed gradus, seu modi vivendi respiciunt animam non secundum se, sed secundum participationem illius à corpore organico, quod est vita susceptivum: unde vocantur modi, quia sunt determinationes quædam vitæ in ipso vivente, non quidem formales, & limitantes potestatem ejus primam, per modum quo differentiae genus limitant: sed secun-

dum diversos incessendi modos, quibus Anima à viventibus suscipiuntur. Quod non obscurè indicat S.D. dicens: *Modi vivendi distinguuntur secundum gradus viventium:* gradus autem formarum non sunt esse illarum, sed modi incessandi, ut diximus lib. 1. de generat. loquentes de intentione qualitatis.

80 Prob. concl. vegetativa anima neque secundum se, neque secundum modum incessandi corpori organico diverso modo motiva est; iidem enim communes vitæ motus, & operationes omni vegetabili insunt; scilicet nutritio, augmentum, & decrementum: licet ut determinatur ad speciale plantæ speciem per formam specificam, proprias quasdam operationes sortiatur, sicut Rheubarbarum habet choleram purgare: anima etiam rationalis neque secundum se, neque secundum modum incessandi diverso modo est motiva, sed similes operationes sortiuntur; scilicet intelligere, atque velle: sed anima sensitiva, secundum esse quidem, similes operationes habet, scilicet sentire: sed ex modo incessandi, quo in quibusdam animalibus reperitur perfectius, & secundum omnes, vel plurimas suarum operationum inest, ut in animalibus perfectis; in aliis vero imperfectius, & secundum communem sensus rationem, ut in conchilibus: ergo est simpliciter eadem operatio animæ sensitivæ secundum esse; sed non secundum modum incessandi: & per consequens debet in ea poni duplex vitæ gradus; una tamen animæ species divisiva ipsius animæ ut sic: ergo sunt quatuor modi vivendi:

81 Unde ad rationem supra adductam art. præcedens respondeur, quod anima loco motiva ab anima ipsa sensitiva absolutè sumpta, secundum esse non distinguitur, sed secundum diversum incessandi modum, quo in diversis viventibus inest: hoc autem non sufficit ad variandam animæ speciem: sicut patet de charitate quæ diversis secundum diversos essentiæ gradus inest, quantum ad modum incessandi, & tamen est eadem spicie virtus: ita pariter. Ad prob. nimis in quod est principium cistinctæ operationis distinguo: secundum esse, & ut sequitur ad animam secundum se, & ut est principium vitæ, nego: secundum diversos incessandi modos, concedo.

Tres

Tres autem animæ sibi vendieant speciales operationes distinctas secundum esse , & ut sunt animæ absolutè sumptæ . Unde dispar est ratio . Hinc rationem percipies cur in definitione secunda animæ constituatur , *lococo movemur* : quia nimis ibi sermo erat de ipsa anima prout viuentibus inest , & non secundum se : non enim anima vivimus , nisi quatenus nobis inest . Ad conf. ex dictis supra pater .

82 Objicies præterea : locomotivum non est separabile à sensitivo : ergo non constituit distinctum gradum vivendi . Prob. antec. si esset separabile maxime in animalibus imperfectis , quibus animæ sensitivæ operationes , vel earum principia imperfectè insunt : sed in his etiam advertere est motum localē : ergo locomotivum non est separabile à sensitivo . Min. prob. tum quia ab intrinseco augentur : augmentum autem non est sine motu locali , ut testatur D. Thomas 3. p. q. 35. a. 1. Tum etiam quia conchilia moventur motu dilatationis , & constrictionis , qui est localis .

83 Resp. hæc omnia motu locali moveri , non tamen motu progressivo , ut animalia perfecta . Cùm autem dicitur locomotivum esse gradum vivendi distinctum à sensitivo , intelligendum est de motu progressivo animalium , ut docet D. Th. hic lib. 2. lect. 6.

84 Dices : lacertæ , atque vermes sunt animalia quædam imperfecta , cùm decisa viuant : sed tamen motu progressivo ipsa moventur: ergo animalibus etiam imperfectis moveri motu progressivo competit , & subinde prædicta differentia non est bene assignata .

85 Resp. dist. maj. lacertæ & vermes sunt animalia imperfecta absolutè , nego maj. quoad rationem participandi locomotivum , & comparativè ad alia animalia simpliciter perfecta , conc. maj. nam animal potest dici imperfectum dupliciter : primò absolutè & simpliciter , quatenus ad naturam sui generis , nimis animalis , quod per sensum tactus constituitur , vix , aut parvam aliquam operationem addere deprehenditur . Imperfectæ enim species sunt , quæ minimum à natura generis recedunt : unde & quæ in aliquo genere secundum generis naturam tantummodo similia sunt ,

im-

imperfectè similia esse dicuntur: ut mulus in generis animalium, qui ex D. Thoma solum in generis natura est suo generanti similis. Perfectæ autem sunt, quæ specialem aliquam entis & naturæ rationem in ratione motivi suo generi addunt; sicut moveri motu processivo. Hic enim supra communem movendi rationem præcipue addit. Sed hæc ratio movendi se motu processivo non omnibus animalibus perfectis perfecte inest, sed quibusdam imperfecte. Et ista dicuntur animalia perfecta solum comparativè ad ea animalia, quæ solo constrictio[n]is, vel dilatationis motu carentur. Et hujus generis sunt lacertæ: unde eis competit motus processivus, imperfecte tamen. Inter hos gradus non annumerantur gradus Vitæ Divinæ, & Angelicæ: quia hic solum est sermo de gradibus vitæ, quæ est actus corporis physici.

86 Objicies 2. vegetativum non habet speciales vitæ operationes: ergo non sunt quatuor modi sive gradus vivendi. Prob. antec. si quas vitæ operationes haberet, maximè essent generatio, nutritio, & augmentatio: sed ejusmodi operationes non sunt operationes vitæ, aut propriè viventium: ergo vegetativum non habet aliquas speciales vitæ operationes. Prob. min. magnes ferro nutritur, & in suam substantiam convertit; si diutius illud sibi conjunctum retineat, ut testatur Ferdinandus Medicus tract. 2. de facul. q. 1. ignis quoque fumit alimentum fugens partes subtiliores, excrementias autem respuens: immo augeri videretur per intus sumptionem, dum enim flamma comburit lycnum, attrahit ad se per poros lycni oleum, vel ceram: ergo ejusmodi operationes non sunt operationes vitæ, aut dicendum erit quælibet mixta vivere, & non solum Vegetativa, Sensitiva, atque Intellectualia.



ARTICULUS QUINTUS.

Per quid viventia à non viventibus distinguantur :

87 **H**oc argumentum postular, ut breviter explicemus in quo ratio vitæ consistat, seu quomodo viventia à non viventibus distinguantur. S. Thomas i. p. q. 18. a. 1. c. docet, quod ex his, quæ manifestè vivunt, accipere possumus, quorum sit vivere, & quorum non sit vivere. Vivere autem manifestè animalibus convenit; dicitur enim in lib. de Vegetab. (hoc est, lib. 1. de plant. c. 1.) quod vita in animalibus manifesta est. Unde secundum illud oportet distingui viventia à non viventibus, secundum quod animalia dicuntur vivere. Hoc autem est, in quo primo manifestatur vita, & in quo ultimo remanet. Primo autem dicimus animal vivere, quando incipit ex se motum habere, & tandem judicatur animal vivere, quandiu talis motus in eo apparet; quando vero ex se jam non habet aliquem motum, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ. Ex quo patet, quod illa propriètate sunt viventia, quæ seipsa secundum aliquam speciem motus movent: sive accipiatur motus propriètate, sicut dicitur actus imperfecti, id est existentis in potentia; sive motus accipiatur communiter, prout motus dicitur actus perfecti, prout intelligere & sentire dicitur moveri, ut dicitur in 3. de Anim. ut tex. 28.: ut sic viventia dicantur quæcunque se agunt ad motum, vel operationem aliquam: ea vero in quorum natura non est ut se agant ad aliquem motum vel operationem, viventia dici non possunt, nisi secundum aliquam similitudinem.

88 Hanc doctrinam atque differentiam inter viventia & non viventia à D. Thoma constitutam, quæ valde communis ac recepta est, aliqui Recentiores rejiciunt, inter quos Mastrius hic disp. 1. q. 2. tum quia gravia & levia à seipsis mouentur, nec tamen viventia censentur: tum etiam quia in sententia D. Thomæ Angelus in primo conceptionis suæ instanti peccare non

po-

potuit, quoniam actus ille in Deum seu causam refunderetur. cuius est dare Angelis esse perfectum non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo, & subinde principium primæ intellectionis Angeli fuit Deus, non minus quam principium motus gravium & levium esse dicitur ipsum generans: sed in prima illa intellectione Angelus vitaliter operatus est, quoniam intellectio est vera operatio vitalis: ergo datur vita in actionibus ab extrinseco provenientibus, & subinde vivens ut vivens non est necessariò sui ipsius motivum.

89 Rejecto hoc dicendi modo & ipse Mastrius discrimen inter viventia & non viventia melius constitui non posse ait, quām si dicamus viventia in actu primo esse illa, quæ habent in se principium per se ordinatum ad acquirendam ipsis viventibus, quorum est principium, perfectionem aliquam, quæ illis ex vi propriæ generationis debita non est, sed est superaddita. At non viventia seu inanimata nullum principium habent, vel illud est per se & primariò solum ordinatum ad comparandam aliquam perfectionem ipsis debitam ex vi generationis. Etenim gravia & levia ad propria loca naturaliter sibi debita moventur, extra quæ si consistant, in statu existunt violento: at verò augmentatio non est propria perfectio viventis ex vi generationis; similiter neque generare, sentire, loco moveri, intelligere &c.

90 Sed profectò hic explicandi modus minùs idoneus est. Primo quidem, quia motus Cordis in animali vitalis est, & aliorum motuum vitalium basis: sed tamen iste motus Cordis inest perpetuò animali vita durante, & eo cessante cessat vita, & subinde illi ex vi generationis datur, qua vivere incipit: ergo nullatenus constituitur aliquid vivens per hoc, quod habeat in se tale principium. Deinde Verbum in Divinis habet perfectissimam vitam & omnis illius operatio vitalis est: sed operationes istas, saltem naturales, sicuti & quamlibet perfectionem naturalem ex propria natura, & subinde ex vi generationis habet, quæ est via in naturam: ergo non per id distingui potest vivens à non vivente, quod habeat principium per se institutum ad acquirendam aliquam perfectionem, quæ illi ex ui-

propriae generationis non est debita . His adde , quod Deus nullam omnino perfectionem acquirere potest , sed omnem perfectionem sibi debitam naturaliter haber , cum sit perfectissimus : ergo si in hoc ratio viventis considereret , non diceretur Deus perfectus vivens . Tertio , quia Angelo debita est cognitio & agor sui ipsius , & Dei autoris naturae cum naturalis sit : sed isti actus vitales sunt & subiace principium eorum debet esse vivens seu vitale : ergo principium constituens vivens non est necessariò ordinatum ad perfectionem ex se indebitam viuenti illi ex vi suæ generationis .

91 Responderet Mastrius ad exemplum de Deo , primum Deum equidem non habere vitalitatem productivam erga suas operationes , quia non produceit eas ; sed habere vitalitatem operativam , qua per actum illum productum tendit in objectum . Secundò respondet , Deo deberi omnem perfectionem etiam vitalem , non quatenus vivens est , sed quatenus est tale vivens infinitum absque imperfectione . Ad illud autem de Angelo negat , illi ex vi suæ naturae deberi operationem aliquam , sive intellectionem , sive volitionem , quoniam si ea careret , non esset in statu violento .

92 Sed contra primam solut. instatur : ex hoc quod Deus in actu secundo aliquod objectum intelligat , nullam habet perfectionem , quæ ex propria natura & semper seu necessariò illi non competit , alioquin ei aliqua perfectio realiter advenire posset : ergo de ratione principii viventis non est , quod sit ordinatum ad aliquam perfectionem naturaliter indebitam acquirendam . Contra secundam etiam instatur : nulla res potest reperiri in aliquo particulari , quod sit contra rationem communis ; v. g. in homine non potest reperiri quod non sit substantia animata , & corporea , quoniam hoc est contra rationem animalis , quæ communis est illi cum ceteris animalibus : sed de ratione viventis secundum se & in actu primo sumpti est , quod habeat principium per se institutum ad acquirendam aliquam perfectionem naturaliter non debitam ipsi viuenti , cui opponitur habere principium , cui naturaliter competit omnis perfectio : ergo si hæc sit ratio propria viventis , Deus non erit vivens .

94 Quæst. III. De Anima essentia &c.

uens. Contra 3. tandem arg. substantia Angeli est naturaliter & per se nota Intellectui ipsius: ergo necessario seipsum cognoscit: & subinde si cessaret a cognitione sui, aut etiam ab amore Dei naturali, esset in statu violento. Alii dicendi modi non recedunt re ipsa a modo explicandi; quem D. Thomas tradit, licet sub diuersis vocibus rem explicit.

94 Quapropter dicendum est, discrimen a S. D. alatum consentaneum esse & rectè appositum. Ad primam igitur instantiam resp. cum eodem S. D. cit. q. 18. artic. 1. quod corporibus gravibus & levibus non competit moveri, nisi secundum quod sunt extra dispositionem suæ naturæ, utpote cum sunt extra locum proprium. Cum enim sunt in loco proprio & naturali, quietescunt. Sed planta & aliæ res viventes moventur motu vitali secundum hoc quod sunt in sua dispositione naturali, non autem accedendo ad eam, vel in recedendo ab ea: Immo secundum quod recedunt a tali motu, recedunt a naturali dispositione. Et præterea corpora gravia & levia moventur a motore extrinseco, vel generante qui dat formam vel removente prohibens, ut dicitur 8 Physic. Et ita non movent se ipsa sicut corpora viventia. Videnda sunt, quæ fusè diximus supra lib. 8. Physic. q. 8. art. 2.

95 Ad 2. resp. ex D. Th. q. 16. de malo art. 4. c. quod Angelus in primo instanti suæ creationis elicuit actum cognitionis naturalis suipius, quoniam propter actuum ordinem oportebat, ut primo consideraret id quod ad suam naturam pertinet, & postmodum moveretur in supernaturalia per conversionem vel aversionem. Patet autem actum illum cognitionis vitalem esse, & Angelum in sua naturali dispositione existentem illum elicuisse, & subinde se actu ejusmodi vitali movisse, motu spirituali cognitionis. At vero lapis, vel quodlibet corpus grave aut leve, esto habeat potentiam habituatam ad motum, non tamen ita ut in sua naturali dispositione existens moveatur a se ipso, sed dum est extra, & in statu violento. Quapropter longè dispar est ratio inter utrumque.

96 Ex quibus colligitur corpora mista, ut mineralia, lapi-

lapi des, & cætera id generis nullatenus habere animam, seu viventia esse, sed ultimum vitæ gradum in plantis reperiri, quæ vitam vegetativam vivere dicuntur. Ita sumitur ex D. Dionysio c. 6. de Divin. nom. ubi ait: *Plantæ secundum ultimam resonantiam vitæ habent vivere: ex quo aperte colligitur, plantas ultimum vitæ gradum sortiri, cum igitur mineralia & cætera mixta infra plantas sint, inde consequitur ista viventia non esse*, inquit D. Thomas cit. 1. p. q. 18. a. 1. Idem docet D. Greg. Mag. homil. 29. in Euang. ubi ait: *Omnis creature habet aliquid homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Quibus verbis primum vitæ gradum plantis seu arboribus tribuit, lapidibus autem non quidem vivere, sed esse tantummodo concedit.*

97 Quapropter ad ultimam objectionem art. præced. adductam resp. ex S. D. loc. citato mixta vitam, vel vitæ opera secundum quandam similitudinem attribui, in quantum quædam eorum, quæ magis ad gradum viventium accedunt, quiddam illius participare videntur, quemadmodum in seq. art. amplius declarabitur. Unde magnes, vel quodlibet aliud mixta non propriè nutritur per intus sumptionem & conuersiōnem alimenti in suam substantiam, sed improprie & per juxtapositionem alimenti. Sed de his plura infra.

ARTICULUS SEXTUS

Utrum in plantis, aut aliis quæ animalia non sunt, sit vita sensitiva sive sensus, in animalibus autem brutis sit Ratio.

98 PLantas vivere negarunt Stoici, quod tamen communiter cæteri concedunt. Sumiturque ex S. Scriptura Ioann. c. 12. *Nisi granum frumenti, ait Christus, cadens in Terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Et 1. Corinth. c. 15. *Quod seminas, inquit Apostolus, non vivificatur, nisi prius moriatur.*

Vivificari autem & emori viventium est. Et ita aſſe. un
uno ore SS. ~~Partes~~ triplicem diſtinguentes vitam, nimi-
rum Vegetatiuam, Sensitivam, & Intellectivam. Et
meritò nam plantæ opera vitæ habent, generant enim
ſimiles ſibi frūne ex ſe decifo, nutriuntur, & augen-
tur. Up̄ie S. Damascenus lib. 3. fid. Orthod. c. 14.
Tres ſiquidem, ait, vitæ species ſunt: Vegetatrix,
Sensitiva, Intellectiva. Vegetatricis autem peculiaris
eft nutritivus, augmentativus, & generativus mo-
tus. Sensitivæ, qui ſecundum locum motus. Rationa-
lis & Intellectivæ arbitrarius & liberæ potestatis.

98 Difficultas igitur impræſentiarum eſt, utrum in
plantis & vegetabilibus anima sensitiva reperiatur, ſeu
illis quidam ſenſus iñſit; & in animalibus Ratio. Plan-
tas ſenſu præditas eſſe ex Antiquis docuiſſe dicuntur Em-
pedocles & Anaxagoras, quos ſecutus eſt Isaac Iſraëli-
ta, ut refert D. Alb. Mag. lib. 2. de animal. tr. 1. c. 7.
Existimavit enim, ſenſus Tactus & Guftus non tam eſſe
anime ſenſus quām ipſius naturæ; cùm per medium ex-
trinſecum non ſentiant, nec etiam ſpeciem a materia
ſeparatam apprehendant: & ſubinde ejusmodi ſenſus in
plantis reperiiri. Eandem ſententiam nuperis tempo-
ribus ſecuti ſunt Cardanus, Campanella, & nonnulli alii
Recentiores. Immo ſenſu omnia hujus Mundi corpora
prædita eſſe, quidam hæretici dogmatiſarunt, quemad-
modum ſupra ex D. Hieronymo retulimus. Manichæi
verò nedum plantas vitaſ ſensitiva & vegetativa dona-
runt, ſed & præterea existimarunt illas, quemadmo-
dum animalia bruta ratione prædita eſſe, quippequæ
animam rationalem participant. Quos egregie refellit
D. Auguſtinus lib. 2. de morib. Manich. c. 17. & tract.
1. in Ioan. refert Manichæos afferuisse, lapidem, & pa-
rietem animatos eſſe vitaſque habere. Oppoſitum ſcil.
in plantis ſenſum eſſe docent communiter Autores, &
multominus in Animalibus brutis rationem.

99 Conclusio: in plantis non eſt propriè & ſimpli-
citer ſenſus, ſed ſimilitudinariè & impropriè: & ſi-
militer in animalibus quibusdam brutis eſt quid simi-
le rationi, non autem propriè ratio. Prima pars prob.
ratione qua utitur D. Auguſtinus Manichæos redar-
gucns:

Articulus V.

gnens. Ut omittam, ait, quod nullis motibus in ligno sensus doloris appareat, quid manifestius, quam tunc se optimè habere arborem. cum viget, cum frondet, cum floribus lata, fructibus opulenta est? At hoc ei plerunque ac maxime putatione præstatur. Quod si ferrum sic sentiret, uti vultis, contabesceret potius tot tantisque affecta vulneribus, quam ex illis pullulans locis tam certa exultatione reviresceret.

95 Conf. 1. primus omnium sensuum, & basis eorum est Tactus, secundum quem maximè est delectatio & dolor: sed delectatio & dolor non nisi secundum quandam similitudinem in plantis reperiuntur, ut constat: ergo neque sensus Tactus; & subinde neque cœteri sensus. Adde, quod secundum hunc sensum animal maximè est animal; unde quamvis aliquis aliorum sensuum, vel plures deficiant, nihilominus animal est; sed si deficiat sensus Tactus, statim animal interit: ergo si habeant arbores & plantæ sensum Tactus, animalia quædam erunt, quod est ridiculum. Confirm. 2. omnes entium gradus ita se habent inter se, quod unus se habet ex additione ad alium; in genere autem viventium dantur quædam, quæ solummodo sentiunt, motu autem progressivo non moventur: ergo in genere viventium debent dari, quæ tantummodo vivant, & non sentiant; sicuti etiam dantur quædam, ut mineralia, quæ tantummodo sunt, & non vivunt, aut sentiunt. His adde, quod nullum sensus organum, aut medium in arboribus, atque plantis observare est: sed sensus sunt quædam potentiae organicæ: ergo in plantis & arboribus nullatenus est sensus.

96 Quoad 2. part. probat idem D. August. contra Manich. cit. lib. 2. c. 17. dicens: Christus nullam nobis cum belluis & arboribus societatem juris esse judicans, & in gregem porcorum dæmones misit, & arborem, in qua fructum non invenerat, maledicto aridam fecit. Nihil certè porci, nihil arbor illa peccaverat. Neque enim usque eo dementes sumus, ut arbitremur sua sponte arborem vel fructiferam esse, vel sterilem. Neque illud hic vobis dicendum est, his factis Dominum nostrum alia quædam significare voleisse: quis enim ne-

sciat? Sed certe filio Dei non per homicidium signandum fuit, si arborem necare (ut vos dicitis) homicidium est, aut necare animalia. Nam & de hominibus, cum quibus unque sumus juris societate conjuncti, signa quadam dedit, sed sanando homines non necando. Quod & de belluis, & de arboribus faceret, si eadem nos cum illis societate, quam vos opinamini conjunctos esse judicaret.

97 Accedit his, quod voluntas & liberum arbitrium his omnibus inest, in quibus Ratio reperitur, quoniam istam sequitur, ut ex D. Thoma fusè probatum reliquimus tomo 2. in 1. p. q. 19. a. 1. in quibus autem est voluntas ac liberum arbitrium, ista & bene, & male agere possunt, subindeque sunt præmio & poena digna, quod animalibus tribuere brutis plane absurdum est: & consequenter Ratione destituta illa esse credere oportet.

98 Conf. ex D. Th. lib. 2. cont. gent. c. 66. quæcunque Intellectu & Ratione prædicta sunt diversa admodum operantur, ut patet in homine: sed animalia bruta à natura ad quasdam determinatas & uniformes in eadem specie operationes moventur; sicut omnis hirundo simili modo nidificat: ergo animalia bruta simpliciter ratione carent.

99 Quod autem in animalibus perfectioribus sit quædam rationis umbra docet D. Thomas in 3. dist. 27. q. 1. art. 4. ad 3. ubi ait: *Intellectu alia animalia participant per quandam obscuram resonantiam, inquantum sentiunt, sicut & Voluntate participant inquantum habent appetitum sensualem.* Et dist. 35. q. 1. a. 2. quæstiunc. 2. ad 1. *Dicendum, inquit, quod homo inquantum est contemplativus est aliquid super hominem; quia in Intellectu simplici visione continuatur homo superioribus substantiis, quæ intelligentiae, vel Angeli dicuntur; sicut animalia continuantur hominibus in via affectiva, quæ est supremum in eis secundum quam aliquid simile operibus Rationis operantur.*

100 Hac de causa quædam animalia prudentia, atque disciplinabilia ab Aristotele hic lib. 1. tex. 3. dicuntur, cum tamen prudentia & disciplina simpliciter & propriè dicta ad Intellectum spectent: quoniam scilicet quan-

quandam prudentiae ac disciplinæ umbram, atque resonantiam participant. Cujus rei gratia notat D. Th. Iec. i. tres in animalibus cognoscentium vel cognitionis deprehendi atque existere gradus. Primus est eorum, quæ nec auditum nec memoriam habent; idcirco neque disciplinabilia sunt, neque prudentia. Secundus est eorum quæ memoriam habent, auditu tamen destituta sunt, eapropter sunt prudentia, non tamen disciplinæ idonea sive disciplinabilia. Tertius est eorum, quæ & memoria & auditu præstant, & ejusmodi nendum prudentia, sed etiam disciplinabilia censentur. Quartus præterea gradus adjici nequit, ut videlicet quædam animalia sint auditum habentia, & memoriae facultate carentia: sensus enim qui per medium exterins suum, sensibile apprehendunt, inter quos est auditus, non nisi in animalibus, quæ motu processivo moventur, reperire est; quibus memoria deesse non potest, ut docet Philosophus lib. de sensu & sensibili cap. i.

101 Primi generis Animalia imperfecta propriè idcirco memoria carent, quoniam sensata apprehensa non retinent, ob aqueam suæ complexionis frigiditatem, aut terrestreitatem, quæ spiritum animalem formas deferentem impediunt; sicuti experimur in muscis, quæ flabello abactæ se statim rursus ingerunt, lassionis immemores, neque ad certas casas se conferunt. Perfecta vero memoriam habere dicuntur, quoniam in eis ex sensibus in actu factis gignitur quidam habitus imaginum sensilium per quem in memoriam præteriorum exit, qua ad motum excitantur, ut sibi de necessariis provideant, & noxia devitent.

102 Ut autem probè noscatur cur prudentiam habere dicantur advertendum ex D. Th. 6. Ethic. Iec. 4. & Marsilio Ficino in Alcibiad. Plat. quod in nobis, Prudentia ut bonum intelligit, humanas actiones tam publicas, quam privatas ad finem optimum refert. Ut utile per commoda media, propriasque vires, quibus ad finem perveniat, dirigit. Ut pulchrum, quis ordo, quis modus in hoc progressu, quasi in quodam itinere sit servandus, instituit. Ut justum, quæ distinctio singulorum operum, quæ observantia impositi ordinis,

100 *Ques. III. De Anima essentia &*
quod supplicium transgredientis : quod præmium legem
hujus itineris observantis præscribit. Et Franciscus Pa-
ritius de Repub. lib. 5. c. 2. Prudentia, inquit, munus est
omnia ad rationis normam dirigere, nihil agere panien-
dum, fortunæ aditus quasi divina quadam ratione præ-
occupare, sicut non rectum agere.

103 Igitur, ut notat D. Alb. M. hic tr. 1. c. 6. pru-
dentia dicuntur ejusmodi animalia, veram rationem
non habentia quatenus loco ipsius memoria utuntur, &
aliquo modo ordinant atque disponunt vitæ suæ com-
modum per quandam civilitatis, fælicitatisque similitu-
dinem, quem modum videre est in apibus, & grui-
bus, atque aliis innumeris animalibus, quæ mira qua-
dam naturæ industria sua opera perficiunt. Et D. Th.
Dicitur, inquit, prudentia aliter in brutis animalibus,
& aliter hominibus inesse. In hominibus quidem est
prudentia secundum quod ex Ratione deliberant quid
eos oporteat agere. Unde dicitur 6. Ethic. quod pru-
dentia est recta ratio agibilium. Judicium autem de re-
bus agendis, non ex Rationis deliberatione, sed ex quo-
dam naturæ instinctu, prudentia in aliis animalibus nun-
cupatur. Idcirco prudentia in aliis animalibus est natu-
ralis, astimatio de convenientibus prosequendis & fu-
giendis nocivis.

104 Hoc naturæ instinctu ducti hericci ventos aqui-
lonares & austriacos, dum adventantes persentiant, ita-
tim cavernas introeunt & ex ea parte, unde perflatuum
ventum prospicunt, illius os obstruunt quo se ab
illius impetu tueantur. Hoc ipso naturæ instinctu acta
cerva in locis umbrosis juxta publicas vias parit, ut fera-
rum insidias, injuriasque devitet, ibique noctu degit :
sed purascente aurora, belluis ad sua latibula re-
meantibus ad loca larentia petrarumq; concavitates cum
fœtu properat, ut ab hominibus transcuntibus se inco-
lumem servet. Eodem instinctu ibices polegium ag-
reste comedunt, ut ferrum è vulnere excutiant. Id-
circo prudentes nuncupantur. Et quamvis prudentia
hæc, & naturæ sagacitas, sive astutia in magnis ani-
malibus egregiè eluceat : in parvis tamen quibusdam
animalibus, multò magis deprehenditur ut in apibus

hirundinibus, & gruibus, de quibus innumera
Autores.

105 Disciplinabilia tandem dicuntur quæcunque per
alterius instructionem ad aliquid faciendum, quod mo-
dum Artis habeat, vel aliquem Rationis ordinem imi-
tetur, assuescere possunt. Quo pacto Psittaci & Picæ
ad quasdam canilinas decantandas assuefactione habi-
iles efficiuntur. Ex quibus constat disciplinabilia hæc
dici ex eo quod auditum, memoriam & prudentiam
habeant: sine quorum interventu ad hujusmodi opera
non assuescerent negne ordinem Rationis imitarentur.
Unde apes, & cætera ejusmodi animalia auditu caren-
tia disciplinabilia non sunt, esto prudentia esse possint,
ut docet Philosophus loc. cit. Advertit Alexander hoc
intelligi de omnibus disciplinis quæ per signa sensibilia,
& institutionem auditu perceptam addisci possunt.

106 Monet tamen D. Alb. Mag. hic tr. 1. c. 6. du-
plex esse distinguendum Artis genus, videlicet Liberalis & Mechanicæ: quarum illam propter se & animi
gratia volumus; cujusmodi sunt, Musicæ ars, tripudiandi, saltandi, &c. quarum solis duntaxat exercitiis
oblectamur, & non lucri anterioris utilitatis causa-
cas discimus: Mechanicæ vero quæ ob utilitatem &
commodum addiscuntur, quemadmodum Sutoria: se-
cundum quas etiam est duplex institutionis seu discipli-
næ genus in animalibus Liberalis nimirum & Mecha-
nicæ. Attamen videntur plura animalia instrui, im-
bique posse quasi Liberalibus disciplinis, quæ sunt cap-
tu faciles, ut cantare, tripudiare, saltare &c. pauca-
vero Mechanicis. Ratio esse potest quia artes primi
generis magis auditu capi, ac facilius acquireti possunt,
magisque ad naturæ similitudinem accedunt, quæ est ra-
tio quædam Artis Divinæ indita rebus, qua moventur
ad suos fines, secundum ordinatos quosdam processus,
ut docet D. Thomas lib. 3. cont. gentes cap. 24. lib. 2.
Phys. loc. 4. & 14. quæ quidem ratio artis divinæ atque
sapientiæ non modicum in his animalibus relucet, ut
notat idem S. D. 1. 2. q. 13. a. 2. ad 3.

107 Quam doctrinam multis exemplis illustrare
possimus. Et quidem choreas tripudiaque edoceri pos-

sc̄ ejusmodi animalia Sybaritarum exemplo notissimum est ; qui cūm in symposiis equos suos ad tibiam tripudiare docuissent , ad internacionem usque deleti sunt , ut meminir Aristoteles & ipsorum republica agens . Crotoniatae enim illorum hostes hoc deliciarum studio intellectu saltandi concinnitatem illis pararunt tibicines , ut equos ita instructos auditu tibiæ cantu se se statim attollerent arrectos , pedibusque prioribus vice manuum gestus , motusque quosdam chironomia ederent ad numerum saltatorios militibus suis permiscentes , quorum melodiam cūm audivissent non solum dicuntur exiliisse , verū etiam excussis sessoribus ad Crotoniatas hostes transfugisse . Idem scribit Charon Lampacenus Bisaltas olim contra Candianos designasse : Onarim enim Bisalarum ducem , Tibicinam Cardianam erudire fecit , ubi ergo pugna fuit cœpta , tibias inflare , modulosque canere jussit consuetos . Quibus auditis equi in posteriores pedes erecti in tripodium sunt conversi : & cūm Cardianorum vis in equitatu posita eset , vici facile superatique fuere . Olaus magnus etiam in Olandia Gotici Maris ingeniosissimos esse quosdam equos testatur , ut saltibus & cho reis buccinæ vel tympani sono per eos adaptari possint . Quorum exercitium est hujusmodi spectaculis acquirere victimum . Itemque instrui , ut circulos ferreos aut ligneos non admodum amplos more canum transiliant , saltuatinque vivacissima perniciitate se se gyrando revoluant . Proprio etiam nomine monitos magis vel minùs id facere juxta arbitrium imperantis . Quam docilitatem descendique promptitudinem Solitus voluptatem nuncupat inquiens : *Voluptatem equis inesse Circi spectacula prodiderunt . Quidam enim equorum canticibus tibiarum , quidam saltationibus , quidam colorum varietate , nonnulli etiam accensis facibus ad cursum provocantur .* Sed illud præ omnibus cæteris equum capacem disciplinæ ostendit , quod homines adorare sæpius visus sit .

108 Notat idem D. Albertus Mag . hoc intervenire discrimen inter prudentiam , ac disciplinam in Animalibus , quod prudentia est quædam sagacitas circa illa , & quæ

quæ ad vitam eorum conferuat, existens in eis ex memoria convenientium acceptorum cum ipso sensu in actu sensibilis facto. Disciplina autem est sagacitas sive industria circa illa de quibus ars habetur ex memoria sonorum quatenus signa rerum existunt per modum conceptum & nominum. Igitur omnia illa animalia sunt equidem prudentia, disciplinæ verò expertia quæcunque memorativa sunt; sonos tamen, quatenus per modum signorum & nominum sunt audire non possunt, ut apes. Addiscunt autem aliquid disciplinæ quæcunque animalia juxta memoriam reservantem intentiones notitiasque rerum atque nominum etiam ejusmodi sensum auditus sortiuntur. Nam sonorum quælibet eruditio atque perceptio, quæ ad disciplinam valet, non simplici auditus sensu perficitur, sed virtute etiam estimationis aliqualiter conferentis designata per nomen, vel per sonum ad instar nominis. Quo pacto canes, elephantes, simæ, jumenta etiam, armenta, & alia quædam animalia auditu prædicta sunt, cum propriis nominibus appellata currant, auditis verò aliis atque aliis vocibus ex instituto significantibus aliter atque aliter moveantur, aut quiescant: & quædam opera similia operibus artis faciant. Quod cernere est in canibus, qui certis verbis provocati humanam saltationem imitantur. Visus est in Lusitania quidam canis Eduardi Principis, ante centum annos, qui naturæ sagacitati audiendi consuetudine adjuncta nomina propria quorundam epùs familiarium ita distinguebat, ut eorum quemlibet ab alio vocatum queritaret, & dentibus veste apprehensa ad vocantem duceret. Quam docilitatem & humani ingenii imitationem ipso mortis genere confirmavit; siquidem mortuo principe & constantissimè cibum repudiavit, & desiderii cruciatu affectus interiit.

109 Obijcies: plantæ à tangilibus & gustabilibus partituntur: quin immo purum ab impuro, & proficuum ab inutili sequestrant, dum nutriuntur, ideoque utrumque nosse & persentire videntur, alias vel nullum attrahent, vel omnem telluris succum ebiberent. Habent quoque plantæ amicitias inter se, & inimicitias, & sexum: vites ulmis amicæ prohibentur, brassicis vero inimicæ, & lu-

pinis sicomori: oleas myrthi amant, fugiunt cucurbita
 & ad salices extençuntur: à supposito etiam oleo aufugere
 & contrahi dicuntur; ad aquam vero in vase suppositam
 extenduntur, & augentur. Heliotropium Solis amore
 converti omnes norunt, & tandem de palmis communiter fertur
 quod non fructifcent, nisi femina masculo
 adhæreat, vel ejus odore aut pulvere ab eo accepto illiniatur. Unde psal. 77. dicitur: *Occidit in grandine vineas eorum*; occidi autem non nisi vita sensitiva præditis
 competit, uti animalibus.

110 Respond. ad 1. equidem plantas à tangilibus
 & gustabilibus affici, non tamen immutatione intentionali,
 & per species earum, quo pacto immutantur sensus;
 sed immutatione naturali. Neque ut purum ab impuro
 secernant, illudque respuant & istud attrahant opus est
 ut propria aliqua cognitione id præstent, sed ipsa vi &
 facultate naturæ ab autore illius indita, & directione
 illius, qui omnia etiam cognitione carentia in propriis
 dirigit fines: ratione cuius opus naturæ opus Intelligentiæ
 esse dicitur. Ob eandemque causam amicitiam quandam
 & inimicitiam inter se gerere videntur, hoc est sympathiam,
 vel antipathiam quandam ab eodem naturæ parente illis impressam: vel denique virtutes quasdam ex
 actione Corporum Cœlestium influxuque eorum participant;
 qua de causa actiones quasdam operantur, quæ
 Iphæram videntur excedere earum naturarum, quæ
 cognitione destitutæ sunt. Unde in plantis est appensus
 naturalis, qui absque cognitione est. Ad illud psal. 77.
 respondet D. August. lib. 1. de Civit. Dei c. 2o. dicens:
Hoc genus rerum, id est, plantarum, quamvis non sentiat, vivit, & per hoc potest mori. Unde occisio ibi sumitur pro cuiuslibet viventis destructione. Et ideo Genesius exponit: *Occidit, id est, perdidit, per metaphoram, ut significet plantas vivere suo modo vita vegetabili.*

ARTICULUS SEPTIMUS

*Vtrum omnis anima secundum essentiam suam
sit indivisibilis.*

100 **N**ota ex D. Alb. M. sum. de homine q. 7. ar. 2. aliquid divisibile dupliciter dici. Primo divisione quanti, quod nimis in partem majorem, & minorem dividi potest, quarum nulla est aequalis toti. Et hoc dupliciter contingit, scilicet per se, & per accidens. Per se hac divisione dividuntur, quae per se quanta sunt, & ut quanta dividuntur; per accidens vero, quae ad divisionem ipsius quanti dividuntur, ut albedo ipsi quanto adjacens. Secundo potest aliquid dividi divisione materiae, ita ut ipsa secundum totam sui rationem & esse in utraque parte maneat, ut cum dividitur aurum: quilibet enim pars auri rationem & esse participat: & ideo quae libet pars auri est aurum. Quod intelligendum est, quando divisione speciem non corruptit; ut in divisione auri: si enim speciem ipsa destruat, neutquam partes rationem, & esse ipsius totius retinent: nec enim divisione asino quilibet pars asini est asinus: sed quae speciem totam retinet.

101 Supponimus impræsentiarum ut fide certum animam rationalem spiritualem esse, ac perinde indivisibilem integraliter, seu quantitative, non modo per se, verum etiam per accidens, & ad ipsius corporis divisionem. Tota ergo difficultas procedit de Anima Sensitiva ipsorum animalium, & Vegetativa plantarum; an scilicet divisibles sint saltem per accidens ad corporis divisionem, aut divisione materiae, & continui? Iam ab antiquis temporibus sub judice lis est. Quidam omnem animam, etiam humanam fecere corpoream, ac per se divisibilem. Ita Cleantes, & Chrysippus apud S. Gregorium Nyssenum lib. 2. de anim. c. 2. Idem sensisse videtur Tertullianus de anima c. 6. dum animam nostram fecit corpoream, quamvis immortalem. Alii vero docuerunt omnem animam simpliciter esse indivisibilem. Ita Simplicius lib. 1. de anima t. 4. Marsilius Ficinus lib. 1. de Theol.

Theol. Plat. c. 5. & 8. ubi hanc sententiam tribuit Plato
ni, Ammonio, Plotino, & Porphyrio. In eandem in-
clinasse videtur D. Bonavent. in 2. d. 8. p. 2. a. 1. q. 3. Alii
omnem animam sensitivam ac vegetativam divisibilem
reputarunt. Ita Scotus in 4. d. 44. Durandus, Aegidius,
& alii plures, qui videri possunt apud M. Martinez de
Prado hic lib. 2. q. 9. n. 33. Tandem alii animas planta-
rum, & animalium imperfectorum divisibles esse arbit-
rati sunt; animalium vero perfectorum animas simpli-
citer indivisibiles fecerunt. Ita communiter Thomistæ:
quorum plurimos adducit, & sequitur idem autor loc.
cit. n. 33.

102 Prima concl. omnis anima in ratione animæ actu
& formaliter est indivisibilis, potentia autem divisibilis
sunt animæ plantarum, & animalium quorundam im-
perfectorum, dividunturque divisione materiæ, & per
accidens ad divisionem corporis. Nomine animalium
imperfectorum hic intelligimus illa quorum partes deci-
ſæ vivunt, & in eis salvatur species; ut sunt lacertæ, co-
lubri, vermes, & similia. Hæc concl. est D. Thom. de
spirit. creat. a. 4. ad 19. ubi ait: *Dicendum quod in illis
animalibus, quæ decisa vivunt, est una anima in actu,*
*& multæ in potentia: per decisionem autem reducuntur
in actum multitudinis, sicut contingit in omnibus formis,*
quæ habent extensionem in materia. Eandem docet D.
Alb. M. sun. de hom. q. 7. a. 12.

103 Prima pars prob. omnis anima actu & formaliter
physicè, & in re constituit materiam in specie determi-
nata viventis: sed nihil formaliter actu ad speciem de-
terminat, nisi actu secundum se indivisibile sit: ergo
qualibet anima secundum se actu, & formaliter indivisi-
bilis est. Maj. patet: nam hæc forma cinamomi: v. g.
constituit plantam in specie determinata, quæ est cina-
momum; & forma lacertæ constituit in specie determi-
nata animalis. Min. uero prob. nihil formaliter actu ad
speciem determinat nisi dando actu esse specificum actu
distinctum, & divisum à quolibet alio: sed non potest
esse actu distinctum: & divisum à quolibet alio, nisi actu
in se indivisibile sit: ergo nihil actu formaliter ad spe-
ciem determinat, nisi actu secundum se indivisibile sit.

Prob.

rob. min. ut aliquid sit actu, & in re ab alio divisum debet esse in se terminatum distincto termino, & non habere terminum communem cum illo: sed omne id quod terminatur actu, aliquo indivisibili terminatur; quia si divisibile sit ulterius, eo ipso terminatum non erit: ergo aliquid actu & formaliter non potest esse ab alio distinctum ac divisum, nisi actu in se indistinctum atque indivisum sit. Conf. species rerum sunt sicut numeri, quibus addito, vel detracto variatio sit in specie: ergo in indivisibili consistunt: ergo forma speciem constituens formaliter actu indivisibilis est.

104 Secunda pars prob. i. ex Arist. i. de anim. c. 68. ubi ait: *Plantæ autem, & animalium multa divisa vivunt: & videntur eandem habere animam speciei.* Vbi D Th. Dicuntur, inquit, *plantæ vivere decisæ, & animalium quædam incisorum, tanquam eandem habentia animam specie, et si non numero.* Et re ipsa quidem irrefragabili sensuum experientia constat ramos plantarum insitos alteri, vel in terra plantatos germinare, ac coalescere. Similiter utramque vermium decisorum partem sentire, ac moveri, quæ sunt manifestissima vitæ opera. Et ita testatur D. August. lib. de quant. animæ c. 31. ubi de quadam bestiola reptante, multipede refert, quod in multis partes concisa, ita omnes moverentur, ut totidem bestiolæ separatae viventes crederentur. Et tandem concludit nonnullum animal concisum in omnibus partibus vivere.

105 Respondent Contrarii, divisa planta totalem ejus formam corrumpi, & alias de novo produci, sicut diviso continuo plures actu superficies resultant. Contra i. esto duæ formæ numero distinctæ resultent, quia distincta numero accidentia pullulant per distinctionem materiæ, vel subjecti numericam, tamen formaliter illæ duæ formæ sunt ejusdem naturæ, & speciei; ut expressè docet S. D. ex Arist. lib. 2. de anima cit. sed si animæ illæ essent simpliciter indivisibiles secundum naturaliam & speciem suam, nullatenus possent remanere in eadem specie inter se, vel cum illa forma totali: ergo non sunt omnino indivisibles. Prob. min. species rerum naturalium sunt sicut numeri, quorum species per addi-

III. De Anima essentia &c.
tioneum, & abstractionem unitatis variantur, ut dic.
8. Metaphys. text. 10. sed formæ illi totali quæ destruunt
aliquid detrahitur; alias illæ, quæ de novo pullulant
totales essent, sicut prima, & tantam materiae mole
informarent; quod constat esse falsum: ergo si formæ
illæ essent indivisibles omnino, in eadem specie non
remanerent. Conf. in formis naturalibus est ordo, &
cum materia recedit ab aliqua forma, non suscipit aliam
eiusdem speciei, sed alterius ut in omni corruptione sub-
stantiali patet: insuper nova forma sine novis dispositio-
nibus præviis non generatur: nulla autem ibi appetit
dispositio ad novam formam, sicut nec alteratio, cum
remaneat eadem organisatio: ergo forma illa non cor-
rumpitur, ita ut aliæ de novo pullulent.

117 Quod si dixerint utramque partem eadem ani-
ma vivere: multò absurdius erit: cum ad divisionem
materiae nova corpora resultent: ergo etiam distinctæ
numero animæ, quæ sunt illorum corporum actus.
Eo præsertim quod si eadem anima esset, operatio unius
operationes alterius impediret. Et tandem motu suo ad
eundem locum tenderent, & non ad diversa loca, quod
experientia teste falsum esse constat. Nec valet dicere
cum Simplicio quod una solùm ex illis partibus, nimi-
rum ubi est caput, vivat, aliæ vero non: sed moveri
propter spiritus vitales ibi actu remanentes: unde post-
quam evanuerint cessant moveri. Non, inquam, obstat:
quia tandi spiritus vitales non permanerent: nec cum
solis illis alimentum trahere possit, quod tamen quan-
doque evenit.

118 Tertia pars, nimirum quod sint divisibiles di-
visione materiae, pater: quia in utraque parte decisa
salvatur tota ratio & esse formæ: quod ex eo conclu-
ditur, quia similes operationes exercent. Quod au-
tem per se non dividantur, paret etiam; quia sunt for-
mæ substanciales, quibus per se dividi non competit,
cum substantia ex se nullas actu partes habeat, nisi per
ordinem, & habitudinem ad quantitatem: ut latè pro-
batum est. 10. 2. q. 6. de quant. a. 1. Dividuntur igitur
quantitativè, seu divisione quanti per accidens: quia
ad divisionem quanti sequitur materiae divisio, cuius
actus

is est forma, quam ad divisionem materiae dividiri nemo, seu materialiter, necessum est. Et hac ratio anima illa dicitur multiplex in potentia: quia cum et valde imperfecta, & immersa in materia, vix extendens rationem corporis, non est actualitatis perfectae & unitatis in esse suo, sicut sunt animae perfectae: eapropter relinquit potentiam ad divisibilitatem secundum modum illum imperfectum actuandi materiam, & inessendi.

119 Secunda concl. Animae animalium perfectorum (quorum scilicet partes decisae non vivunt salvando speciem) non sunt divisibles actu, vel potentia divisione materiae, vel quantitatis; sive per se, sive per accidens: sed sunt simpliciter indivisibles. Ita S. D. 1. p. q. 76. a. 8. D. Alb. M. lib. 1. de anim. c. ult. Prob. 1. cujuslibet animalis perfecti forma habet ex ratione propriae speciei diversam omnino habitudinem ad totum & ad partes, ita ut nulla pars possit esse primum perfectibile talis formae: sed si animae illae essent divisibles & haberent diversas partes quantitativas diversis corporis partibus correspondentes, ipsae secundum suam essentiam non haberent diversam omnino habitudinem ad totum & ad partes illius, immo pars posset esse aliquo modo primum perfectibile talis formae: ergo animae animalium perfectorum non sunt divisibles. Maj. patet: quia nulla pars animalis perfecti a toto decisa, & separata vivit, aut exercet propriam animae illius operationem: ergo neque retinet speciem seu formam; quia quod retinet speciem, speciei operationem habet: ergo cum totum illam retineat, diversa est habitudo animae ad totum corpus, & ad partes illius. Min. verò prob. quaelibet pars formae quantitativae, & divisibilis totam ejus essentiam respicit; v. g. quaelibet pars aquae simpliciter est aqua, & decisa a suo toto speciem aquae retinet: & quaelibet pars ligni est lignum: & cuilibet parti proportionata pars talis formae correspondet: ergo similiter in anima eveniret, si forma quantitativa, & divisibilis esset. Et hoc ideo est: quia si forma dividitur divisione materiae dividi debet: & ideo secundum totam rationem, & esse in qualibet parte esse debet.

110 H[ab]et rei gratia notat D. Caet. id. triplex si formarum genus. Quædam sunt, quæ omnino indifferenter se habent ad totum, & ad partes; quia operationes earum in qualibet parte salvare possunt: sicut forma aquæ, vel ignis: in qualibet enim parte ignis operationes illius salvatur. Aliæ sunt quæ omnino differenter se habent ad totum, & partes illius; ita ut in totum hoc, vel illo modo dispositum, & organisatum introducantur, in quamlibet autem illius partem indifferenter non introducuntur; exempli gratia ipsa anima rationalis non introducitur in pedem, vel manum, decisam: sed in corpus organisatum juxta exigentiam sui. Aliæ tandem sunt formæ, quæ medio modo se habent: nam quodammodo se habent differenter ad totum & ad partes: nonnullas enim operationes habent in una parte, quas in alia non sortiuntur; & quodammodo indifferenter, quia in qualibet parte salvantur, ut forma lacertæ.

121 Et hoc ideo est: quia, ut passim notat S. D. est ordo in formis quæ secundum magis, & minus perfectum differunt, & quo magis ad similitudinem primi actus accedunt, eò sunt perfectiores: unde inter cæteras anima rationalis habetur perfectior: quia magis ad imaginem Dei, & similitudinem primi actus accedit. Formæ autem corporales rerum inanimarum quam latissimè ab ea similitudine primi actus distantes sunt, & prope materiam, quæ est divisibilitatis radix: unde & ipsæ divisibiles sunt divisione quantitativa; quia nullam in partibus dissimilitudinem habent, sicut neque materia ipsa: quælibet enim pars materiæ materia est. Supra has paululum in perfectione extolluntur formæ vegetabilium, & animalium imperfectorum; quia jam magis accedunt ad similitudinem primi actus, nimirum in gradu vivendi, & non solum essendi. Et quia esse actu est radix operationis, jam quandam operationum maiorem diversitatem sortiuntur, & per consequens nonnullam organorum diversitatem, quæ sunt operationum instrumenta: unde quodammodo differenter. se habent ad totum, & partes quoad rationem aliquam operandi: simpliciter tamen se habent indifferenter ad

tum , & ad partes quoad rationem informandi : quia et huc non multum elevantur supra materiam , quod hasatur eorum minima in partibus dissimilitudo . Super autem elevantur formæ animalium perfectorum irrationalium , in quibus jam est magna operationum diversitas , ac per consequens organorum , ac in partibus dissimilitudo : unde non remanent indifferentes ad informandum partes , & totum : sed primo habitudinem ad totum , ut primum perfectibile a se dicunt . Et ideo non sunt quantitative divisibles . Et super has in ultima perfectionis linea constituitur anima rationalis , quæ etiam entitativè est incorporea , licet sit corporisactus . Hanc rationem insinuant S. D. & D. Alb. Mag. loc. citato .

122 Dices ex hac S. D. ratione solùm sequi animam perfectorum animalium non sic esse in materia , ut in qualibet ejus parte conservari possit . Cæterum non inde colligi , quod in illa materia non sint divisibles , & extensa : quemadmodum in minimo naturali aquæ forma substancialis est extensa . Cæterum si fiat divisio , defectu quantitatis materiæ , in parte divisa manere nequit . Eodem pacto in animali perfecto forma est divisibilis , & extensa : quamvis defectu quantitatis in parte materiæ conservari nequeat .

123 Contra : illa forma , quæ naturaliter est divisibilis , naturaliter exigit in partibus divisis conservari , absolute & secundum se loquendo : ergo si animæ perfectorum animalium divisibles sint , absolute , & secundum se loquendo in partibus divisis aliquando conservabuntur . Prob. antec. natura corruptionem non intendit , sed speciei conservationem : ergo illa forma , quæ naturaliter est divisibilis , naturaliter exigit in partibus divisis conservari : alias naturaliter intenderetur corruptio in divisione illius . Itaque ibi est sermo de forma , parte , & toto , secundum se , & absolute sumptis ; non autem de tanto , & tali parte . Quod enim in tanta , & tali parte non conservetur , per accidens se habet ; si semel detur quod absolute in parte , vel partibus aliquibus conservari possit ; ut de facto continet in animalibus , quæ decisa vivunt .

124 Contra. Ne ratione totius quantitativi est quæ
cujus partes à toto separatae totum fiant: ut sèpius &
D. docuimus: ergo si in anima illa est totalitas qua-
titativa, de ratione sua habebit quod partes separatae
tum fiant, seu anima quædam totalis, ac per con-
quens quoddam partes decisæ vivant, nisi per accidens &
ab extrinseco impedianter. Quod autem est ut per ac-
cidens non semper contingit; ergo oportebit quod tan-
dem aliquando partes animalium perfectorum decisæ
vivant: si solum ab extrinseco proveniat, quod non
vivant, nimirum quia carent debita quantitate, vel
organisatione congrua. Patet hoc in animalibus im-
perfectis. Licet enim accidat non semper quaslibet par-
tes ipsorum decisas vivere: tamen absolute vivunt eorū
partes decisæ, ut quotidiana testatur experientia:
ergo si animæ perfectorum animalium sint divisibiles,
competet eis absolute, ut decisæ vivant: cujus contra-
rium omnino evenire experimur.

Solvuntur Argumenta Contraria.

125 Arg. 1. si partes lacertæ, vermis, vel cuiuslibet alterius animalis imperfecti propriam
haberent formam, ex læsione seu passione unius partis,
cæteræ necessariò non condolerent: veluti, cum pars
tabulæ calefit, necessariò cæteræ calorem non susci-
piunt: sed ut docet D. August. lib. de immort. anim. c.
ult. si vermis in cauda pungatur, se totum movet, ac
contrahit: ergo signum est quod anima illius tota sit in
qualibet parte. Conf. ex eodem D. Aug. lib. de quant.
animæ, ubi docet species, quibus animalis cuiusque
sensu apprehendit objecta, esse indivisibiles: id au-
tem, quod apprehendit indivisible, ipsum quoque
indivisible est.

126 Resp. lacertam, vel vermiculum, si in cauda
pungatur, in toto corpusculo dolorem concipere &
ideo constringi: quia ibi una est anima actu, sub una
continuitatis ratione, licet plures potentia. Et propter
eandem rationem species, quibus apprehendit, sunt
quodammodo indivisibles,

127 Arg. 2. si in parte animalis remanet anima, quælibet pars esset animal; sed hoc est absurdum: ergo &c. Seq. prob. 1. quia animal nil aliud quam compositum ex materia, & anima sensitiva: qualibet autem parte materia, & anima sensitiva recriuntur. Prob. 2. ramus ex arbore decisus, & plantatus vere est arbor, quia viventi anima praeditus est: ergo si in parte absisa lacertæ: v. g. anima sensitiva maneat, erit verum animal. Confirm. si in qualibet parte absisa maneat anima cum suo sensu, & motu locali, ibi phantasiam, & imaginativam manere necessum est, sine quibus motus localis animalibus inesse nequit, ut docet Arist. lib. 2. de anim. t. 20. sed phantasia, & imaginativa, cum certum organum exigant, in qualibet animalis parte manere nequeunt: ergo neque anima.

128 Resp. ad arg. quamlibet partem habere formam ejusdem speciei essentialiter & quantum ad substantiam: non vero secundum esse perfectum, & completum in ratione naturæ, & principijs operationum naturalium propriarum talis speciei: ut de embryone diximus ex S. D. lib. 2. Phys. Nam in ratione principij operationum, & naturæ perfectæ exigit talem organisationem & potentias ad operandum suas operationes, & speciales moxus; sicut nutritionem, augmentum &c. quæ in aliqua saltem parte completere non inveniuntur; ut in cauda non est os ad cibum attrahendum. Unde in aliqua saltem parte deprehenduntur communes duntaxat animæ operations, sicut motus vagi, & incerti, & sensus tactus; sed non propriæ, & completæ, etiam secundum quod à tali vivente antea exerceri deprehendebantur.

129 Ex quibus patet ad 1. prob. Ad 2. resp. M. Bannez loc. cit. & alii communiter duplicem esse phantasiam. Alteram perfectam; ad quam motus localis certus, ac determinatus consequitur. Et hæc certum, ac determinatum in corpore suum sibi vendicat, nec in qualibet parte reperitur; imo nec in omnibus animalibus. Alteram imperfectam, quæ per totum corpus respersa est, sicut tactus; & hæc sufficit ad aliquos motus vagos, & incertos, reperiturque in qualibet parte animalis imperfecti: quæ talibus vagis moribus cietur.

130 Arg. 3. formæ brutorum animalium sunt corporeæ, & materiales: sed de ratione rei corporeæ est visibilitas in partes quantitativas: ergo formæ animali brutorum, etiam perfectorum sunt divisibles. Dices rationem corporis sufficere quod à corpore & materia dependeant, si sit corporeum ut quo, non verò requiri divisibilitatem. Contra: si aliquod accidens spirituale esset in corpore receptum, dependeret quidem in suo esse à corpore, naturaliter loquendo: sed tamen non esset forma corporea, sed spiritualis, ac perinde indivisibilis: ergo non sufficit dependentia à corpore, & materia secundum esse, sed ulterius requiritur divisibilitas in partes quantitativas. Conf. hujusmodi animæ educuntur de potentia materiæ divisibilis: sed formæ quæ educuntur de potentia materiæ divisibilis, sunt divisibles, & extensa: ergo illæ animæ sunt divisibles. Maj. patet, quia forma illa cum primò generatur, de corpore organista, eius est actus, educitur: nec tota à tota materia, & tota à parte illius prodit; quia hoc vix intelligi datur in ipsis formis spiritualibus. Imò & fit actione divisibili, & corporea. Tum etiam quia augmentatio est eductiva novæ formæ partialis; ergo cum augetur animal, ex nova parte materiæ educitur nova pars formæ, ac per consequens est divisibilis.

131 Hoc argumentum, quod in hac parte præcipuum est, & molestius, postulat, ut breviter explicemus in quo consistat ratio corporis, seu corporei, prout distinguitur à spirituali, & immateriali. Variæ sunt de hac resentientiæ. Prima afferit rationem corporis, seu corporei consistere in divisibilitate, & extensione partium. Ita P. Vasquez 1. p. disp. 118. cap. 6. & alii Recentiores. Alii ē contra afferunt rationem corporis nullatenus in divisibilitate consistere: cum etiam substantiae immateriales creatæ, ut Angeli, partibus integralibus constent: sed in eo quod substantia aliqua sit cum alia impenetrabilis. Ita P. Arriaga disp. 1. de anim. sec. 4. & alii Recentiores. Alii dicunt consistere in dependentia intrinseca à materia seu subjecto materiali. Ita P. Thomas Huncadus in suo Præcurs. Philosoph. contr. 2. §. 2.

132 Nota ex S.D. quod esse corpus de genere substan-

dicit substantiam completam cr. debentur tres dimensiones; uidelicet longum, latum, & profundum.

is verò de genere quantitatis actu tres illas: dimensiones importat. Præterea nota quod non est idem esse corpus, atque corporeum, sicut neque est idem esse materialia, & materiale quidpiam. Corpus enim dicitur essentialiter, & ut per se stans, corporeum vero dicitur denominative, & per modum alteri adjacentis. Unde ibi considerandum est aliquid per modum formæ denominantis, & aliquid per modum subjecti denominati.

133 Materia & forma sunt corporeæ, non corpora essentialiter, ac per consequens per ordinem ad corpus: nam quod per denominationem tale est, necessariò dicit habitudinem ad aliquid, quod per essentiam sit tale. Materia quidem corporea dicitur prout dicit, habitudinem ad corpus ut prima ratio recipiendi quantitatem, cæteraque accidentia, & ut causa materialis; ipsius totius, in quo actu existit: nam materia non est actu sub dimensionibus, & habent partes, nisi ut stat sub forma substantiali, & ratione ipsius esse totius compositi. Forma verò dicitur corporea, per habitudinem ad corpus, & ad materiam: ad corpus quidem tanquam ad id quod per se est actu, & cui debetur tria dimensio ut actus secundus: ad materiam autem ut ad rationem primam recipiendi ipsas dimensiones.

134 Est autem habitudo formæ ad materiam, vel ut actus ad potentiam, uel ut effectus ad causam. Quatenus forma est actus, diffundit se super materiam, perficit, ac determinat illam, & sub hac ratione omnis forma actu indivisibilis est: quia omne terminatum oportet esse indivisible. Veruntamen quia contingit quasdam formas esse actus imperfectos, & non plenè terminantes potentialitatem materiæ, contingit in potentia divisibilis esse divisione ipsius materiæ, & per consequens divisione quanti; ut sunt animæ plantarum, & animalium imperfectorum. Illæ autem animæ, quæ sunt actus perfecti, & constituant speciem perfectam plenè vincunt potentialitatem illam: unde non relinquitur in eis potentia ad divisionem, sed modo indivisibili tam actu quam potentia respiciunt materiam, & totum: sunt tamen

men corporæ per modum actus talis potentia, quæ e
radix totius corporeitatis. Quod si ulterius habeant
actu à compoſito, & à materia conſequenter ut à c
fiendi, & cilendi compoſiti, dicuntur eſſe corporeæ
materialeſ: cujuſmodi ſunt omnes animæ præter ra
nalem; quæ dicitur incorporea formaliter, & ſecundum
eſſe: quia à compoſito non habet eſſe, ſed exercitium eſ
ſendi actu in materia cujuſ est actu, & forma: cum ſit
per ſe ſubſiſtens. Dicit tamen habitudinem ad materiam,
quæ eſt radix prima corporeitatis, & ut ſic dicitur corpo
reia in virtute, & eminenter: ſed non ſecundum eſſe:
quia per ſe, & ſine ipſa actu eſſe potest.

135 In forma ergo ad arg. resp. diſt. maj. formæ bru
torum ſunt corporeæ per modum radicis primæ recipien
di trinam dimensionem, aut ut ſubiectum illius, nego;
ut actus perficiens potentiam, & limitans corpus ad ta
lēm ſpeciem viventis, concedo: & diſt. min. de ratione
rei corporeæ eſt divisibilitas in partes, ſi ſit corporea
ut quod, ſive proximè, ut quantum, vel compoſitum,
ſive remote ut materia, vel quod idem eſt, ſi ſit corpo
reum ut ſuſcipiens corporeitatem & trinam dimenſio
nem, concedo: ſi ſit corporeum ut actus limitans, ac
determinans corpus ad certam ſpeciem rei corporeæ,
nego: quia ſub hac ratione habet eſſe indiviſibile, licet
diviſibile terminet. Exemplum eſt in continuo, quod
ratione formæ terminantis eſt quodammodo unum, &
indiviſibile, ex S. D. lib. 2. de anima: ut quod tamen po
tentia diſiſibile eſt in infinitum. Quod autem aliquæ for
ma diſiſidantur, hoc habent, non in quantum ſunt actus
perficiivi & limitantes ſpeciem; ſed quia non ſunt actus
perfetti, & plenè terminantes, ſed multum immersi
materiæ, unde habent immixtam potentiam in quandam
& radicem ad divisionem, ac pluralitatem potentialem,
quapropter diſiſione materiæ dicuntur diſiſi.

136 Dices: etiam qualitas eſt actus, & forma perf
iciens: tamen per accidens diſiſidit diſiſione quan
igitur & formæ materialeſ hac ipſa quanti diſiſione di
viduntur. Resp. quod qualitas eſt accidens conſecutum
ad ipsam formalem corporis rationem, & habens eſſe in
ipſo quanto, idcirco diſiſo quanto per accidens di
viditur.

ditur. At formæ corporeæ præcedunt rationem quanti. solum dicunt habitudinem ad ipsum ratione compositionis vel materiae, quam actuant, & limitant ad esse: unde divisionem quanti necessariò dividitur totum, & materia, seu non forma; nisi contingat eam dividi divisione materiae, propter immersionem quam habet in illa, quod non contingit in formis perfectis.

137 Resp. ad replicam negando quod accidens spirituale immediate possit recipi in corpore, saltem ut in subiecto inhalationis, & passivæ sustentationis, quia necessariò corporeum esset, ac materiale; cum dependeret à corpore in suo fieri, & esse. Resp. ad conf. neg. minorum. Ad 1. prob. dico quod forma materialis procedit tota à tota materia, & tota à parte, loquendo de totalitate essentiæ, sed non loquendo de totalitate quantitativa, quam actu non habet, nisi prout est sub forma & trina dimensione in actu: cum autem forma è actuaria sinu educitur, nondum est actu sub dimensionibus, & actu quanta, sed radicaliter & in potentia. Unde quædam formæ imperfectæ remanent divisibiles potentia, propter maximam immersionem, quam habent in materia: non vero aliæ, quæ sunt actus perfecti, & plene terminantes hujusmodi potentialitatem ad unam perfectam rationem essendi, & actualitatis. Nec forma fit, sed compositum, quod primo & per se terminat generationem substancialem, quæ de se est actio indivisibilis, licet ut conjuncta alterationi præcedenti divisibilis sit, ut latè explicuimus lib. 1. de gen. Resp. ad 2. conf. quod augmentatio per se terminatur ad quantitatem, consequenter ad substantialiam, quæ fit de novo, non secundum novam partem formæ, sed secundum novam partem materiae, sub habitudine ad eandem formam, ut explicabimus infra.

138 Arg. 3. anima corporea non est in loco diffinitive, sed circumscriptive: ergo habet partes, & est divisibilis. Ant patet: quia modus existendi diffinitive in loco est proprius solum rerum corporalium. Conf. 1. experientia constat partes abscessas animalium perfectorum per aliquod tempus moveri, ut patet in capite galli gallinacei: in Commentator 7. Phys. t. 4. refert se vi-

dissictaurum sine capite ambularem : ubi adducitur in Galenum afferentem , quod possit animal absciso cor aliquantulum ambulare : sed isti motus absque principiis vitæ , seu movendi se , quod est anima , fieri nequeunt ergo in parte illa remanet , & subinde est divisibilis . Conf. 2. omnes potentiae , & operationes animarum corporearum sunt divisibles , ut patet : ergo ipsa quoque anima divisibilis erit .

139 Resp. ad arg. quod esse in loco diffinitive , & circumscriptivæ , sunt modi per se essendi in loco : animæ autem corporeæ non sunt per se in loco , sed ratione totius divisibilis , & quanti : unde propriæ nec sunt diffinitive , nec circumscriptivæ ; sed sunt ut actus in sua potentia , & subjecto , & ad modum substantiæ . Nec tamen sacramentaliter , quia non respiciunt alienam quantitatem , per habitudinem ad quam sint in loco , sed propriam & naturalem , penes habitudinem ad quam totum ipsum est divisibile , & materia ipsa , forma autem est ut terminans ipsam divisibilitatem . Resp. ad conf. motus illos ex abundantia spirituum qui in corpore remanescunt promanare , vel fieri præternaturaliter , & non naturaliter . Resp. ad 2. quod potentiae illæ , & operationes sunt perfectiones accidentales sequentes corpus ut organisatum , ac divisibile , unde sunt divisibles : sed anima est actus primus terminans potentiam corporis ad vitam , seu faciens ipsum vivere , & limitat ad speciem viventis in aliquo individuo , unde ex sua ratione indivisibilitatem importat . Cætera argumenta facile solvuntur ex dictis .



QUÆSTIO IV.

DE ANIMA

Quoad ejus informationem , & corpore quod est ejus materia .

Postquam de anima secundum se , & illius quidditate sermonem fecimus , supereſt ut de illa quoad informationem ejus , & corpore , quod est ejus materia , disseramus .

ARTICULUS PRIMUS

Utrum in quolibet vivente præter Animam sit aliqua corporeitatis forma realiter ab ipsa distincta .

A Vicenna lib. 1. suæ sufficientiæ cap. 2. asseruit in qualibet materia , præter formam specificam esse quandam communem corporeitatis formam substantialem ab ipsis formis rerum specificis realiter distinctam ipsi materiae coævam , ingenerabilem , & incorruptibilem . Scotus vero in 4. d. 4. q. 3. a. 2. Henricus Quodl. 2. q. 2. & communiter Scotistæ admittunt quandam substantialem corporeitatis formam , quam appellant formam corporis mixti , quæ re ipsa quidem in ipsis à formis eorum specificis realiter indistincta est : à formis autem viventium realiter distinguitur ipsis viventibus . Unde corruptis , vel desineatibus hujusmodi formis viventium specificis realiter manet : constituitque rem in esse corporis mixti . Et hujusmodi corporeitatis forma , ut ipsi asserunt , ipsum esse specificum non concedit , sed quasi genericum , & incompletum , atque in ordine ad formam specificam est veluti prævia dispositio necessaria . Oppositam sententiam communiter tueruntur Philosophi ac Theologi cum D.

Thoma I. p. q. 762.

2 Conclusio: in homine , vel quolibet alio vivente
 præter animam non est admittenda aliqua corporei-
 tiis forma physica simul cum materia constituens ipsam
 vivens in esse corporis mixti : quæ si realiter , & secundum
 esse distincta ab ipsa anima , seu forma substantia-
 li viventis . Prob. 1. qualibet formæ substancialis , &
 rerum species naturales secundum magis , & minus per-
 fектum ab invicem differre inveniuntur : sed quando
 magis & minus perfectum inter se ordinantur , minus
 perfectum in magis perfecto continetur , nec constituit
 esse distinctum ab illo : ergo cum forma corporeitatis
 sit imperfectior ipsa forma viventis , & inter se ordi-
 nantur ; forma corporeitatis à forma viventis contine-
 tur , nec constituit esse distinctum ab illa Physice , &
 in re .

3 Major patet : viventia enim sunt perfectiora non
 viventibus , & inter viventia perfectiora sunt animalia
 plantis ; & his omnibus homo perfectior . Minor etiam
 declaratur : tum in figuris , cum etiam in rebus natura-
 libus . In figuris quidem ; etenim superficies quæ est
 pentagona , non per aliam figuram est tetragona : quia
 tetragonum in pentagono continetur . In rebus autem
 naturalibus : nam vegetativum est imperfectius sensiti-
 vo , utrumque rationali : unde illa in isto continentur ,
 nec in homine est diversa anima realiter (ut fatetur
 ipsem Scotus) per quarum unam homo esse vegeta-
 tivum , per aliam sensitivum , & denique per aliam
 esse rationale fortiorum .

4 Conf. non minus distat anima vegetativa à sen-
 sitiva , & utraque ab anima rationali , quæ non esse corpo-
 reum à vivente : quia sicut corpus præsupponit vivens
 & est separabile ex natura sua ab illo , ita vivens præ-
 supponit sensitivum , & est separabile ab ipso , & utrum-
 que à rationali ; ut patet in plantis , & b. urbis : & ta-
 men quia in eodem ordine se habent sicut magis , &
 minus perfectum , vegetativum in sensitivo , & utrum-
 que in rationali continetur secundum idem esse forma-
 le , nec ad hoc distinctæ animæ formaliter , & in re
 exiguntur : ergo cum forma corporeitatis sit imperfec-
 tor ,

litor. & in eodem ordine formarum naturalium , quasi dispositio prævia ad formam viventis se habens , in-
tente formaliter continetur , nec constituit in re di-
versum esse .

Nota diligenter , quod corporeitatis forma non
est forma partis , & physica , sed forma totalis , & per
modum quidditatis & naturæ , quemadmodum & hu-
manitas ; dicit enim totam corporis naturam , quod est
quid completum in genere substantiæ , alias in recta-
linea prædicamenti non collocaretur . Forma vero to-
tal is , seu compositum est effectus alicujus formæ par-
tialis physicæ & materiæ primæ unitarum : ut latè ex-
plicuimus lib. I. Phys. q. 6. art. 1. Forma autem , quæ
physicæ , & in re primo unitur materiæ , est hæc for-
ma faciens hoc totum in tali specie determinata existens
dein esse specificum ut sic , & esse genericum &c. quia
ista primo , & per se non existunt , aut fiunt . Cùm er-
go generatur in re , & physicè hic homo : generatur
species humana ut existens in hoc homine : species au-
tem humana habet esse per animam rationalem: ergo in
exercitio physicè primo advenit hæc anima huic mate-
riæ dans esse determinatum ad speciem humanam in-
hoc individuo , consequenter generatur species ; &
dein genera t attributa , quæ ab actu essendi magis
elongantur : ergo cùm ratio corporis magis ab actu es-
sendi perfecto elongetur , præsupponit formam specia-
lem specificam in vivente unitam huic materiæ primæ ,
ex quibus unitis resultat humanitas , animalitas , esse vi-
vum , corporeitas , seu esse corporeum , per modum na-
turæ , & formæ totalis , & ut effectus hujus formæ spe-
cialis , seu hujus animæ , cui primo & per se competit
esse actu physicè , & in re : aliis autem consequenter .
Et in hoc S. otus deceptus est existimans corporeitatem
esse quandam formam partiale m , & physicam ; cùm-
tamen non sit nisi forma totalis , & per modum natu-
ræ , & quidditatis metaphysicæ denominantis corpus ut
quoddam ens est , seu ut pars subjectiva entis & sub-
stantiæ ; sicut humanitas denominat hominem .

6 Ex quibus contra ipsum insurgo in hunc modum :
corpus ut sic prius , & per se non generatur , sed hoc
cor-

corpus in hac corporis specie existens, quia singulare
primo & per se sunt, consequenter species, & genera,
sed non est hoc corpus in hac specie existens nisi per
hanc formam specificam, quæ in tali ordine dat
mum esse formalis, & distinctivum specie ab aliis.
forma specifica est, aut forma elementi, aut corporis
mixti, mineralis, lapidis, metalli, plantæ, animalis:
hominis &c. ergo sit primo, & per se hæc forma spe-
cifica in hac materia unita, ex quibus resultat species
aliqua mixti determinata, hominis &c. deinde ratio
corporis: ergo ratio corporis non se habet ut prævia
dispositio physice, & in re ad alias formas specificas,
cum ex eis, & materia unitis resultet: sed per modum
gradus communioris, & magis illimitati. Et si hæc for-
ma mineralis mixti adveniens dat esse corporeum, cur
non & forma viventis dabit esse corporeum: præsertim
loquendo de anima vegetativa, & sensitiva?

Solvuntur Argumenta.

7 A Rg. i. non potest aliquid remanere numero
idem, nisi eadem numero forma remaneat:
sed corpus Christi mortuum simpliciter fuit idem nu-
mero, atque vivum: ergo remanit eadem numero for-
ma: sed non anima rationalis: ergo forma corporei-
tatis ab ea distincta. Minor est D. Th. 3. p. q. 50. a. 5.
c. quem sequuntur communiter Theologi.

8 Resp. ex D. Th. ibid. dist. maj. non potest ali-
quid remanere idem numero, nisi eadem forma rema-
neat, si habeat esse à forma illa, & modum essendi,
concedo: si ab ea tantum habeat modum essendi, &
non esse, nego: nam cum unitas sequatur ad esse, sim-
pliciter & absolute remanet idem, si remaneat idem
esse, licet non remaneat idem modus essendi. Et dist.
min. corpus Christi mortuum fuit simpliciter idem nu-
mero quoad esse, & per habitudinem ad suppositum
divinum, à quo habet esse actu & subsistere, concedo:
quoad modum essendi, & per habitudinem ad formam,
per quam determinatur illud esse ad specialem gradum
entis, nego min. & conseq.

9. Revoca in memoriam ea quæ diximus totū. 2. q. 5.
de accidenti, nimirum quòd esse, ad quod consequitur
unitas seu unitas, est actualitas ex se illimitata; limita-
tur vero ab eo, à quo participatur: illud autem quod
participat esse ut quo est forma, unde limitat esse, &
specialem modum ei confert: sicut esse in homine est
esse modo rationali, sensitivo, viventi, quia hæc omnia
confert anima ipsi toti composito. Ubi igitur forma
constituit suppositum, ut quo dat esse, & modum es-
sendi, licet esse efficienter sit à generante dante formam,
ut in Metaphys. explicabimus. In Christo autem anima
non constituit suppositum, nec dat esse illi, sed totum
hoc suppletur per ipsum Verbum Divinum, quod dat
esse & subsistere ipsi naturæ humanæ. Quapropter ani-
ma ejus corpori solum talem modum essendi confere-
bat, scilicet esse vivum: separata ergo anima à corpo-
re Christi non remansit idem numero corpus totaliter,
quia non remansit ille modus essendi, nam corpus non
habebat esse vivum: remansit tamen absolutè idem es-
se actu, ac per consequens idem numero corpus: quia
unum sequitur ad esse. An vero Verbum Divinum for-
mam cadavericam tunc temporis assumpserit, Theo-
logis disputandum relinquimus.

10 Arg. 2. omnia cadavera ex quacunque causa ge-
nerentur sunt ejusdem rationis: ergo debent haber-
eandem formam specificam, quæ nulla alia assignari
potest, nisi corporeitas: cùm multoties à diversis spe-
cie agentibus fiant. Resp. aliquos sentire omnia cada-
vera esse ejusdem speciei, licet à diversis causis agenti-
bus producantur: quia non implicat effectus ejusdem
speciei à diversis specie agentibus produci, ut animalia
ex putrefactione, & agente proprio producta ejusdem
speciei esse censemur. Et hoc probabile reputat D. Ca-
riet. 1. p. q. 76. a. 4. & in 2. de anim. c. 1. Alii autem
ē contra censem cadavera, quæ ex resolutione diuersa-
rum formarum pullulant, diversam speciem sortiri. Ita
M. Bannez lib. 1. de gener. q. 8. a. 2. ad 4.

11 Nota ex S. D. lib. 1. de gen. tex. 18. quòd duplex
est forma: altera perfecta, quæ est finis intentionis
naturæ, & comprehens speciem; ut forma mineralis, la-
pidis,

124 Quæst. IV. De Animæ informatione &c.

pidis , animalis &c. Altera imperfecta seu incompleta , quæ non compleat speciem naturalem , nec est finis intentionis naturæ primæ & per se , sed se habet per modum viæ & accessus ad formam completam & perfectam , vel recessus à forma completa & perfecta . Ha- igitur , quæ formas hujusmodi incompleteas fortius solum reductivè ad genus , vel speciem completi pertinent , ut docet S. D. q. 3. de pot. a. 9. ad 10. ubi loquens de forma embryonis ait : *Dicendum quod embryo antequam habeat animam rationalem , non est ens perfectum , sed in via ad perfectionem . Unde non est in genere , vel specie , nisi per reductionem : sicut incompletum reducitur ad genus vel speciem .*

12 Dico igitur quod cadavera omnia nullatenus sunt ejusdem speciei , sed diversæ , reductivè tamen . Cùm autem medium de uroque extremo participet , ut præclarè exponit S. D. in exemplo tepidi , quod comparatum frigido videtur totaliter calidum , comparatum autem calido frigidum apparet : ideo forma cadaverica , quæ quodammodo rationem medii inter formam animati , & inanimati participat , reductivè ad utramque pertinet . Eapropter cadaver humanum ad speciem hominis reductivè pertinet , ex parte termini à quo recedit . Unde homo mortuus à quivoce homo dicitur : quod nullatenus esset , nisi quædam imperfecta hominis ratio , vel similitudo in cadavere reperiretur . Penes accessum autem ad formas inanimateorum reducitur ad eas ; ad quas secundum prædominum in complexione magis accedit .

13 Arg. 3. anima intellectiva in se spiritualis est , & indivisibilis : sed corpus est extensum & divisibile : ergo præter ipsam exigitur corporeitatis forma , per quam homo habeat esse extensum & divisibile .

14 Conf. 1. anima rationalis creatur à Deo , homo autem generatur : ergo præter animam alia forma exigitur , quæ sit generationis terminus , cùm diversæ actiones diversos terminos poscent .

15 Conf. 2. anima rationalis est inco ruptibilis : sed corpus est corruptibile : ergo datur aliqua corporeitatis forma distincta ab anima rationali , cuius gratia corpus efficiatur corruptibile .

16 Tandem quia anima est actus corporis: ergo presupponit in materia corporeitatis formam: cùm materia nude sumpta non sit corpus.

17 Resp. ad arg. animam rationalem in se formaliter, & entitative consideratam esse re ipsa quidem spiritualem & indivisibilem; virtualiter autem & eminenter divisibilem, & hoc sufficere, ut præbeat homini esse corporicum & extensum. Ita D. Th. q. unica de spirit. creat. a. 3. ad 16. ubit ait: *Licet anima non habeat corporeitatem in actu: habet tamen virtute, sicut Sol calorem.* Cujus hanc rationem reddit: *Forma est similitudo agentis in materia. In virtutibus autem activis, & operativis hoc invenitur, quod quanto aliqua virtus est altior, tanto in se plura comprehendit, non composite sed unitè: sicut secundum unam virtutem sensus communis se extendit ad omnia sensibilia, quæ secundum diversas potentias sensus proprii apprehendunt. Perfectioris autem agentis est inducere perfectiorem formam. Unde perfectior forma facit per unum omnia, quæ inferiores faciunt per diversa, & adhuc amplius. Puta si forma corporis inanimati dat materiae esse, & esse corpus, & forma plantæ dabit ei, & hoc, & insuper vivere, anima vero sensitiva & hoc, & insuper sensibile esse: Anima vero rationalis, & hoc, & insuper rationale esse. Sic enim inveniuntur differre formæ rerum naturalium secundum perfectum & magis perfectum.*

18 Resp. ad 1. & 2. conf. ex eodem q. unic. de anim. a. 1. illud quod proprie corruptitur, aut generatur non esse formam, vel materiam, aut ipsum esse, sed compositum. Unde esse corporis catenus dicitur esse corruptibile, quatenus dum corruptitur totum, deficit corpus ab illo esse, quod erat sibi & animæ commune, quod remanet in anima subsistente. Et dicitur generari, quatenus illud esse, quod erat animæ, dum unitur illi in toto, communicatur ipsi, & fit utrique commune. Quomodo autem anima sit actus corporis, scilicet non ut alijiciens, sed ut constituens ipsum corpus, diximus q. p̄æced. a. 2.

ARTICULUS SECUNDUS

An in homine s̄t tres animæ realiter distinctæ & quomodo una anima in alia continetur.

19 Circa primum, Manichæi, ut refert D. August. in lib. de hæref. c. 4. asseruerunt in quolibet homine duas esse animas, unam bonam, & à bono Deo, quæ hominem ad bonum traheret: alteram verò malam, & à carne progenitam, quæ ipsum ad malum induceret. Quorum sententia damnata fuit in 8. Synodo generali act. 10. can. 1. ubi legitur: *Apparet quosdam in tantam impietatem venire ut homines duas habere animas dogmatizent impudenter. Tales ergo impietatis inventores, & similia sentientes; cùm vetus, & novum Testamentum, omnesque Ecclesiae Patres unam animam rationalem homines habere assertuerint, Sancta, & Universalis Synodus anathematizat.*

20 Plato lib. 6. de Repub. & cùm eo alii antiqui, ut refert D. Tho. 1. p. q. 76. ar. 3. in homine tres animas realiter distinctas constituerunt, scilicet vegetativam, sensitivam, & intellectivam, seu rationalem. A quorum sententia non longè abest opinio Gabrielis, & Ocham in 2. d. 16. & Pauli Veneti in sum. de anim. q. 5. asserentium in homine duas animas realiter inter se distinctas, nimirum sensitivam, & rationalem admitti debere. Oppositum communiter docent Philosophi, ac Theologi unicam duntaxat animam in quolibet vivente admittentes cum D. Th. loc. cit. Eandem sententiam communiter amplectuntur SS. PP. præsertim D. August. lib. 10. sup. Genes. ad lit. c. 12. & lib. de quantitate animæ. D. Damascenus lib. 2. de fide Orthod. c. 12. & D. Gregorius Nyssenus lib. 2. de creat. hom. c. 15.

21 Probari potest hæc sententia omnibus illis rationibus, quibus lib. 1. Phys. q. 5. a. 2. l. 1. ostensum est, duas formas substanciales non posse eandem numero materiam informare. Deinde prob. in morte Christi anima fuit ab illius corpore separata: ergo vel anima sen-

sensitiva illius mortua est , vel non ? si mortua fuerit , sequitur , quod mors Christi fuerit causa corruptionis animalium animae in ipso : ergo jam Verbum dimisit id , quod semel assumpsit , nimurum animam sensitivam : quod planè absurdum est . Si vero demus tunc temporis animalium sensitivam non objisse ; vel igitur ipsa cum corpore mansit , atque adeò corpus Christi in sepulchro vivum quoque permanisset : vel à corpore simul cum anima rationali sejuncta , ac separata fuit ? Quid si concedatur , concedendum quoque erit ipsam animam sensitivam esse pariter subsistentem per se , ac immortalem : quod veritati omnino dissonum est .

22 Supposito autem quod unica duntaxat anima in homine , vel quolibet alio animali reperiatur , cum una aliam necessario presupponat , atque includat ; v. g. sensitiva vegetativam , & rationalis utramque , difficultas non modica superest in explicando modo , quo una aliam contineat . Quidam existimant unam secundum esse , & gradum suum in alia solum virtualiter contineri . Alii arbitrantur formaliter contineri , non tamen unam perfici ex contractione & conjunctione ad alteram . Alii docent eminenter formaliter gradus inferiores in superiori contineri & non virtualiter tantum , perficie gradum inferiorem ex conjunctione ad superiorem : ita ut vegetativum , v. g. quod est in equo ad speciem equi pertineat , & sit perfectius , quam ut in planta repertum .

23 Pro cuius intelligentia notat M. Bannes 1. p. q. 76.a. 4. dub. 2. quod res aliqua tripliciter continet aliam ut ad praesens spectat . Primo formaliter tantum ; sicut materia , seu potius compositum continet formam . Secundo virtualiter , seu eminenter tantum ; sicut lux Solis calorem . Et haec continentia etiam est duplex : alia effectiva , qua aliquid ut in efficiente continetur ; ut in Sole calor : alia formalis , ut anima rationalis continet corporeum , per modum causae formalis . Tertio formaliter & eminenter simul ; sicut sapientia in Deo continetur formaliter , id est , secundum propriam formam rationem , nimurum cognitionem per causas altissimas , & eminenter , quia non continetur in genere qualitatis , sed

sed est sine imperfectione in Deo. Et hoc utroque modo vegetativum in sensitivo , & utrumque in rationali contineri docent communiter Thomistæ.

24 Notandum est ex D. Alb. M. quod aliquid dupliciter continetur in alio : primo ut actus in sua potentia seu potestate, sicut forma substantialis in potentia ipsius materiae continetur , & differentia in potestate generis , vel differentia inferior in superiori , quæ quidem potestas est formalis , & non facit compositionem actualem cum suo actu , sed virtualem , nisi cum est in specie . Unde rationale & sensitivum formaliter & actu sunt quid simplex , virtute tantum compositionem inducentia . Secundo potest contineri ut pars virtualis in toto potestativo ; sicut trigonum in tetragono , in quo non est secundum esse proprium , sed secundum esse tetragoni : distinguibile enim est trigonum per divisionem tetragoni . Convenit totum potestativum cum toto continuo in hoc , quod sicut continuum partes suas in potestate continet , ita ut actum , & esse in ipso habeant , & non per se ; ita partes potestativæ sunt potestate in ipso toto , & non secundum esse , & speciem propriam , sed secundum esse & speciem sui totius . Differunt autem , quia continuum per intranea dividitur , unde facta divisione non manet entitative unum , & intrinsecè : sed totum potestativum per extrema objecta in quæ potest , & ideo respectu illorum manet unum . Et hæ partes potestativæ signari possunt per ordinem ad operationes , non vero partes continui signantur nisi per ipsius divisionem .

25 Notandum est. 2. particulam , formaliter posse sumi dupliciter : primo prout designat rationem & essentiam , seu esse ipsius formæ absolute : secundo prout denotat modum essendi proprium illius , quo limitatur ad certainam naturam , & speciem ; sicut sensitivum absolute dicit principium quo aliquid sentit : sed sensitivum in leone v. g. importat specialem , & limitatum sentiendi modum ipsi leoni proprium , & à modo sentiendi homini distinctum .

26 Concl. sensitivum in animali continet vegetativum virtualiter , vel sicut totum potestativum formum

sum partem virtualem : & etiam formaliter abso-
lutè , seu secundum rationem & esse ipsius vegetativi ,
non vero formaliter ex parte modi quo physicè , & in
re haber esse in planta , sed secundum modum proprium
ipsius sensitivi . Similiter rationale continet vegetativum
& sensitivum virtualiter , & formaliter , non equidem
secundum illum essendi modum , quo est in animali ,
vel planta : sed secundum modum essendi proprium
ipsius rationalis . Unde continet illa , non pure forma-
liter , sed formaliter effectivè ut quo : quatenus sci . ani-
ma rationalis ut unitur corpori , præbet ipsi compostio
esse sensitivum , vegetativum , & rationale per modum
naturæ , & formæ totalis , in ordine ad diversas ope-
rationes vitæ . Quæ tamen omnes in exercitio non exeunt
nisi ut specificatæ ab ipsa anima rationali ; quia exeunt
ab ipsa , ut à principio radicali , & formali quo effec-
tivo . Idcirco non est in homine augmentum , genera-
tio , sensus &c. quomodounque , sed humano modo :
unde dicitur generatio humana &c. Vide lib. 2. Phys.
q. 8. a. 8.

27 Prima pars prob. anima rationalis potest in om-
nes operationes & effectus , in quos potest anima vege-
tativa , vel sensitiva secundum rationem suam , sci .
nutritionem , augmentum , generationem , motum
progressivum , sensationem &c. hæc enim omnia in
ipso homine animadvertere licet , in quo præter ani-
mam rationale nullam aliam formam admittendam
esse supra reliquimus probatum : ergo continet illas vir-
tualiter . Imò & formaliter , secundum rationem & es-
se : quemadmodum enim ex unione animæ vegetativæ
cum corpore resultat esse vegetativum per modum for-
mæ totalis , & naturæ concretivè designatæ : & ex
unione animæ sensitivæ cum corpore resultat esse sensiti-
vum in animalibus : ita & ex unione animæ rationalis
cum corpore resultat primò & per se rationale per mo-
dum naturæ totalis , & esse sensitivum , atque vegetati-
vum : sed forma totalis denominat formaliter , sicut
humanitas hominem : ergo sensitivum , & vegetativum
formaliter competunt homini secundum rationem
suam , & esse . Licet non competant ei secundum pro-

prium , & limitatum eslendi modum , quo habent esse in planta vel animali . Unde istæ prædicationes sunt veræ : homo formaliter est vegetativus , est sensitivus formaliter , inquam adæquate formalitate rei & rationis : & etiam ita est vera , rationale est sensitivum , & vegetativum formaliter , formalitate rei , & inadæquate , sed non adæquate : quia ab eadem forma proveniunt , & ea habent idem esse , sed non eandem rationem . Argumenta , quæ objici solent , ex superioribus soluta manent , & ex dictis in hoc articulo ; solumodo enim probant vegetativum in sensitivo , & utrumque in rationali non contineri formaliter secundum suum esse proprium , & limitatum ; non vero secundum rationem formæ ut terminatam per esse ipsius rationalis .

ARTICULUS TERTIUS

Utrum omnes & singulæ partes ipsius corporis animati informentur anima?

Notandum est ex D. Alb. M. sum. de hom. q. 11. a. 5. quod secundum Philos. i. de gen. t. 35. in corpore animato partes sunt in triplici differentia. Quædam sunt secundum speciem & formam , quæ vocantur organicæ : quia diversæ partes in eis à face contrarietas remotæ , & inter se contemperatae organi figuram & compositionem suscipiunt , efficiunturque operationum instrumenta ; ut sunt caput , collum , cibanus , & duo brachia , & duo pedes cum cruribus , quæ dicuntur partes majores , in quibus aliæ multæ partes organicæ minores continentur . Aliæ sunt secundum materiam , ut humores qui sunt vicini materiae elementorum , ex quorum commixtione & contemperatione generatur . Aliæ sunt partes mediæ , vel secundum materiam & speciem ; ut caro , nervus , os , cartilago , & aliæ partes homiomeræ seu similares , ex quibus an-homiomeræ , seu organicæ partes componuntur . In quantum enim continuam partium generationem ex nu-

alimentali humorum humido recipiunt, quod est veluti materia radicalis humidi, ex parte materiæ se tenent, dicuntur partes secundam materiam. Inquantum vero ex primo humido radicali generata organa, seu partes anhomiomeras componunt, partes secundum speciem & formam sunt. Certum est omnes partes organicas, quæ sunt secundum speciem, & formam, nec non & homiomeras, ex quibus illæ componuntur, & sunt partes secundum speciem, & materiam, informati anima, ut est forma totius corporis physici organici. Difficultas est de partibus secundum materiam: ut de humoribus, lacte, sanguibus, capillis, & similibus.

CAPUT PRIMUM.

An sanguis, & reliqui tres humores anima informantur, & qua ratione.

29 Humoris nomen hic sumitur propriè pro quādam substantia humida, in quam alimenta actione naturæ transmutantur. Paracelsus in lib. Paramir. humorē à corporis humani constitutione procul abigendos censuit, existimans omnia corpora humana in sulphur, salēm, & mercurium resolvi, ac perinde ex eis componi. Communis sententia oppositum sentit: tum quia ex humorum varietate varia acquirent temperamenta, diversas nutriti, & coagmentari partes, varios succrescere facie, & aliarum partium colores manifestum est. Tum etiam, quia pro diversis humorum alterationibus, diversas experimunt febres, diversis circuitibus invadentes, variis signis, ac diversis symptomatibus concomitantibus notatas. Sunt igitur humorē accessarii in corpore: tum ut partes ejus nutritant; tum etiam ob alias fines minus præcipuos; v. g. bilis in intestina detata irritat pro expulsione: melancholia in ventriculo pro-

30 Omnes ferè Philosophi, ac Medici ex Hippocrate lib. de nat. humana, & Galeno ibid. & lib. 2. de elemen. c. 5. quatuor humorē esse asseverant: qui sunt sanguis, pithita, bilis, & melanchochia. An autem om-

122. Quæst. IV. De Anima informatione &c.
nes h[ab]itum humores actu in corpore humano reperiantur; non est ita certum, quin Medici inter se se de veritate dissideant. Nam Fernelius lib. 6. Physiolog. cap. 3. & Peramatus lib. de humorib. c. 6. humores in malla sanguinaria admitunt non actu, & formaliter distinctos, sed in potentia tantum, & virtualiter, sicut elementa in mixto: dummodo optima valetudine corpus utatur. Oppositu[m] a communior Medicorum opinio defendit cum Hipp. & Galeno loc. cit. Quia nimirum intra statum naturalem ex diversis ipsius jecoris temperiebus diversi redundant in corpore humores: ex diversis temporum anni predominantibus qualitatibus diversi sunt predominantantes humores: & intra horum diversitatem calor in corpore diversus subcrevit. Quæ manifestissima sunt hujus rei indicia: nimirum quodd[em] ibi actu & formaliter reperiantur. Ex chylo istos omnes humores immediate generari asserta Bravo p. 1. disp. 5. de humor. sec. 1. resol. 5. At vero Segarra lib. 2. de facult. natur. c. 11. sanguinem ex chylo, reliquos humores ex sanguine fieri indicat. Petrus Garcia, & Sanctacruz cum aliis medium viam amplectuntur afferentes posse ex alimento immediate generari, licet ex chylo omnes posse immediate fieri contendant. Hos omnes ob partium nutritionem in corpore humano necessarios Medicis communiter afferunt. Arist. vero lib. 3. de hist. anim. solum sanguinem posse nutritre contendit: quia quid nutrit debet esse dulce: ut etiam fatetur Galen. lib. 1. Simpl. c. 9. pituita autem insipida est, bilis amara, melancholia acerba, solus sanguis est dulcis. Pleisque Medicorum afferunt reliquos humores equidem nutritre posse, non tamen sine sanguinis consortio.

31 Sanguis à Medicis communiter definitur. Humor vi jecoris genitus, majori ex parte ex aëreis chyli partibus, calidus, & humidus, ruber, dulcis, atendo corpori maximè accommodatus. Ex elementis namque Aeri correspondet, & ex anni temporibus Veri; unde tunc temporis maximè procreatur, ex alimentisque calidis, & humidis. Medici duplē sanguinem distinguunt cum Avicenna sen. 1. i. doct. 3. c. 1. unum naturale, pro nutritione accommodum: alterum præ-

ernaturalem ratione alterius extranei commixti , vel propriæ putredinis , seu alterationis vitio .

32 Multi autem Theologi , ac Philosophi cum Caiet . 3. p. q. 54. a. 2. & Sylvestro in Rosa aurea c. 31. dupl - cem distinguunt sanguinem , alterum propriè dictum , qui unus est ex quatuor humoribus , & pars corporis humani materialis , ad ejus integratatem , & perfectio - nem pertinens , perfectè decoctus , & ad iuritendas partes speciei , & materiæ accommodus : qui à nobis su - prà definitus est . Alius est imperfectus , qui nondum plenè decoctus est , nec formam , & speciem sanguinis completam sortitur , sed est adhuc crudus ; est tamen in via ad sanguinem perfectum , & in eum converten - dus , & jam ei in aliquibus similis , nondum tamen ha - bens contemperatam & perfectam mixtionem , & à fæ - ce elementorum , vel alimentorum plenè depuratus non est . A quibusdam vocatur chymus , in quo sunt omnes quatuor humores ex cibo & chylo geniti , nondum ra - men ad perfectionem perducti . Cujusmodi sanguinem narrat Arist. 3. de hist. animal. c. 19. aliquos exsudaf - se . Imò Sylvest. loc. cit. asserit sanguinem illum , qui terræ commixtus in ampulla vitrea S. Mariæ Magdal - nae in Ecclesia S. Maximini apud Patres Ord. nostri servatur , & cum qui Mantuae in Ecclesia S. Andreae , illuc à Longino delatus , ut fertur , esse sanguinem istum imperfectum , & non plenè decoctum , in passione à Christo effusum . Qui quidem sanguis , nutrimentalis ideo appellatus à quibusdam videtur quia nullius ad - huc partis corporis formam est assecutus : sed hoc tan - tum habet , ut sit illius nutrimentum , seu potius mate - ria nutrimenti , seu nutrimentum remotum .

33 Ego , ut verum fatear , in doctrina D. Th. om - nei sanguinem qui ex cibis generatur existimo dicen - dum esse nutrimentalem : ut conceptis verbis docet S. D. Quodlib. 5. a. 5. c. ubi ait : *Et quamvis circa ea , qua sunt de veritate humanae naturae sit diversa di - versorum opinio , secundum quilibet opinionem non - totus sanguis nutrimentalis , id est , qui ex cibis genera - tur , pertinet ad veritatem humanae naturae . Ea pro - fectò id latis convincit sanguinis definitio supra adduc-*

33 Q[uod] est. IV. De Anima informatione &c.
ta. Attamen unus est sanguis primarius, & complexio-
nalis, seu naturalis, qui propriam in venis sedem obti-
net, sicut bilis in vesica fellis, pituita in ventriculo, &
circa intestina illis adhaerens, atque melancholia in-
liene, licet non raro in venis omnes isti humores per-
mixti reperantur, ut testatur Fernelius lib. 6. Physiol.
c. 8. Alius autem est secundarius, qui retento nomine
sui genitus nutrimentalis propriè appellatur: qui virtute
nutritivæ in venis grandioribus per subtilissimas, quæ
carillares appellant, ad poros attractus ibi decoquitur,
& incipit dealbari: in principio autem dealbationis ap-
pellatur ros: deinceps perfectè decoctus dicitur cam-
bium: postremo, cum in substantiam membra con-
vertitur, vocatur gluten.

34 Quidquid sit de hujusmodi sanguine nutrimenta-
li, sive iste sanguis intelligendus veniat, sive chymus,
sive uterque, unum pro certo habeo, quod sanguis nu-
trimentalis absolutè, & simpliciter ad veritatem, & in-
tegritatem humanæ naturæ non pertineat: cum in cor-
pore gloriose naturæ humana plene integra, & perfec-
ta sit: ubi tamen hujusmodi sanguis nutrimentalis non
iveretur. Solum ergo requiritur ad veritatem, & in-
tegritatem corporis humani secundum quid, & pro hoc
statu, in quo partes illius nutrimento indigent, ut repa-
rentur. Simpliciter autem ad naturæ humanae integri-
tatem pertinet sanguis naturalis, primarius, & comple-
xionalis. Et forsitan hoc indicant verba illa S. D. ~~Non~~
*totus sanguis nutrimentalis pertinet ad veritatem hu-
manæ naturæ.*

35 Pituita propriè sumpta dicitur humor frigidus,
humidus, albus, crassus vi jecoris genitus majori ex
parte ex partibus aqucis, ob similium nutritionem. Etsi
ob similium nutritionem pituita videatur præcipue des-
tinata; ipsa tamen apta est ut naturæ actione non raro
in sanguinem vertatur, cum se utique sanguis potentia;
& hoc potissimum tempore indigentia. Quemadmo-
dum aliis sanguis est naturalis, aliis præternaturalis,
ita & pituitæ genus quoddam est utile naturaleque in
animalibus, præsertim in homine: quam per univer-
sum corpus ferri necessarium existimat, ut artus om-
nes,

es, & quæ voluntario motu aguntur membra, ab hoc succo humectari commodè possint, ne nimio motu arescant. Aliud verò genus est inutile, ac præternaturale. Quod enim pituitæ dulce est, & in venis cum sanguine fertur, id salutare est animanti, & naturale; quod verò accidum, falsumve est, id omnino inutile & præter naturam: imò & quod valde tenue, & aquosum est, tum aliud quoddam crassum lentum, ac muci speciem referens, quod sæpe distillationibus expectorari, atque screatu*m* jici planè videmus. Quin & in tantam sæpe vero crassitatem evadere pituitæ certum quoddam genus cœrimus, ut in tophorum duritatem instar gypsi concrescere videamus: unde & gypsea dicitur. Sed de his ad Medicos.

36 Bilis autem absolute dicta, quæ bilis flava est, humor diciur, seu substantia tenuis, amara, flava vi jecoris majori ex parte ex igneis partibus facta, in similiūm nutritionem, & ut excrementorum expulsionem coadijuvet. Amara suapte natura esse solet quemadmodum & pituita insipida. Gignitur in his potissimum, qui calidiore siccioraque temperatura, tum totius habitus corporis, tum vero hepatis, prædicti sunt: præsertim si calido victui, laboribus, inediis, vigiliis, & gravibus animi curis dediti sint: aut in regione, & tractu Cœli calido vitam degant. Duplex itidem est sicuti pituita, una naturalis, altera præter naturam. Naturalis, Galeni testimonio lib. 2. de facult. nat. est id quod in nutrimento assum, ac veluti ustum, calidissimumque, ac dulcissimum est. Id vero quod tenue quidpiam est, humidum, & fluidum, non quale cum ad ultimum est exustum, flavum, igneum, & crassum vitellis ovorum simile, præternaturam jam est.

37 Porro melancholia est sanguinis fæx, quemadmodum bilis est ipsius sanguinis spuma, seu flos. Volunt enim Medici cum Galeno chylum in hepate à visceris caliditate velut vinum ipsum mustum fervere, concoqui, alterari ad sanguinis utilis, & benigni generationem. In ebullitione vero ejusmodi, hanc quidem partem ejus superfluitatum subsidere, quantacunque est lutosa, & crassa; hanc autem, quæ est subtilis, & le-

vis, veluti ipsumam quandam supernatare sanguini. Quod quidem ipsum in sanguine, qui secta vena à biliofioribus corporibus manat, perspicere est. Tenuem enim quandam, aquacanque in eo substantiam, colore quidem flavam, consistentia verò subtilem, & levem supernatare videntis, quam esse bilem certò cernimus. Est autem humor hic substantia crassus, & densus, atque ob id etiam gravis, temperie frigidus, & siccus, terræ proportionem respondens, colore ater, aut lividus, sapore acerbus. Sanguini mixta alendis membris frigidis, ac ~~accus~~ qualis sunt ossa, subservit. Plurimum illius in benem, ceu vaclulum illi à natura apparatum deducitur, ut sanguinem puriorem, hac fæculenti humoris secretione natura efficiat: sive alendo corpori, magis sit ex usu. Quæ præter naturam atræ bilis sunt differentiae, vel ustione immodica, & incineratione, vel putredine gigni asseverat Galenus lib. 2. de facult. natur. Atque hæc de humoribus breviter, & rudi minerva dicta sunt.

38 Sanguinem, & reliquos humores anima non informari tueruntur D. Bonaventura, Richardus, Durandus, Paludanus, Capreolus, Scotus, Soto, Abulensis, Suarez, Vasquez, Rubio, apud PP. Complut. hic disp. 6. q. 1. §. 1. Galenus lib. 4. de usu partium, & alijs innimeri. Alii autem existimant sanguinem equidem nutrimentalem non esse veram corporis partem, neque anima rationali informari, bene verò sanguinem naturalem, ac complexionalem. Ita Sylvest. loc. cit. Bannes lib. 1. de gen. c. 4. q. 8. a. 5. Aluarez in 3. p. disp. 28. Nazarius ibid. q. 5. a. 2. contr. unica. PP. Complut. ibid. §. 3. & 4. & communiter Iuniores Thomistæ.

39 Notandum est ex S. D. in 4. d. 44. q. 1. a. 2. quod anima se habet in duplice habitudine ad corpus, scil. in ratione formæ, & in ratione efficientis: est enim comparatio animæ ad corpus, sicut est ea quæ est artis ad artificiatum. Unde partes seu membra corporis dupliciter considerari valent secundum duplē habitudinem ad ipsam: nimirum secundum habitudinem materiae ad formam; vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem. Primo modo respicit esse perfectum species

in individuo : secundo modo respicit operationem ut finem.

40 Notandum est 2. ex eodem quod dupliciter potest aliquid pertinere ad instrumentum: primo per modum dispositionis & materiae; sicut ad ferram, quod sit ferrea: secundò per modum formæ, & virtutis dependenter à principali agente operantis. Totum corpus organicum est sicut instrumentum animæ: unde partes illius pertinere possunt ad ipsum per modum dispositionis, vel per modum virtutis. Humores pertinent ad constitutionem corporis, quatenus est instrumentum animæ, dispositio: membra organica, ut virtutes: similares autem, & mediae utroque modo. Quia igitur anima ex se est actus per modum energiæ & vis se moventis, partes illæ organicae ad naturam speciei viventis, quæ per animam constituitur, pertinere dicuntur: partes autem materiae, & quæ sunt ut dispositio, sunt propriæ illius ut habet esse in materia & individuo: similares utroque modo secundum quod ad utriusque rationem accedunt. Quod autem est ut dispositio, non habet nisi formam actu inchoativo, ut alibi diximus; quod vero est ut forma seu virtus, est actu completo substantiali, & dispositum ad operandum.

41 Prima conel. sanguis naturalis, seu complexionalis, & prout stat sub forma determinata sanguinis respiciens animam sicut materia formam, verè & actu informatur anima ut forma: prout vero respicit animam ut efficienter per modum dispositionis corporis, & ut instrumentum est ipsius animæ, solum potentia, & actu inchoativo est pars corporis, & imperfectè informatur anima, nimirum secundum gradum vegetativum, quatenus constituit genus viventis, seu absolute sumptum. Ita sumitur ex Arist. lib. 3. de animal. c. 16. ubi absolute docet sanguinem animari, dicens: *Palpitat intra venas sanguis animalium omnium, pulsusque simul undique uetur, solusque omnium humorum sparsus per totum corpus animalium est.* Et quandiu vita servatur, sanguis unus animatur & fervet. Eandem conclus. docet S. D. loc. cit. & clarid. in 4. sent. d. 44. q. 1. a. 2. ubi ait: *Ad 3. dicendum, quod sicut sunt elementa in via generatione-*

rationis respectu nosterum corporum, quia sunt eorum
materia, non autem ita quod semper sint in transcendo in
corpo mixto, ita etiam humores se habent ad membra.
Et propter hoc, sicut elementa in partibus Uniuersi ha-
bent formas determinatas, ratione quærum sunt in per-
fectione Uniuersi, sicut corpora mixta: ita humores
sunt de perfectione corporis humani, sicut & aliae par-
tes, quamvis non perveniant ad totam perfectionem si-
c ut alia partes: & sicut nec elementa habent ita perfe-
ctas formas, sicut mixta. Sicut autem partes omnes
Uniuersi perfectionem à Deo consequuntur, non equali-
zer, sed secundum suum modum unumquodque: ita etiam
humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non
tamen eodem modo sicut partes ipsæ perfectiores. Et li-
cit D. Alb. M. lib. 3. de animal. tract. 2. c. 6. adducatur
pro contraria sententia, attamen expressè nostram sen-
tentiam tenet: dicit enim quod sanguis non est actu pars
nimirum perfectè, & completem, sed potentia, & ut
dispositio, quia est pars materia, & actu inchoativo
complestitur virtutem movendi. Et reipsa quidem ipse
D. Th. 3. p. q. 31. a. 5. ad 1. ait: quod sanguis nondum
est actu pars, sed potentia totum, ut dicitur in lib. de
gener. animal.

42 Prima pars prob. omnia quæ sunt de veritate, &
integritate substanciali naturæ humanæ informantur ea-
dem anima: sed sanguis naturalis est de veritate & in-
tegritate substanciali naturæ humanae: ergo informatur
anima, ut forma. Maj. patet: quia unitas compositi fu-
nitur ab unitate formæ substancialis: ergo si præter ani-
mam sit alia forma informans ea, quæ sunt de integrita-
te substanciali ipsius, corpus humanum non erit unum
numero simpliciter, sed unum per aggregationem. Min.
verò prob. quæ ad perfectionem corporis humani simpli-
citer perinent, hæc ei competunt pro omni statu sive
corruptionis, & generationis: quæ verò ad perfectio-
nem ejus pertinent secundum quid, ut ros, cambium
& quædam superfluitates: non conveniunt in omni sta-
tu nec reassumpta fuerunt à Verbo, cum Christus resur-
rexit: sed Christus sanguinem effusum in passione reaf-
sumpsit, & corpora gloria habitura sunt sanguinem
istum

Natum in statu immortalitatis : ergo i. quis iste simpliciter ad integratatem naturae humanae pertinet , ut vera illius pars : ac perinde anima rationali quodammodo informatur .

43 Conf. 1. Verbum assumpsit corpus mediante anima ut docet D. Th. 3. p. q. 6. a. 1. c. & in ultima resurrectione corpus erit unitum animae propter bonum ipsius: ergo proprius & simpliciter Verbum Divinum solum id assumpsit , quod est vera pars corporis , ac de integritate illius : & in ultima resurrectione corporum id solum anima reunietur , quod ab ea informari potest : sed iste sanguis assumptus fuit a Verbo , & in illa resurrectione invenietur in corporibus resurgentium : igitur fatendum est ipsum anima informari .

44 Conf. 2. si sanguis non informaretur anima , planè formiam inanimatam fortiretur , & sic toto cœlo a forma , & natura viventis distingueretur : essentque plures naturae substanciales unitæ Verbo Divino: sed hoc est absurdum : ergo sanguis hujusmodi anima informatur. Ea propter D. Gregorius Nazianzenus orat. 50. ait: *Verbum caro factum est , non putativè , sed vere ; quia assumpsit corpus ex carne , ossibus , & sanguine constans .* En quomodo D. Gregorius inter partes corporis sanguinem computat .

45 Resp. P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 15. sect. 6. sanguinem equidem esse assumptum mediante anima , nam licet non informetur anima , tamen est propter ipsam , quia in corpore conservari non potest sine sanguine: neque sanguis extra corpus diu conservari potest . Et addit sanguinis naturam esse quasi incompletam , & ex natura sua ordinatam ad complementum humani corporis , cuius aliquo modo pars est. *Quod non impedit corpus humanum esse , ac dici unum per se per continuationem physicam: quatenus omnes illæ partes sunt ita conjunctæ , & subordinatae , ut possit illis uti , ad sua munera exercenda .*

46 Contra : sanguis dicitur esse propter animam , vel quoad esse perfectum & substancialē simpliciter ipsius corporis : vel solum quoad conservationem , & restaurationem deperditi ? si primum ? ergo est vera pars corporis :

poris: quia entitative & substantialiter esse totius, Ieu totum nihil aliud est quam suæ partes. Si secundum, cum in statu immortalitatis non sit futura substantiæ deperditio, vel ejus per nutritionem restauratio, frustra ibi sanguis erit, sicut & aliae superfluitates.

47 Deinde quia forma est ut salvans, & continens materiam in actu suo: ergo cum sanguis naturalis in corpore optime constituto conservetur, & extra ipsum non salvatur, satis convincitur, quod anima sit forma salvans, & continens sanguinem in actu suo: & subinde quod illa informetur.

47 Confirm. inanimatum non potest dependere ab animato in sui conservatione, cum forma inanimati sit prior, unde videmus destruncto vivente rationem corporis exanimis, & mixti in eo salvari, & destructo mixto elementum remanere: etsi sint formæ quædam imperfæctæ respectu animæ: ergo si in sanguine sit forma quædam mixti, per se sanguis salvabitur in proprio cœlo sanguinis, destructo vivente, vel dum ab ipso separatus existit, quod est manifestè falsum.

49 Tandem quia sanguis est mixtum valde perfectum, ex elementorum inter se mixtione pullulans, in quo aëris qualitates sunt secundum prædominium: ergo si formam distinctam à forma viventis habeat, ipsa perfecta, & completa esse debet in ratione mixti, potens continere materiam in actu suo. Nam vinum est potentia ad sanguinem, ut ad formam perfectiorem; & tamen habet formam sufficientem ad salvandum se per multum temporis in suo esse, postquam à suo generante se junctum est. Denique si anima utitur sanguine ut instrumento, vel dispositione instrumenti ad operationes suas exercendas, planè virtus animæ, immo & ipsa anima in sanguine erit, ut dicitur in Levitico, cum ex operatione vita concludatur.

50 Secunda pars concl. prob. ex eodem S. D. quia sanguis habet plures, & diversos motus in animali in crubescientibus fugit ad faciem: in timentibus & irascentibus ad cor properat: in gaudientibus per totum corpus diffunditur, erescit, augetur &c. quæ sunt manifestissima vitae indicia.

51 Quod autem imperfectè , & actu inchoativo anima rationali informetur , vel secundum gradum vegetativum absolute sumptum , ideo est quia anima unica existens corpori præbet omne id quod formæ superiores , quibus subordinatur , præstare poterant : sed forma sanguinis est forma corporis mixti , quæ est in potentia formalis ad gradum vivens & actu inchoativo includit ipsum : ergo anima præbens corpori esse corpus mixtum , consequenter dat esse vivens corporis ipsius partibus , sed differenter : partibus organicis concedit esse vivum perfectè , & exercere operationes perfectas ; quibusdam similaribus ut accedunt ad organicas præbet esse medium sentiendi : aliis præbet augeri , & crescere , non verò sentire , ut ossibus : & hoc actu completo vitæ vegetativæ , & perfecto ; sanguini verò , qui est primum in linea talis mixti , via originis concedit quidem esse vivum , non tamen in actu completo & perfecto , sed imperfecto , & quasi secundum genus , sicut embryonis forma dat esse animali imperfectè .

52 Et hoc ideo est , quia sanguis est materia partium corporis , ut potentia actu primo formæ viventis perfecta , seu ut pars materialis , eo fere modo quo genus dicitur pars materialis speciei , quia ulteriori actu formabilis est , nimis differentia specifica : nam sanguis est ulterius formabilis per animam , secundum speciem carnis , vel ossis . Unde sicut genus actu inchoativo , & potestate formalis complectitur differentias , ac species : ita & sanguis actu inchoativo habet vitam , ulterius determinabilem perfectiori actu vitæ . Attamen vera pars est : quia in toto integrali una pars egregiè potest esse potentia ad aliam , & tamen esse vera pars , licet non æquè perfecta : nam partes similares sunt potentia ad organicas , cum sint elementa organicarum : & tamen actu sunt veræ partes corporis organici .

53 Dico 2. sanguis nutrimentalis non infirmatur anima . Ita communiter DD. Patet : quia simpliciter non est de veritate & integritate naturæ , cum non reperiatur in statu immortalitatis , in quo natura perfecta & integra est .

Solvuntur Argumenta.

54 **A** Rg. 1. ex Arist. lib. 2. de part. animal. c. 3. ubi sanguinem dicit esse alimentum ultimum; sed alimentum est alterius substantiæ à vivente; ut docet lib. 2. de gen. text. 27. nutritio enim est conversio alimenti in substantiam alii: igitur oportet esse realem distinctionem inter alimentum quod convertitur, & inter substantiam alii.

55 Conf. ex D. Th. 3. p. q. 31. a. 5. ubi docet sanguinem non esse actu partem corporis; & ideo quamvis corpus Christi fuerit ex sanguine Virginis purissimo formatum, nihil fuisse ablatum ex corpore Virginis, quod integritatem naturæ illius destrueret. Et 1. p. q. 119. a. 1. ad 3. docet quod sanguis non pertinet ad naturam speciei.

56 Resp. ad arg. ex D. Alb. M. lib. 3. de animal. tr. 1. c. 3. sanguinem & quemlibet alium humorum esse duplum: unum, quem aliqui vocant primum, qui scilicet tempore & loco primo speciem humoris suspicit calorem digerente; generaturque in gibbo hepatis à calore, qui à corde ad hepar est delegatus: alterum secundum, qui à venis ad ipsa particularia membra exfudat ad ipsum substantiam nutriendam. Dico igitur sanguinem illum primum ut formatus est, & speciem humoris perfecte suscipiens, propriè non habere rationem alimenti sub hac ratione, sed esse veram partem corporis: bene vero sanguinem secundum, qui à nobis supra nutrimentalis dictus est. Et de hoc Aristoteles ibi sermonem facit. Nec tamen nego, quin & ille sanguis possit quandoque rationem alimenti sortiri, non tamen manendo sub forma determinata, sed quatenus mutatur in rorem & cambium, glutenque. Neque hoc implicat: cum sit pars materialis, & imperfecta, quæ est in potentia ad similiares, & organicas: unde poterit in illas transmutari.

57 Et cum instatur quod alimentum est diversæ substantiæ à vivente, dico equidem alimentum in ratione alimenti, & præsertim cum incipit fieri nutritio, esse diversæ substantiæ à vivente. Unde sanguis nutrimentalis, & secundus etiam diversæ substantiæ à vivente;

te : sed sanguis naturalis & humor primus ; quandiu manet sub forma determinata non est alimentum , nec diversæ substanciæ à vivente , sed pars illius : esto sit diversæ substanciæ ab aliis partibus viventis , ad quas est ut potentia , & ut perfectibilis per illas , non quidem specie completa , sed quasi incompleta .

58 Contra hæc insurgit Petrus Garcia disp. 17. c. 3. sen. 1. lib. 1. doct. 5. Primo: quia plures aliæ sunt partes quæ magis differunt temperamentis , quam caro & sanguis : si ergo adinvicem sanguis & caro transmutari possunt , cur non & aliæ transmutabuntur ? Secundò quia nutritio est actus substantialis : ergo si sanguis vivat , ex eo non poterit fieri nutritio . Conseq. prob. mutatio substantialis præsupponit privationem formæ introducendæ in materia : sed si sanguis vivat , non erit privatio formæ substantialis viventis in sanguine : ergo si vivat , ex eo non poterit fieri nutritio , quæ est actus & mutatio substantialis .

59 Dices in nutritione ex sanguine non acquiri novam formam substantialiem , sed novum modum informandi substantialiter alio perfectiorem : quia acquirit esse sensitivum v. g. cùm in carnem transit . Contra: quia etiam ex sanguine ossa nutriri possunt : & tamen talen modum , scilicet sensitivum non acquirunt .

60 Resp. ad 1. instantiam nihil in aliud transmutari posse , nisi sit quodammodo in potentia ad ipsum . Unde reliquæ partes , cùm sint partes actu , & secundum speciem , & una non sit in potentia ad aliam , adinvicem transmutari nequeunt . Sed sanguis est potentia caro , vel aliud membrum : unde nil implicat ex sanguine in carnem vel aliam partem similem fieri transmutationem . Resp. ad 2. instant. nutritionem esse mutationem substantialiem , non quidem à specie in speciem aliam simpliciter , sicut in generatione simpliciter dicta , & substantiali contingit ; sed secundum materiam tantum . Cùm enim aliquid nutritur species nutriti eodem modo manet , & sit conversio materiae , vel substanciæ in nutritum , non tamen tanquam in novam speciem . Materiæ autem accidit , quod sit sub hac , vel illa forma ad nutriendum , dummodo sit symbola , & similis

Nutritio : unde vera conversio substantialis secundum materiam , & quasi individualis , ad veram nutriti-
nem sufficit . Hoc autem modo conversio fit sanguini
in carnem , vel aham partem corporis : unde bene po-
test esse veluti ultimum alimentum aliarum partium ,
cùm sit secundum substantiam maximè similis aliis par-
tibus : non tamen manendo sub forma sanguinis deter-
minata , sed transeundo ad formam alterius partis: quæ
substantialiter diversimode informatur anima , non ut
forma est , sed ut est motor corporis . Quod sufficit ut
ibi nutritio dicatur esse substantialis mutatio secundum
materiam , & quasi individualis . Unde in sanguine
erat quodammodo privatio formæ , non absolute ut for-
ma est , sed ut motor est tali vel tali modo . Et cùm
instatur ex sanguine ossa nutriti posse , nec tamen ac-
quirere novum modum ; dico euidem nutriti , & ac-
quirere etiam novum modum , scilicet partis in actu , &
vegetativi in actu completo; cùm sanguis solum sit pars
potentia , & actu inchoativo exercens operationes vege-
tativi , & ut dispositio .

61 Resp. ad 1. conf. sanguinem non esse actu com-
pleto partem ipsius corporis organici , prout est instru-
mentum animæ , ut ordinatur ad alias partes : bene
vero prout est materia ejus , & respicit animam ut for-
mam . Hinc est quòd ex purissimis sanguinibus Beatis-
simæ Virginis Mariæ potuerit corpus Christi efformari sine
violatione integratæ naturæ , ut natura humana est :
quia per ablationem alicujus partis in potentia , seu par-
tis materiae non violatur naturæ integratæ , sed per abla-
tionem illarum omnium , ut patet : nam caro secundum
materiam non semper eadem manet , cùm calore natu-
rali aliquid illius desperdatur , quod in nutritione restau-
ratur . Sanguis autem est pars materiae , & potentia to-
rum : unde secundum se est de integratæ , sed non se-
cundum quamlibet illius partem , quæ sunt potentia
partes : quapropter bene potest aliqua pars illius aufer-
ri absque violatione integratæ ipsius naturæ .

62 Arg. 2. quælibet pars debet esse continua , & co-
hærere aliis partibus : sed sanguis non est continuus &
cohærens aliis partibus , imò in venis tanquam in vase
con-

continetur: ergo non est vera pars ipsius corporis, nec forma illius informatur.

63 Conf. sanguis, qui extra corpus effunditur, continuus manet cum illo, qui intra vasa remanet: sed sanguis, qui effunditur, non vivit: ergo neque ille, qui remanet intra vasa.

64 Resp. ad arg. M. Bannez loc. cit. quod sanguis est continuus venis, & per venas reliquis partibus. Pro quo advertit sanguinem quasdam habere crassiores partes, quas Medici fibras vocant, quibus sanguis ipse continuatur venis. Et ad autoritatem ipsius Aristotelis afferentis sanguinem non esse continuum dicit, ipsum habuisse sermonem de sanguine nutrimentali: vel intelligendum eum esse de continuatione immediata.

65 Resp. 2. quod sicut sanguis non est actu perfectio pars corporis, sed pars materiae, ita neque perfecte cohaerens: sed ut dispositio ad omnes alias partes. Neque enim de ratione cuiuslibet partis est perfecta cohaerentia cum aliis partibus, cum medulla non ita cohaerat ossi, sicut os carni; & cerebrum non ita cohaeret testae ipsius capitis, sicut pars carnis carni, vel pars ossis ossi. Unde cohaerentia non est simpliciter de ratione partis: nam haec solum importat quod in eam materialiter dividatur totum, & ipsa ad esse totius conferat. Quod autem cohaerat, vel non cohaerat ex materia, & fine ad quem ipsa ab agente destinatur, provenit. Sanguis autem nec ex fine nec ex materia hujusmodi cohaerentiam postulat, cum sit potentia ad alias omnes partes: & sic proprio termino non plene terminata: alias per totum corpus diffundi non posset, quod tamen plane est necessarium.

66 Continuitatem eo plane modo sanguis habet, quo materiale suo formaliter continuatur, in habitudine ad participandum idem esse formae, scilicet animae. Nec enim omnes partes corporis sunt eodem modo continuae inter se: sed quasdam aliis sunt continuae tactu, quarum scilicet extrema sunt simul: aliæ colla, seu glutino, aliæ poro, aliæ inserto: ut late prosequitur D. Alb. M. 2. p. sum. Theol. tr. 1. q. 3. m. 3. a. 2. Sanguis ergo est continuus tactu per fibras illas, & venas;

146 Quæst. IV. De Anima informatione &c
qui est communis quidam , & imperfectus continua-
modus , vix à contiguitate recedens , nisi quia in co-
tiguis non est habitudo ad idem esse formæ , & ad unam
esse quantitatis totalis , sicut in continuis . Et hac de-
causa asserit Arist. sanguinem non esse continuum , sed
contineri in venis tanquam in vase ; quia non est ibi
perfecta cohærentia , sed facile separantur , sicut liquo-
res à vase : tamen est discriminè , quia vas & liquor
non dicunt habitudinem ad idem esse , nec liquor est
pars etiam potentia ipsius vas , bene verò sanguis ip-
sius corporis .

67 Resp. ad conf. quod sicut pars arida virgæ non
continuatur simpliciter , ac formaliter cum parte vi-
vente ejusdem , sed solum secundum quid , & materia-
liter , quia est habitudo ad diversum esse : ita & san-
guis ille materialiter quidem continuatur cum sanguine
intra vas a remanente , non tamen formaliter propter
habitudinem ad diversum esse . Quia ut intra vasa re-
manet , est saltem potentia pars ipsius hominis , sed ut
extra est actu totum quoddam homogeneum habens es-
se per se : pars enim continui à toto separata fit totum .
Insuper quia est diversus locus , ac diversum continens .
Ad aliud argumentum quod fieri solet ; nimirum quod ,
cum extrahitur sanguis , esset corpus truncatum , si esset
pars , ex dictis patet . Nec obstat quod sanguis aliquan-
do sine dolore extrahi dicatur , quia nimirum est flu-
dus , & non perfectè cohærens .

68 De spiritibus dubitari solet , utrum & ipsi anima
informentur . Negat . P. Garcia sen . i. lib . i. doct . 5.
disp . 17. c . 3. nam tantum sunt facti ut instrumenta fa-
culturatum ; ut scil . aliquam virtutem communicent par-
tibus ad sentiendum , aut movendum , vel aliud quid-
piam . Ad quem finem non exigitur ut vivant . Verun-
tam alii non pauci probabilissime censem sp̄ritus tam
animales quam vitales anima informari , ac vivere ; quia
ipsi necessarii omnino sunt ad humani corporis conser-
vationem , secundum ejus naturalem statum , & ad ope-
rationes vitæ : pertinentque ad veritatem , & integratatem
humanæ naturæ , sicut sanguis , & alii humores : unde à
Verbo assumpti fuerūt , & in corpore glorioſo manebant .

69 Nec obstat quod humores substantia potantur
magis stabili, & constanti; atque adeo magis intrin-
sece necessaria corpori humano: spiritus autem ferè
continuam transmutationem subeant; ac proinde mi-
nus ad integratatem humanæ naturæ pertinere vi-
dentur. Non, inquam, obstat: cum enim humani
corporis partes ad perfectam illius constitutionem
ordinatae, suapte natura diversam dispositionem, na-
turam, & essendi modum postulent: ut patet in offi-
bus, nervis, carnis, & humoribus; ex his enim
quendam essendi modum stabilem, & firmum fortun-
tut ut ossa: quadam autem ex parte consumuntur, ac
reparantur, ut carnes: quid mirum si spiritus, minus
stabilem substantiam, quam humores fortiantur, mi-
nusque firmum essendi modum habeant: cum id eoz
naturæ prout conducunt ad corporis humani, pro
hoc statu, integratatem non congruat. Post resurre-
ctionem autem, quia natura humana, perfecta incor-
ruptibilitate donabitur, spiritus cum sua locali mutabi-
litate absque corruptione durabunt. Vide Nazarium
3. p. q. 5. ar. 2. Quomodo autem pertineant ad integri-
tatem difficultas esse potest: ego existimo pertinere per
modum dispositionis formalioris, & magis activæ,
quam sanguinem, & alios humores.

CAPUT SECUNDVM.

Capilli ne, dentes & unguis anima informentur.

70 Sciendum est, quod pili ex fuliginoso quadam
vapore, qui est tertiae concoctionis excrementum, ra-
xiora cutis spiracula permeante, generantur. In ter-
tiae namque concoctionis excremento quidpiam tenui,
& aliquid crassum ab invicem separantur. Tenui est
serosa quedam humiditas, quæ sanguinis vehiculum
ad universum corporis habitum: quæ si à calore
exteriori insensibiliter transpiret, halitus est, seu va-
por: si propriam humoris formam servans per cu-
tem excernatur, sudor dicitur. Crassum vero nutriti-
menti reliqua. Quod itidem duplex est: alterum,

partim terretre, & crassum, quod materia sordium est, vel potius ipsæmet sordes, quæ cuti adhærentes & subuculas, & hinc sordidiora reddere solent: alterum vero est partim fuliginosum, ac veluti sumostim, & ex hoc pili generantur, ut ex materia ex qua. Materia autem in qua est cutis moderate secca, & rara: ut enim in palustri, & uliginoso loco nihil generatur, nec item in squallidiore loco, ita in humidiore, ac sicciori cute pilos erumpere non datur. Efficiens eorum causa est calor moderatus, qui fuliginosos vapores in cutis spiracula pellit, & ita seccat, ut pili naturam, formamque induant. Finalis pilorum causa triplex est: nimirum subjectarum partium tuta, ut in capillis; vel ornatus, & pulchritudo, ut in pilis barbæ, aut tandem fuliginosorum recrementorum expurgatio, ut in pilis, qui sunt in pectore, & sub ascellis. Vide D. Alb. M. lib. 3. de animal. tract. i. cap. 2. Vngues autem ex crassioribus tertiaæ concoctionis excrementis pronati sunt: in extremis digitorum ad perfectiorem apprehensionem appositi.

71 Porro dentes, cùm sint partes spermaticæ, & inter ossa numerentur, ex pinguiore, & crassiore seminis parte effinguntur, quæ ideo celerius à calore siccatur: quæ quidem pusilla seminis portio mucum referens, & in maxillis latitans, ab earum alimento fovetur, augetur, nutritur. Primi ergo dentes à semine fiunt, & à fœtus alimento in utero nutriuntur, augmenturque. Altera dentium generatio fit à lacte, quod secundum est alimentum. Tertia à solidioribus alimentis. Cùm sint de numero ossium, tamen neque insensilia sunt, ut cætera ossa, neque statos habent, ac certos accretionis terminos: sed usque ad extre-^{me}num senium crescunt, & evulsi renascuntur: tum quia mureo attritu, dum cibos mandunt, attenuantur: tum quia materia accretioni, & novæ generatio-ⁿi sufficiens semper præsto est, quam utraque maxilla medullosa, & venis conspersa suppeditat.

72 Dentes anima informari satis indicat tum sensus, tum augmentum ac nutritio. Sentire enim dentes, ac dolore affici nemo dubitare potest: id enim quo-

quotidie experiuntur , qui cavos dentes asperius tractant , aut calidi frigidique contactu irritant . Et licet nonnulli sint , qui existimant membranam tantum dolere , quæ internam , & cavam nervi partem investit ; alij nervum tantum , alij corpus ipsum , non tamenterum , externum enim aeri expositum , & denudatum limari , frangi , ura sine sensu existimant : tamen Andreas Laurentius insignis Medicus , & Archiater lib. 2. de ossib. q. 12. art. 22. totum corpus dentis sentire arbitratur , exquisitus quidem interna parte , & quo propius ad nervos , membranasque accedit ; minus externa , quia ab aere alteratur . Unde apud Medicos stupor & congelatio peculiaris quidam affectus dentium asseritur .

73 Major de capillis , & unguibus difficultas versatur . Capillos non esse vere partes , neque vivere , seu anima informari asserunt Valles libro 2. contr. cap. 5. Peramatus lib. de hom. procreat. cap. 6. Fernelius lib. 2. part. natural. cap. 2. Segarra lib. 2. de temperamentis cap. 7. Argenterius lib. art. medic. pag. 166. quos citat , & sequitur Petrus Garcia fea. 1. lib. 1. doct. 5. cap. 2. disp. 27. Quibus ex Philosophis non pauci adhaerent . Veruntamen unguis & capillos anima informari secundum gradum vegetativum asserunt D. Thom. 3. p. q. 27. art. 2. & in 4. d. 44. q. 1. ar. 2. quæstion. 3. D. Alb. M. ibid. ar. 10. D. Bonaventura a. 1. q. 1. M. Bannez 1. p. q. 76. a. 8. dub. 3. Nazar us in 3. p. q. 5. a. 2. & communiter Thomistæ . Ad uenientiam pro hac sententia ex SS. PP. D. August. lib. de vera relig. cap. 95. ubi ceu rem tutissimam docet capillos , & ossa vivere , quamvis sine sensu prescindantur . Et D. Greg. Niss. hom. 15. in Cantica , ubi asserit capillos esse partem humani corporis , carere tamen sensu .

74 Probatur primò conclusio : ipsi capilli & unguis immediate fuerunt assumpti à Verbo Divino , ut communiter docent Theologi cum D. Thom. 3. par. quæst. 5. & 54. & in ultima resurrectione corpora cum capillis , & unguibus resurgent , ut docet D. Th. in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 2. ergo ad

150 Quasi IV. De Anima informatione &c.
veritatem & complementum naturae pertinent, atque
ornatum: & subinde sunt veræ partes corporis humani,
ac forma totius informantur.

75 Prob. 2. capilli, & unguis ab intrinseco cre-
scunt, atque augentur, quod est viventium proprium
ergo anima informantur. Unde Galenus libro 1. de
composit. Pharmac. cap. 10. ait: *Generatio pilorum*.
eadem est, & terra nascentium: quemadmodum li-
bris de temperamentis est demonstratum. Ubi lib.
cap. 5. docet quod pili, qui in capite, ciliis &
perciliis habentur, etiam pueris nobis, innascuntur:
siquidem his est, non quales herbis, sed quales stipi-
tibus, prima ratione à natura conditis, non tempera-
mentum ex necessitate sequentibus: cuius ratio est
quia intenduntur à natura; sicut stirpium generatio:
alii vero pili herbis sponte nascentibus sine ope agri-
colæ sunt. Patet autem stipites vivere.

76 Et reipsa quidem, cum natura in aliis viventi-
bus quasdam partes instituerit, quæ solùm ad orna-
tum, vel defensionem deservirent; ut in arboribus
corticem, & folia: quæ tamen anima vegetativa infor-
mantur: cur & capilli, & unguis in homine; qui ad
stetam, vel ornatum, ut ad perfectiorem appre-
hensionem destinati sunt, non informabuntur anima, fal-
lam secundum gradum vegetativum? Nec enim opus
est, ut anima omnibus partibus eosdem vitæ gradus
conferat: quibusdam vegetativum concessit; aliispræ-
terea sensitivum addidit: toti homini præstítit esse in-
tellectivum; ut animadvertisit M. Bannez loc. cit.

77 Nec valet dicere, capillos & unguis ab extrin-
seco augeri, & per juxtapositionem, & hac de causa
non ex omni parte crescere: sed solùmmodo in-
longum protrahi. Non, inquam, valet, nam quæ sic
augentur & crescent, ordinatè crescunt, & secundum
quendam uniformitatis modum; sicut in generatione
laj idum videre est, qui pro diversa appositione ma-
teriaræ varias induunt formas & figuræ, & quandoque
inveniuntur augeri, quandoque vero non: sed oppo-
siuti omnia in capillis, & unguibus accidit: ergo
non augentur ab extrinseco.

Solvuntur Argumenta.

75 **A**rg. 1. illud quod augetur ab intrinseco, & modo viventium secundum omnem sui dimensionem, omnesque positionum differentias augetur, ut docet Arist. 1. de gen. cap. 5. sed capilli in homine non augentur nisi secundum longitudinem: ergo non augentur ab intrinseco.

79 Conf. 1. in capillis, cum absinduntur, nullus dolor persentitur: cuius oppositum eveniret, si anima informarentur. Conf. 2. si capilli informarentur anima, essent immediate Verbo uniti: sed hoc nequit dici: ergo non informantur anima &c. Prob. min. quia quod Christus semel assumpsit, nunquam dimisit: quod de capillis haud satis verificari posset.

80 Resp. ad arg. capillos secundum omnem dimensionem augeri quoisque debitam proportionem ad ordinatum & tutelam capitis assecuti fuerint, postea vero in longum solummodo protrahi. Cum enim insimum vitae gradum fortiantur, non opus est ut tam perfecte augentur, sicut ex partibus, quae perfectum vitæ vegetativæ gradum fortiuntur. Dein quia crescunt sicut exigit finis ad quem destinati sunt, & propria eorum natura vel materia ex qua, & in qua.

81 Resp. ad 1. conf. hoc ideo evenire, quia non vivunt vita sensitiva, seu secundum gradum vitæ sensitivum. Resp. ad 2. capillos Verbo hypostaticè unitos. Et dum anima informantur, talem unionem perseverare, secus autem, cum absinduntur. Illud autem commune axioma intelligitur de principiis partibus humanitatis Christi, quae per se primo assumptræ fuerunt, ut anima & corpus; non vero de aliis partibus quibusdam minutioribus, & quae sunt partes secundum materiam, ut capilli & ungues, quae continuo resolvuntur & crescunt. Nam cum Christus nutritur, aliquid continuò deperdi, & restaurari necessarium erat, sine tamen violatione integratatis naturæ ipsius.

82 Arg. 2. capilli in mortuis crescere videntur & au-

k 4 geri:

geri: sed in his non vivunt: ergo ex eo quod c.
& augeantur, non satis concluditur eos vivere. Similiter in morbis, & præcipue in tabificis augmentur; quod ab actione vitæ provenire nequit. Conf. in capillis abscessis idem esse, eademque penitus numero accidentia manere cernuntur: ergo manet propria forma: haec autem non est anima: ergo anima non informantur.

83 Resp. ad arg. in eo casu, in quo ita prologantur capilli, ut extenuatio partiuni ad id sufficiens non videatur, crescere in mortuo, non quidem modicentium, & per intus sumptionem, sed solùm per juxtapositionem, ut lapides crescere solent. Quemadmodum enim non remanent nisi æquivoce capilli, ita non crescunt ut antea. Quod autem in morbis, & præcipue tabificis capilli magis crescere inveniantur, vaporis fuliginosi copia in causa esse potest, & ad id conferre præternaturalis calor. Unde illud augmentum radicaliter est ab actione vitæ, licet quantum ad aliqua extrinseca ab actione vitæ non proveniat.

84 Resp. ad conf. ex dictis in lib. de gener. & corrupt. quod manent eadem accidentia secundum rationem, seu æquivoce, sed non secundum idem esse. Unde non manent eadem numero simpliciter.

85 Arg. 3. capilli & unguis sunt ex eibi excrementis, quæ per virtutem expulsivam in extremitates corporum rejiciuntur: sed illa, quæ informantur anima, non possunt esse excrements: ergo capilli, & unguis non informantur anima. Min. prob. ex eo enim saliva, & sudor anima non informantur, quia sunt excrements.

86 Resp. quod capilli, & unguis materialiter seu quantum ad causam materialem sunt equidem excrements, sed si sumantur, ut materia illa in eute moderatè sicca & rara subjicitur calori moderato, qui fuliginosos vapores in ipsius cutis spiracula pellit, & ita ficit, ut pili formam, naturamque induat, jam non remanet in ratione excrementi, sed partis pertinentis ad integratem individui, non quidem primam, sed per modum tutelæ vel ornatus. Unde ubi remanent pili in ratione excrementi, ut sub ascellis asserunt Autores an-

ma non informari. Nec est simile de sudore & saliva, quæ semper in ratione excrementi remanent, nec ita digeruntur calore, ut formam aliquam partis corporis suscipere valeant.

87 De semine, & lacte dubium exoriri solet, at informentur anima? Respondent negativè Arist. lib. 2. de gen. anim. c. 2. D. Th. de pot. q. 5. a. 9. & communiter Philosophi. Prob. semen & lac non pertinent ad integratatem & esse individui in quo sunt, sed solum ordinantur ad perfectionem & conservationem speciei in alio individuo: sed ea solummodo, quæ ad integratatem & perfectionem individui in quo sunt, attinent, anima informantur: ergo lac & semen non informentur anima. Maj. patet: nam ex semine per actum generationis producitur aliud individuum: ex lacte autem per actum nutritionis foetus jam productus nutritur. Minor etiam est evidens: quia forma totius est formans partes ad unum esse: ergo si in ipso toto non sint totius forma inforrnari nequeunt.

88 Quod autem ex nimia seminis emissione macies & debilitatio contingat, non ex eo provenit, quod anima informetur: sed quia, quo plus seminis emititur, eò plus alimenti, quod in substantiam aliti convertendum erat, consumitur per conversionem in semen factam à virtute efformativa seminis. Idem proportione servata dicio de lacte. Nec Spadones censentur manci, quia eis semen deficiat, cum & in pueris non reperiatur; sed quia eis præciduntur nervi, qui sunt seminis fabri. Vide PP. Complutens. hic disp. 6. q. 2. f. 1. num. 29.



QUAES.

154 QUÆSTIO V.

DE PARTIBUS CORPORIS

Humani, quod est animæ instrumentum, & materia compositi.

Qvia in futuris disputationibus de anima sensitiva, ac vegetativa, nec non & de intellectiva passim nobis occurret sermo, de quibusdam corporis animati partibus impræsenti agendum esse duximus præsertim verò de partibus corporis humani. Ut enim anima hominis, formarum omnium est præstantissima, ita illius corpus, animæ domicilium, ac instrumentum ceteris ita antecellit, ut corporearum omnium mensura, ac regula dici possit. Quod satis indicant, impribus figura illius recta in Cœlum sese attollens, tum etiam temperies illius moderata, partium æquabilis & justa proporcio, tandemque mirabilis rerum omnium, quæ naturæ lege imperioque continentur, amplexus. Nec tanzen de omnibus, & sanguinis ipsius corporis humani partibus sermonem instituemus, sed de illis, quæ præcipue in instituto nostro accommodæ videbuntur.

ARTICULUS PRIMUS

Quid, & quotuplex sit pars corporis.

ISi nonnulli cum Aristotele rationem partis à membro distinguant: quia nimirum membrum ea tantum sunt corpora, seu partes quæ ex diversæ naturæ partibus constant; ut caput, pedes, manus &c. partes autem similares solummodo nomine partis intelligendas volunt: tamen usus obtinuit, ut membrum, & pars indiscriminatim accipientur pro qualibet corporis parte, quæ verè & actu pars est. Imò Medici particulam & locum, partem & membrum nonnunquam

quam pro codem accipiunt, ut docet Andreas Laurentius lib. 2. c. 11. q. 1.

2 Galenus lib. 1. methodi cap. 5. partem dicit quidquid totum compleat, & integrat: aut quidquid ad humani corporis constitutionem facit. Quæ definitio tradita est de parte latissimè sumpta, prout nimis tam viventes seu animatas, quam inanimatas complectitur. Fernelius autem partem describit: Corpus toti cohærens, communique vita conjunctum, ad illius functionem, usumve comparatum. Quæ definitio Medicis valde probatur: & rationem partis exprimit ut morbi, vel sanitatis subjectum est: quod solum congruit partibus, quæ actiones edunt: cujusmodi sunt partes animatae, & viventes. D. Alb. M. lib. de animal. tr. 1. c. 2. definit partem, seu membrum: id in quod dividitur, & ex quo integratur, & componitur corpus, & per quod exercentur operationes animalium, ut animalia sunt. Quæ definitio ferè cum præcedenti coincidit, & explicat rationem partis corporis, non solum ut est materia hominis, sed etiam ut est instrumentum animæ, per quod suas operationes exercet.

3 Pars hoc modo sumpta dividitur in similarem, & dissimilarem: seu homogeneam, & heterogeneam. Homogena est, à qua incipit primò compositio corporis animalis, & quæ non dividitur in formam membra aliā, sed solum divisione elementi, seu continui, ita ut omnes partes dividentes nomen & rationem partis divisæ retineant. Unde humores non sunt simpliciter partes in actu, sed in potentia, quia potius ordinantur ad generationem partium corporis, quam ad corpus ipsum animalis. Hujusmodi partes à quibusdam simplices vocantur. Inter partes similares computantur à Galeno, os, cartilago, ligamentum, membrana, fibræ, nervi, arteriæ, venæ, caro, cutis, adeps, medulla, ungues, pili. Ibi est sermo de partibus similibus communibus, ex quibus, tanquam communibus elementis plures partes dissimilares constituuntur: unde hīc non fit sermo de medulla cerebri, aut humore crystallino, &c. quia non fiunt ex eis plures partes dissimilares. Dissimilares autem pars, seu heterogena,

vel

vel organica est, quæ in forma membra ex pluribus partibus similibus constat, seu quæ dividitur in partes dissimiles quasdam quibusdam in forma, nomine, & ratione; sicut caput, manus &c. D. Alb. M. loc. cit.

4 Vtraque hæc pars in ratione membra animalis debet aliquam edere, seu exercere operationem: similaris quidem actionem edere potest perfectam, sed communem, & similiarem, non propriam, ac peculiarem. Est autem similaris actio, quæ à sola partis temperie inchoatur, ab eadem perficitur, & à qualibet partis portiuncula, integra, & perfecta editur: v. g. nutritio: quælibet enim ossis portio, v. g. alimentum retinet, trahit, coquit, & reliquias expellit. Unde qui similiarium partium actionem servare gaudet, temperiem servet necesse est, ut autor est Galenus i. de facult. natur. Organica autem est, quæ sola sibi propriam, & organicam actionem perfectam edere potest; v. g. solus oculus videt, & nervus mover. Actio autem organica dicitur, quæ à temperie sola nec inchoatur, nec absolvitur, sed à toto instrumento integra & perfecta editur; sic visio, quæ propria est oculi actio, non à crystallino tantum humore, nec ab optico, nec à tunicis perficitur, sed ab omnibus simul. Hujus itaque partis forma à Medicis non ponitur temperies, sed conformatio: quæ in symmetria, & naturali constitutione multorum, figuræ scil. magnitudinis, numeri, & situs, connexionisque cum aliis partibus, consistere dicitur: nam vinculis, & membranis partes colligatae cohaerent. Hoc enim pacto actionem sibi propriam in ratione instrumenti habent edere, ut motione animæ, & virtute ab ea derivata agunt.

5 Non desunt qui sentiant omnem actionem à partibus similaribus derivari, nullam ab organicis. Quod sensisse videtur Galenus c. 5. lib. de const. artis: ubi assert actiones primò & per se similiarum esse, secundariò, & ex accidenti organicarum. Et præterea Aristoteles omnem sensum à similaribus esse vult. Quod ita intelligendum vult Andreas Laurentius loc. cit. q. 6. quod in omni perfecto organo similaris quedam pars admittenda sit, quæ sit actionis causa princeps, non tamen integra, & perfecta: perfecta enim actio toti organo debe-

debetur. Ego existimo omnem actionem quantum ad substantiam, & esse, euidem à partibus similaribus esse: cum organicæ super similares nihil addant, quod possit actionem producere: sed quoad modum proprium operandi, & rationem operationis, actiones ab organicis proveniunt, cum subordinatione quadam, & ut constituant unum agendi principium quo, seu medium, & instrumentum: sicut scindere quantum ad substantiam & esse ipsius actionis provenit à ferro, seu acumine illius, quod est materiale in instrumento: sed quod tali, vel tali modo fiat, provenit à dispositione, & conformatione serræ: à qua provenit diversus modus scindendi ab eo qui est in securi, propter quem illa actio redditur propria ipsi serræ, ac peculiaris.

6. Similarium partium à Philosophis quædam statuuntur humidæ; quæ nimirum suapte natura sese continere in propriis terminis nequeunt, ideo conceptaculis indigent; ut sanguis. Aliæ molles, quæ sese magis suis terminis continent, ut caro. Aliæ sunt siccæ, quarum superficies compressa difficile, vel nihil cedit, quæ etiam solidæ vocantur: quarum duo constituuntur genera. Aliæ enim sunt fragiles, quæ sine partium dissolutione flecti, nequeunt; ut ossa. Aliæ lenta, seu ductiles, quæ flecti, extendique sine dissolutione possunt, ut ligamenta, & membranæ. Medici præterea similares partes dividunt in spermaticas, & carnosas. Spermaticas dicunt eas, quæ immediate ex seminis crassamento prodeunt: ut vene, arteria, nervi, ossa, membranæ, & cartilagini. Dum enim vis procreatrix in seminis partem agit, quæ tensionis capax est, membranas effingit, venas, arterias, nervos: dum autem agit in eam partem, quæ concretioni est opportuna, & plus pinguis, quam glutinosi habet, ossa efformat, & cartilagini. Carnosarum autem partium triplex genus assignant: alia est enī caro propriè dicta, videlicet muscularum, & caro viscerum, quæ est quasi affusio, & concretio sanguinis, & tandem peculiaris singularum partium caro. Tandem partes similares aliæ communes sunt, quæ plures, & dissimilis naturæ partes compositas constituunt; ut ossa, cartilagini, ligamenta, membranæ, caro, nervi, arteria, vene.

venæ. Propriæ alia, quæ unius tantum partis compositionem substantiam constituant; ut medulla cerebri, humores oculorum, crystallinus, & vitreus.

7 Organicarum autem partium ex D. Alb. M. aliæ sunt ut membra universalia, quæ nimirum multitudinem, & universalitatem quandam partium compositarum in se complectunt ad singulos actus communis alicujus animalium multas virtutem potentias exercentis; v. g. caput, pes, manus, tam minor quam major. Caput enim v. g. oculos ad videndum, aures ad auditum, linguam ad gustum, & vocem &c. habet. Aliæ sunt ut membra particularia, v. g. digiti. Medici cum Galeno quatuor organorum statuunt ordines. Primi ordinis organa appellantur simplicissima: quæ ex solis similaribus constant, ut musculi. Secundi ordinis sunt, quæ ex primis coagmentantur, ut digiti. Tertiī ordinis sunt, quæ ex secundis coalescunt, ut manus. Quarti, quæ ex tertīis, ut brachium.

8 Alia est celebris, & per vulgata partium divisio in Principes, & Ignobiles. Princeps vocatur ea pars, quæ absolute ad totius individui conservationem est necessaria, aut quæ facultatem toti largitur, vel saltem communem materiam. Tres statuuntur à Medicis partes Principes, nimirum Cerebrum, Cor, Hepar. Peripatetici soli Cordi principatum tribuunt. Cæteræ omnes partes ignobiles dicuntur: tum quia ab illis facultas, spiritus, & communis materia non manant: tum quia singulariter Principibus famulantur, sensuum enim organa solius Cerebri gratia sunt constructa, pulmo, diaphragma, arteriæ soli Cordi temperando, expurgandoque dicatae sunt. Ventriculus autem, intestina, lien, renes, utraque vesica, propter ipsum Hepar condita sunt. Tum denique quia earum ad individui totius conservationem absolute nulla est necessitas, sed secundum quid. Inter partes ignobiles quædam præparatoriæ, quæ nimirum Principibus aliquid præparando subserviunt: aliæ latoriæ quæ aliquid deferendo famulantur; sunt & aliæ partes soli partium Principum expurgationi dicatae omnium ignobilissimæ, quæ emunctoria vocantur. Sic Hepati ventriculus cibum coquit: Cordi pulmo spiritum præparat, sunt

Iun. pond. aures cerebri emunctoria. Vide Andream Laurentium lib. 1. c. 29. & q. 3. Variæ sunt partium aliæ differenæ, quæ possunt videri apud præfatum Autom. loco citato.

ARTICULUS SECUNDUS

De partibus similaribus in particulari.

CAPUT PRIMUM.

De ossibus, & cartilagine.

Cum ossa toti corpori stabilitatem, rectitudinem, & formam exhibeant, primum inter cæteras partes similares in hac disputatione sibi locum vendicant. Definitur os: pars similaris omnium siccissima, ex seminis crassamento terreo pinguique, à vi formatrice per caloris vim genita, ad totius stabilimenti rectitudinem, & figuram. Os est siccissima pars inter cæteras ob humidi, & pinguis exhaustum, quem fecit intensior calor. Ex siccitate duritiem consequitur: gravitatem autem, quia terreum; aëris & aqua sunt in eo valde densata: & tandem os est album quia spermaticum. Ossium materia est seminale excrementum, seu pars seminis crassior, & pinguior: nam ex parte seminis glutinosa, quæ est tensionis capax, nervi sunt membranæ, & vincula efformantur. Efficiens autem est vis formatrix, quæ calido utitur, ceu architecto; & spiritu tanquam opifice. Finalis eorum causa est, ut toti corpori stabilitatem haud secus atque bases, & columnæ ædibus subjectæ præbeant; nec non & rectitudinem: sine ossibus enim animal rectum stare non posset, sed humili serperet, & more vermiculorum, serpentumque repereret: tandem ut figuram exhibeant: quia ab ossibus corporis proceritas, & incrementum pendet.

10 An ossa sint calida, vel frigida, disputant Autores: quidam frigida esse volunt. Ita Andreas Laurentius lib. 2. p. 2. quia in prima generatione pingue absorbetur:

160 Quæst. V. De partibus corporis humani:
betur: exhaustu itaque frigidus, & pabuli defecctus, fri-
grida ex eventu redduntur. Empedocles autem & L.
Alb. M. ossa calida esse volunt: tum quia materia illo-
rum calida, tum quia efficiens calidum: unde Aristot-
les Vulcano ossi, id est, igni urenti, & torrenti ossium
generationem tribuit. Insensilia sunt ossa; sensuque
destituta, præter dentes. Cùm enim universam corpo-
ris molem sustentent, & continuis agitentur motibus,
tam varios motus sine dolore ferre non possent: unde
semper esset animal querulum. Tum etiam quia nervi
per eorum substantiam minimè disseminantur, ut senti-
re valeant. Ossum alia sunt durissima; ut dentes, &
quæ lapidosa dicuntur: alia mollia, ut Ethmoidea, &
Epiphyses: alia dura simpliciter ut cætera omnia. In-
super ossium alia sunt magna, alia parva, alia medio-
cria. Alia sunt longa, ut os femoris, alia brevia, ut
extremorum digitorum: alia ampla, ut scapularum.
Alia augusta, alia crassa, alia tenuia. Alia solida, alia
non solida; alia lenia alia aspera. Quædam medullo-
sa sunt: & his medulla est ut alimentum: quædam au-
tem medulla carent. Si in ossibus sedem spectaveris;
alia erunt superiora, alia inferiora: alia antica, alia
postica &c. Si connexionem cum aliis partibus, alia per
musculos, alia per vincula, alia per cartilagini cur-
vicias partibus connectuntur. Quædam ex eis moven-
tur, ut quæ per diarthrosin articulantur: quædam sunt im-
mobilia, ut quæ per synarthrosin connectuntur. Vide
Andream Laurentium lib. 2. c. 3.

11 Pars ossis triplex est: præcipua, ossi adnata, quæ
dicitur Epiphysis; & pars ossis protuberans, quæ Apo-
physis appellatur. Pars præcipua est ipsum os à na-
tura constructum: quæ velut basis medium sedem oc-
cupare solet. Si contigerit os à natura brevius, quam
oporteat fieri, pars quæ ei adnascitur, ut perficiatur,
dicitur pars ossi adnata. Pars autem ossis protuberans
est pars illa ossis legitima, ex ipsomet osse prorumpens,
& extra superficiem planam exuberans. Non unico
duncat osse corpus humanum constat: sed ob mo-
tuum varietatem ossium diversi generis symmetria,
rumque multiplici figura coalescit. Inter se nexus mir-
bili

bili vinciuntur : & omnia ipsa aut continua sunt , aut contigua , aut per articulationem , vel per symphysis compaginantur . Est autem articulatio naturalis ossium structura , in qua duorum ossium extrema sese tangunt . Articulatio , alia laxa , alia stricta : illa est cum motu manifesto , stricta vero , aut nullum motum habet , aut vix sensu perceptibilem . Est autem symphysis naturalis ossium unio , per quam ossa , quæ duo erant , continuantur , & unum fiunt : unde ejus natura in continuitate , ut articulationis in contigitate consistit . Symphysis alia sine medio , qua partes molles , & cartilagineæ cum ossibus uniuntur : alia vero cum medio qua sicciora & duriora uniuntur , quæ sine alicujus corporis interventu , uniri nequeunt . Et hoc medium triplex est , caro , nervus , cartilago . Et hæc de ossibus breviter dicta sint , plura loquentes de partibus organicis infra explicabimus .

12 Cartilago , quæ in sui materia , valde ossium generationem refert , est pars similaris ex crassa ipsius semenis parte , quæ vi caloris concrescit , genita , ad motuum varietatem , securitatemque , & ad externos impetus eludendos . Licet enim cartilaginis varijs sine usus ; primus tamen & communissimus est , ut ossium taxa articulatione junctorum , motus juvet : cum enim cartilago sit levigata , & polita , ossium asperitates levigando , lubricandoque corum capita ad motum facilitorem exhibet : unde mobiles omnes articuli cartilagine incrustantur : ossiumque capita , & sinus , ex ea parte qua sese tangunt , levigata cartilagine illuantur . Secundus etiam cartilaginis interventu motus efficitur , quia ossium sinus cartilago adauget , ne promptè luxetur articulus . Tandem cum ossium extrema sint durissima , in tam variis motibus contactu mutuo se contererent , nisi cartilagine molliore obducerentur . Secundus autem , & præcipuus cartilaginis usus est ab injuriis foris occurasantibus partes turari subjectas . Cum enim cartilago sit mediæ naturæ inter durissima , & mollissima : seu ossa , & ligamenta : osse quippe est mollior , & ligamento durior : non facile rumpi , aut comminui potest , sicut durissima ; nec facile incidi , aut contundi ,

162 *Quæst. V De partibus corporis humani.*
quemadmodum mollia , & carnosa . Hinc nares , &
aures , quæ sunt in iuriis valde expositæ , cartilaginiæ ha-
bent . Sunt alii cartilaginis usus minus præcipui . Vide
Alb. M. lib. de animal. tr. 2. c. 1. & And. Laur. lib. 3.
2. Cartilaginum differentiæ sunt pene eædem atqui os-
sium . Ad tria præcipue capita reducuntur . Aliæ sunt
capitis , aliæ trunci , aliæ extreborum . De quibus
nonnihil afferemus infra loquendo de partibus orga-
nicis .

C A P U T S E C U N D U M .

De Ligamentis , Membranis , Villis .

13 **L**igamentum in fusiore sua significatione dicitur
quidquid partem parti colligat . Sic membra
næ omnes ligamenta dici possunt . A Medicis ligamen-
tum propriæ appellatur corpus satis durum , & firmum,
luxum tamen , & flexibile , sensu vacans , quod articu-
los circumligat , devincit , & continet . Definiri solet
ab ipsis : Pars similaris frigida , & sicca , medium in-
ter nervum , & cartilagine naturam obtinens , ex
ieminis portione lenta , vi caloris genita , varios in-
colligando , continendo , tegendo , & musculis con-
truendis usus præstans . Ligamentorum varii sunt usus .
Primus est , ut ossium , & cartilaginem articulationes ,
præsertim laxiores , firment , & luxationem impediant
osque ipsa , qua parte non articulantur , devinciant .
Secundus est , ut indumenti instar , ad tendinum tute-
lam extrinsecus apponantur : eosque suis locis conti-
neant , firment , ac tutè transmittant . Tertius est , ut
ad musculi structuram concurrant ; ex fibris enim ner-
vi , & ligamenti invicem permixtis fit tendo . Alii sunt
usus speciales , de quibus Andr. Laurent. lib. 3. c. 14.

14 Licer membrana , & tunica sæpe unum idemque
denotent , nonnullam tamen patiuntur differentiam .
Tunica enim dicitur quod partem aliquam tegat , &
vestiat : membrana autem à simplici substantia , ver-
vea , tenui , densa , lata , quæ distensionem , & con-
tractionem facile admittat , nomen sortitur . Membrana
est

est pars similaris ex seminis portione lenta , ac ductili vi caloris genita ; ideoque lata , tenuis , & densa , sensus tactoriī organū ; partes subjectas custodiens , colligans , disternans . Pars similaris est ea quæ vere est membrana , & non corpus membranosum ; quia uniformis : citra noxam facile contrahi , aut dilatari potest : ideoque partes omnes , quæ contrahi , & distendi debuerunt , membranose constructæ sunt . Lata est , & extensibilis ut partem vestiat , custodiatque ; densa est , tum ad robur , tum etiam ne tam facile humorū influxum excipiat . Tenuis est ne pondere sit molesta ; est tamen duplex : quia per illam nervi ad sensum , venæ ad nutritionem , arteriæ ad vitam feruntur ; quæ vasa inter duas tunicas necessariò excurrunt . Sensu exquisitissimo prædicta esse fertur ; quia sensus tactoriī organū est , qui cùm per totum corpus animalis diffusus sit ; & ubique necessarius , ideo membranæ per totum ferè corpus dispersæ sunt . Corpus enim externum ambient cutis , & membrana nervosa ; internum autem peculiares pene infinitæ .

15 Membranæ aliæ sunt fœtus , aliæ editi animalis . Fœtum involventes sunt tres . Prima est chorion , quæ fœtum continet , & circuli coronæque instar ipsum ambit ; utero tota adhæret venarum , & arteriarum umbilicalium interventu . Secunda est amnios , seu agnina , quæ est sudoris receptaculum . Tertia est allantoides , in solis brutis reperta , à farciminiis figura sic dicta , instar zone cuiusdam puellum cingit , aut fasciæ latæ , urinæ est receptaculum . Editi animalis membranæ aliæ universales , quæ totum corpus investiunt , ut cutis & panniculus carnosus . Aliæ particulares , quæ simplicem aliquam partem , aut specialem regionem investiunt ; scil . supremam , medium , aut infimam .

16 Villi , seu fibræ dicuntur , quod sint velut striæ , & segmenta , quibus membranæ intertexuntur . Sunt partes similares genitæ ex semine , albæ , solidæ , oblongæ ex ilium filamentorum instar , ad motum & carnis custodiā destinatæ . Cùm enim apud Medicos triplex sit motus , animalis , vitalis , & naturalis , omnes isti villorum interventu perficiuntur . Animalis enim

seu voluntariis muscularum opera complectur: musculi autem moventur, dum ejus fibræ intenduntur, aut versus principium retrahuntur. Motus vitalis cordis est, atque arteriarum: habet autem cor suos villos, quorum ministerio distenditur, contrahitur, & quiescit. Sunt & arteriis sive fibræ: naturalis motus in attractione, retentione, & expulsione conspicuus est: unde & à villis perficitur, saltem quoad communem officialemque tractionem, retentionem, & expulsionem.

CAPUT TERTIUM.

De venis, arteriis, & nervis.

17 **V**ena in ampliore suo significato sanguinis canalem denotat: unde veteribus Medicis commune nomen arteriis & venis fuit: illæ dicuntur venæ pulsantes, seu micantes, audaces: hæ autem dicuntur venæ quietæ, seu sanguinariæ, eò quod sanguinem deferrant: arteriæ autem sunt spirituum conceptacula. In pressiori significatione sumitur à Recentioribus pro venis tantum quiescentibus, simplicem tunicam habentibus: & ut distinguuntur ab arteriis. Si consideretur ut similaris est, saltem judicio sensus, definitur à quibusdam Medicis: pars similaris frigida, & sicca ex lenta, & ductili seminis portione vi caloris genita. Frigida ponitur ex nativa temperie: nam ex sanguinis contactu, & spirituum perfusione calidissima est. Si autem consideretur quatenus est organica, definitur: vas oblongum, rotundum, fistulæ modo excavatum, simplici, & pertenui tunica, omni villorum genere texta, instructum, continendo, distribuendo, & coquendo sanguini à natura dicatum. Primæ particulae venarum figuram, seu formam exprimunt, earumque à nervis, & arteriis distinctionem; nervi enim poros tantum, non autem sensiles cavitates habent: arteria autem duplēm habet tunicam externam, & internam: simplex verò est venæ tunica villos habens omnis generis, rectos, obliquos, transversos, non quidem ad privatam nutritionem, sed ad communem quendam usum: ut ni-

mirum sanguinem, qui est naturæ thesaurus, retineant, trahant à vicinis venis, aliæ ex aliis transmittant ad alias ut fiat distributio; purum denique ab impuro separant: immo villi constructi sunt, ne sanguis luxurians violentis occurribus, & transversis extensionibus venas dirumpat.

18 Circa venarum causam efficientem, unde nimis ortum ducant, non parva oritur difficultas. Innumeræ proptermodum de hac re sunt Doctorum sententiæ; quæ videri possunt apud D. Alb. M. lib. 3. de animal. tr. 1. c. 1. Duæ sunt præcipuæ, & magis famosæ, quæ jam ab antiquis temporibus in scholis invaluerunt. Galenici, & Medici ferè omnes ab hepate venas oriri contendunt. Peripatetici cum Aristotele existimant à corde ortum ducere. Hippocrates in hac re variè sensisse videtur: quandoque enim venas asserit à corde oriri, ut lib. de carn. quandoque autem ab hepate, ut lib. de ossium natura: de locis in homine 2. & 6. Epidem.

19 Pro resolutione supponit D. Alb. M. omne illud, quod est membrorum cibus universalis, in se formam quandam universalem habere, qua movetur ad membra, quæ nutrit: quæ quidem forma ei à generante tribuitur: quod habet rationem principii formativi ad totum corpus. Et hujusmodi principium formativum est cor, præbens cibo formam, qua completere est cibus; ratione cuius formæ naturaliter, non violentè ad corporis nutrimentum quoquo versum tendit secundum generantis exigentiam; nam cor est principium facturæ totius corporis: sed idem est principium conservationis, & nutrimenti atqui principium generationis & esse: ergo virtus qua completur cibus in ratione cibi est à corde, & non ab hepate: ergo cor est principium sanguinis venarum non quidem secundum rationem coloris rubei sed secundum virtutem formativam, qua completere in ratione cibi. Cum enim sint tres degestiones; una quidem in stomacho separans superfluitatem sicciam à cibo: secunda autem est in hepate, per quam substantia cibi ab aquoso humido superfluo separatur: unde ambæ istæ coctiones sunt solum depuran-

tes massam cibi: quæ tamen est in orificio venæ, quæ inter cor, & hepar existit: per calorem cordis accipit perfectionem tertiae digestionis universalis, & conferatur ei forma cibi, qua efficitur cibus ultimus universalis, post quam nil amplius requiritur, nisi ut membris assimiletur. Exemplum non incongruum est in Sole in quo solo est lumen, & calor coelestis formans universaliter omnia; qui secundum quod stellis, quasi quibusdam membris applicatur, diversas appropriationes accipit.

20 Prob. & magis exemplificatur hæc opinio ab eodem D. Alb. Majibid. c. 4. ipsa anima est virtus una, à qua omnes membrorum virtutes fluunt: igitur cum ipsa sit organica, seu potius organisans, speciale aliquid membrum esse necessum est, in quo sita omnes à se virtutes derivet: ergo sicut est virtutum omnium principium, ita pariter illud membrum erit omnium organorum principium: sed animæ competit secundum actum vitæ, & potestatem esse in corde: oportet igitur cor esse omnium venarum principium, per quas anima in membris suas operationes perficit.

21 Hujus rei gratia notat idem D. Alb. M. in generatione virtutem formativam in materia spermatis residere, quæ ibi ex subtiliori, & puriori ipsius conficit corpus, residuo autem materiae cætera membra nobilia componit: formato igitur corde producit, & format hepar intervatu sanguinis, qui est in arteria ab ipso excurrente; & simul cum ipso venam conficit ex partibus materiae spermatis durioribus. Et ubi primum hæc formativa fuerint; illis virtus cordis virtutem largitur naturaliter, cum partibus suis, ut digestiva, attractiva &c. Verum enim verò, cum istæ virtutes organicis instrumentis indigeant; communicatur eis à corde virtus producendi ex se venas alias, quæ subtus in syma, & superius à gibbo ab hepate ramificantur. Cor igitur primum est principium virtutum, & membrorum, nervorum, venarum, & arteriarum, virtualiter ac materialiter omnia originans. Proxima tamen ramificatio nervorum est à cerebro, & proxima ramificatio venarum est ab hepate.

22. Conf. cor nativi caloris est fons, sanguinisque completivum, & digestivum ultimate ut sit membrorum cibus: ergo etiam est principium venarum, per quas, seu canales, sanguis ipse deferri ac deportari debet. Respondent communiter Medici duplicem esse sanguinem, venosum quo singulæ partes nutriuntur: & arteriosum, quo singularum partium calor suscitatur. Cor arteriosi sanguinis est officina, non verò venosi: sed hepar. Contra: iacet re ipsa quidem prima præparatio digestionis ultimi cibi, qui est sanguis, in hepate fiat; tamen in corde necessariò est complementum digestionis sanguinis, ex qua digestione sanguis membrorum cibus efficitur: ergo formaliter, ac præcipue erit principium sanguinis: quia quod rem compleat, & intrinsecè perficit, ac format, præcipue habet rationem principii, & naturæ: unde & forma est magis natura, quam materia. Prob. ant. sanguis arteriosus, cuius officina est in corde, est compleatè digestus, in arteriisque est plus de spiritu, minus verò sanguinis, quam in venis: in quibus sanguis venosus non est ita perfectè digestus: & in extentione venarum vena pulsans, seu arteria, non pulsantem equitat: sed non ob alium finem, nisi ut complementum digestionis accipiat: ergo in corde necessariò est complementum digestionis sanguinis etiam nutrimentalis: qui non transit in membra, nisi compleatè digestus sit: sed quod est principium ac perficiens sanguinem, est principium vasis sanguinem deferentis: ergo cor erit venæ principium, quæ est inter ipsum & hepar: & à virtute cordis omnes venæ suum complementum recipiunt; & vis digestiva completa est in eis à corde.

23. Pro majori intelligentia suppone ex Arist. lib. 2. Metaphys. omne id, quod est in multis per unam rationem participatum ab illis, esse in uno solo primo, quod est causa omnium istorum, inquantum illud commune participant: & hoc ceu commune axioma, in scholis receptum est: ergo oportet primum principium digestionis compleatæ esse unum solum, & quæcunque aliquid digestionis participant, virtutem digerendi non nisi dependenter ab illo fortiuntur: sed quælibet mem-

bra determinata in corpore virtutes speciales assimilandi sibi cibum habent: ergo unum primum principium habens communem virtutem debet constitui, à quo speciales illæ virtutes orientur: sed non hepar: ergo ip. cor. Prob. min. sanguis arterialis, qui est à corde, complete digestus, & magis quam sanguis venosus: ergo virtus digerendi perfectius in corde residet: ergo in hepate, & aliis nonnisi dependenter à corde, tanquam ab uno primo, & universali principio formativo.

24 Itaque cor dat venis speciem, & esse, virtutemque digestivam: sed hepar concedit ramositatem. Ramositatis enim causæ sunt tres: prima loci diversitas à quo alimentum attrahitur, & loci ad quem deducitur. Secunda substantiarum, quæ sunt in cibo, ab invicem separatio. Tertia est divisio massæ nondum depuratae, ut faciliter preparetur, & coletur. Cum igitur hujusmodi separatio, ac divisio in hepate fiat, ideo circumposita sunt hepaticæ, quæ humores suscipiant; estque ibi venarum ramificatio. Et in hoc discrimen reperitur inter ipsas, ac venas pulsantes, seu arterias: quia nimis cor est principium arteriarum secundum substantiam, & esse, nec non & ramificationem: in venis autem non pulsantibus est principium secundum substantiam, & esse, sed non ramificationis. Quia igitur substantia, & esse nonnisi per rationem accipitur, ramificatio autem quidpiam sensibile est, capropter in Anatomia sensus magis percipit venas ab hepate, quam à corde oriri: quamvis reipsa quidem res aliter se habeat. D. Albert. Mag. ibid. c. 6.

25 Supereft ut proponamus, ac diluamus Galeni, & Sectatorum illius rationes. Quarum prima est: idem est principium nutritionis in animali, & in planta: sed in planta illa pars judicatur origo, & principium nutritionis, & radicationis, in qua fibræ omnes copulantur: ergo in animali venarum, per quas fit sanguinis impartitio, ac nutritio, origo & principium debet dici pars, in qua venæ copulantur: sed omnes corporis venæ, qualis in unum coeunt in jecore, & ex illo quasi per stipples disseminantur, & sparguntur, donec in minutissimas venulas terminentur: ergo jecur debet dici sanguificationis

nis origo & venarum principium. Resp ex D. Alb. M. ibid. disparem esse rationem in venis, & plantis: quia nimirum plantæ ab inferiori parte radices habent originis miles: capropter in eis ibi primum nutritionis principium constituitur, ubi fibræ omnes copulantur: ut per eas arbor alimentum possit attrahere: sed animal non habet in supremo sui constitutum: & ideo nil prohibet quin ramositas venarum sit extensa ad cibum, & ad membra, ubi earum non est principium & origo.

26 Secunda est: vasa, quæ oriuntur à suo principio, majora sunt prope ipsum, quam dum per partes ab eo distantes res deferuntur: sed vena cava descendens prope jecur est major, quam dum ascendens in corde recipitur: ergo jecur, & non cor constituendum est venarum origo. Conf. chylus, qui est materia necessaria pro humorum generatione, primò fertur à ventriculo ad jecur, & nullibi extra jecur appetet: ergo jecur debet constitui humorum principium, venarumque origo. Resp. ex eodem D. Alb. M. cap. 5. neg. maj. in quibusdam enim plantis quandoque observamus ramum ipsa radice majorem, ut in cucumeribus. Et granum hordei primo è terra surgens ramulum à se emitit, à quo radix parva spargitur, & in magnam calami canam assurgit, spicamque radice multò majorem. Præterea nervi optici grossiores sunt apud oculum, quam apud cerebrum: & tamen secundum Medicos à cerebro oriuntur. Resp. ad conf. ex eodem: quod chylus primò fertur ad jecur, ut ibi fiat præparatio digestiois ultimi cibi, qui est sanguis: tamen à corde ultimum complementum expectat: ut diximus n. 23.

27 Tertia est: sanguis in ea parte generatur, cuius substantiæ modum refert, cui in colore assimilatur, & juxta cuius temperiem sanguis, ac reliqui humores temperati evadunt; sed sanguis in colore, & in medio substantiæ, jecori assimilatur, & juxta ipsius jecoris intemperati evadunt, ac generantur humores: ergo &c. Conf. soli jecori condonatae sunt viæ ad expurganda excrementa, quæ resultant ex illa coctione, qua sanguis generatur, ut serum, ac bilem: ergo &c. Conf. 2. à corde non potest communicari sanguis, vel transmitti ad jecur, aliasque cor-

170 *Quesit. V. De partibus corporis humani*,
corporis partes, cùm cor adintus habeat valvulas occlu-
dentes, & impedientes illius retrocessum: ergo &c.

28 Resp. ex èodem c. 5. in modo substantiæ venas ma-
gis cordi, quàm hepati similari: hepar enim est omni-
modo carnosum, venæ autem nullatenus sunt carnosæ.
in corde autem pars est substantiæ filosa, cuius simili-
tudinem magis referunt venæ. Quod autem magis in co-
lore assimiletur, ejusque intemperiem persentiant: ideo
est, quia hepar se habet ut præparans ad ultimam dige-
stionem, & veluti principium proximum: cor verò ut
compleans, seu ut dans substantiam, & esse; color au-
tem, & intemperies maxime se habent ex parte præpa-
rantis ac dispositivi: sicut esse ex parte complementis, seu
præbentis ultimum complementum. Resp. ad 1. & 2.
conf. solum convincere, quòd hepar sit principium ra-
mositatis, ut patet ex dictis supra n. 25.

29 Venarum innumeri quidem sunt modi, ac diffe-
rentiæ. Quinque famosæ ab Anatomicis communiter
numerantur: videlicet, vena cava, vena portæ, vena
umbilicalis, vena arteriosa, & venosa arteria. Attamen
And. Laurent. omnes illas ad duas tantum refert, scilic.
venam portæ, & cavam: nam vena umbilicalis, em-
bryonis nutricula, quæ ab hepatis scissura ad umbilicum
fertur, est venæ portæ siboles, ac propago, ipsique
ita continuatur, ut potius venæ portæ ramus, quàm ve-
na dici mereatur. Venosa etiam arteria, cuius omnes
rami multifariam scissi per totam pulmonum carnem,
multifariam sparguntur, siboles est venæ cavæ; vena
autem arteriola suam habet cum aorta continuatatem, &
arteria potius quàm vena nuncupari debet: quia dupli-
tunica, eaque crassissima investitur.

30 Medici venam cavam nominibus variis insignive-
runt: nam vocant ipsam cum Veteribus venam cavam,
& magnam: imò & maximam: illius enim ramis quasi
rivis universum corpus irrigatur: estque fons humanæ
naturæ, & microcosmi humani flumen amplissimum.
Quandoque autem vocant jecoriam: quia ejus radi-
ces, ut putant, per convexa jecoris sparguntur & in
unum caudicem desinunt, qui venæ truncus dici solit.
Hic ab hepate exsiliens in duas partes dividitur: qua-
rum

rum superior ascendens, inferior autem descendens nuncupatur. Illa, nimirum descendens magnæ arteriæ accumbens ad illa porrigitur, & ad ossis sacri initium excurrit. Ibi quinque veluti surculos emittit; scil. adiposum, renalem, venam spermaticam, lumbarem, & venam musculosam. Deinde in ea parte, qua trunca ille venæ cavæ descendens arteriæ magnæ subjicitur, ne ossis sacri duritic, & continuo motu ledatur, scinditur in duos iliacos ramos: à quorum utroque venæ quatuor derivantur: nimirum sacra, hypogastrica, epigastrica, & pudenda. Vide infra de arteriis. Idem ramus iliacus extra abdominis cavitatem delatus, ad inguina cruraque descendens cruralis appellationem sortitur. Ab ea sex maxime conspicui emanant surculi; scil. saphena, seu malleoli vena ad malleolum extremum, ischias minor, muscula, poplitea, suralis, & ischias major. De quibus videri potest Andr. Laurent. lib. 4. cap. 5.

3¹ Ascendens autem vena, vas insigne sanguine turgens ad jugulum usque protenditur, alligata firmiter vicinis partibus: primo diaphragmati quod permeat; dein membranis interseptentibus per communes tunicas, tertio cordi per auriculam dexteram, & membranas tricuspides. Ab hoc trunco quatuor emanant venæ: scilicet Phrenica, Coronalis, Azygos, & Intercostalis. Insuper ascendens, postquam hos ramos ex se derivavit, alios duos ramos distendit, qui infra claves, & jugulum, unde subclavij appellantur. Horum ramorum pars intra cavitatem thoracis recondita, quinque alias venas ex se derivat; scilicet mammariam, thymicam, capsularem, cervicalem, & muscularam. Altera autem pars è thorace exiliens ad axillas fertur, & axillaris dicitur. Ab hac tres oriuntur venæ, thoracica, basilica, & cephalica. Thoracica gemina est utrinque: una in mamma, & anteriores thoracis musculos: altera in posticos distribuitur: basilica quæ est jecoraria, seu hepatica per interiorem, cephalica per exteriorem brachij partem fertur. Cephalica sic dicta est, quod in affectibus capitis tundatur. Qui plures harum venarum differentias scire desiderant.

172 Quæst. V. De partibus corporis humani.
desiderat , consulat dictum Andream Laurent. loc.
titato .

32 Vena portæ , secundum Medicos , è concava
hepatis parte oritur , jecoris manus dicta , quod è
tanquam manu ad chyli attractionem utatur hepar .
Truncus euidam plantæ similis esse perhibetur : quia
ipsius radices innumeris surculis per universum he-
patis corpus dispersæ in unum truncum desinunt : qui
ab hepate exiliens in duos pergrandes ramos dividi-
tur : quorum elatior , tenuior , & sinister splenicus
dicitur : quippe qui ad lienem ferè totus fertur : alter
verò humilior , amplior , & dexter mesentericus ap-
pellatur , hic enim totus pene in mesenterium , &
intestina exhaustur . Iste tres præcipios diffundit rivos ,
qui sunt vena hæmorrhoidalis , cœcalis , mesenteri-
cus . Hæmorrhoidalis , per coli extrema , & recti in-
testini longitudinem ad arcum usque distenditur , quem
exilibus ramulis orbiculatum amplectitur . Per hanc
sanguis melancholicus , qui ob lienis obstructionem
purgari nequit , certis quibusdam intervallis excernitur .
Cœcalis autem ad cœcum intestinum fertur . Mesen-
tericus inumeros ex se derivat surculos , qui oblique
Inter duas intestinorum tunicas feruntur : hi partem
chyli tenuiorem ab intestinis fugunt , & vehunt ad he-
par ; & postea elaboratum sanguinem ad intestinorum
nutritionem revehunt . Splenici ramos vide apud ci-
ratum Autorem in eodem lib. 4. c. 4.

33 Sunt & aliae venarum descriptiones penes earum
usus : quædam enim dicuntur emulgentes , quarum
usus est scorsum humorē deducere : quædam sper-
maticæ , quæ semini rudimentum conferunt : aliae me-
saraicæ , quæ chylum alterant , ac in hepar transpor-
tant : aliae sunt vases venosi , qui melancholicum suc-
cum in ventriculi cavitatem refundunt , ad excitandam
appetentiam : aliae sunt venæ uteri ad sanguinem
certis , & statis periodis excernendum : aliae
splenicæ fœculento sanguine expurgando destinatae &c.

CA-

C A P U T Q U A R T V M .

De arteriis, & nervis.

34 **A**rteria sic dicta est , D. Alb. M. teste lib. 1.
tr. 2. cap. 20. quod pulsat in eis spiritus aeris
per cordis diastolen , & sistolen percussus , aut ad per-
frigerationem cordis attractus , aut etiam tentus; ad ma-
teriam vocis . Ex duabus tunicis conflatur , externa
molliori , & interna duriori : ne , dum frequentibus
spiritus pulsationibus concutitur , frangatur . Quia
vero ipsae sunt spiritus viæ ; spiritus autem vehiculum
vitæ , ac virtutis , ideo arteriæ viæ sunt vitæ , ac virtu-
tum . Illas à corde oriri certum est ac manifestum .
Cum enim sint duo cordis ventriculi , dexter ad ipsum
hepar respicit , totus in attractu nutrimenti occupatus ,
ut ibi ultimum complementum , ac vitæ formam acci-
piat : sinistram autem ipsis arteriis , secundum Peripate-
ticos originem præbet . Quemadmodum venæ , ita &
arteriæ ex seminis portione secca , lenta , ac ductili
generantur : suntque vasa rotunda , oblonga , fistulæ
modo excavata ; dupli tamen tunica fibris intertexta
constantia , dicata à natura deducendo sanguini spiri-
tuoso , nec non temperando , reficiendo , & expurgan-
do singularum partium calori . Duplex arteria à sini-
stro cordis sinu profilit , secundum D. Alb. M. loc.
cit. quarum una ad pulmonem decurrit , ut per eam ,
ceu canalem aer à pulmone ad cor pertrahatur , &
sanguinem subtilem , ac spirituosum à corde ad pul-
monem revehat ad istius nutritionem . Vna simplici
tunica contenta esse dicitur (unde arteria venalis seu
venosa ab antiquis dicta est , quia uti vena unicam for-
titur tunicam) quippe quæ mollior ac levior , ad dilata-
tionemque , & constrictiōnem magis idonea esse de-
bet , ut sanguis facilius , ac melius ex ea resudet ad pul-
monis nutrimentum .

35 Alia à spissiori cordis parte , sinistroque illius si-
nd citur , arteria magna vulgo nuncupata , quæ sta-
am arterias duas in cordis basim , & ambitum reflectit ,
quas

quas Coronarias dicunt; mox tota bipartita finditur quasi in duos prægrandes stipites dirempta: alter orsum secundum lumborum vertebrae contorquetur: alter sursum ad jugulum effertur, ubi in duos insignes ramos dividitur, qui subclavij dicuntur. A subclavio dextro quinque emergunt arteriae, *Intercostalis superior* quæ ad costas: *Mammaria*, quæ ad interiorem sterni partem porrigitur: *Cervicalis*, quæ per foramina apophyseon transversatum cervicis, emicat in cerebrum: *Muscula* in cervicis musculos spargitur: & *Carotis*, sic dicta quod caron, & apoplexiā excitet. si intercipiatur, denegato aditu vitali spiritui, qui animali materiam subministrat. Hæc unā cum jugulari interha ascendit, & priusquam cranium ingrediatur, in plurimos surculos per vicinas partes dispergitur: quorum alii ad laryngis, & hyoidis musculos, vicinasque glandes feruntur: alii ad maxillam inferiorem, in mentum, & labia; alii ad processus mammillares, & musculos vicinos excurrunt: alii in linguæ radicem, masseteres, temporales musculos, cavitatem dentium, & narium amplitudinem divericantur. Quod reliquum est carotidis per foramen, quod inter sphenoidem, & os temporis est situm ascendens, & crassiorē membranam perforans, sub qua plexum mirabilem reliquit, primum arterias ad oculos mittit, spiritum ministrantes, opticis nervis; musculis oculos moventibus, nec non temporalibus musculis. Similis ferè est subclaviae sinistrae distributio nisi quod carotidem non habet. Quod reliquum est hujuscē rami subclavii ad axillas perveniens dicitur axillaris: à quo thoracica & basilica prodeunt. Ex D. Alb. M. loc. cit. & And. Lauren. lib. 4. c. 10. & lib. 9. c. 9.

36 Alter venæ magnæ ramus descendens, diaphragma permeans, in ventrem inferiorem, mesenterium, & intestina excurrit. Novem sunt ejus propagines; scilicet *Intercostalis major*, quæ in octo inferiorum costarum spatia fertur: *Phrenica*, quæ per diaphragma excurrit, ramulos ad pericardium spargens: *Coliaca*, quæ in tres rivos distribuitur, quorum unus ad *hepar*, & vesicam felleam, aliis in lienem, tertius tandem frequenti sobole in ventriculum, pyloram, & omentum dif-

diffundit: *Mesenterica superior*, quæ in superiorem mesenterii partem fertur: *Renalis*, seu *Emulgens*, in renum substantiam inseritur, ubi serum in se contentum expurgat: *Spermatica*, quæ in restes flexuoso ductu properat: *Mesenterica inferior*, quæ in mesenterii partem inferiorem abit: *Lumbaris*, quæ in lumborum vertebrae permeat, spinalem medullam alitura: & *Muscula*, quæ ad lumbares musculos fertur. Dein ultius hic truncus descendens in duos ramos iliacos diffinditur: quorum uterque postea quinque surculis fruticatur. Hi sunt, *Sacer*, ossis sacri medullam permeans; *Hypogastricus*, parte hypogastri irrigans: *Umbilicalis*, ab umbilico emergens: quo vivit, & transpirat fœtus in utero: *Epigastricus* per epigastrri partes excurrens: & *Pudendus*, qui ad pudenda mirabili plexu contendit. Idem ramus iliacus ad crura porrigitur, & ibi in varios ramos iterum distenditur. Ex D. Alb. M. & Andr. Laurent. loc. cit. Vide alias venarum differentias apud ipsum.

37 Nervus ex D. Alb. M. lib. 1. tr. 2.c. 17. est substantia viscosa à cerebro directa per corpus, ut per illam sensum & motum toti corpori largiatur. Vel, ut alii volunt: nervus est pars spermatica à cerebro vel spinali medulla exorta, spiritus animalis delator ad sensum, & motum. De nervorum ortu eadem est ac de venis inter Peripateticos, & Galenicos disceptatio. Galenici enim nervos omnes à cerebro, aut ejus vicaria medulla exoriri contendunt. Tum quia à cerebro motus omnis voluntarius sensusque prodeunt: affecto enim cerebro, oppletisque ejus ventriculis, ut in apoplexia, illæso corde, statim perit animalitas: vulnerato autem corde, & frigidis abscessibus obpresso non intercipitur momento sensus, & motus: ergo &c. Tum etiam quia affecto cerebro, totum nervosum genus momento in illius sympathiam trahitur, & ipso contracto corrugatur: unde in epilepsia, quæ est cerebri affectus totum corpus conveletur: corde autem affecto nihil tale contingit. Tandem quia si cor esset nervorum principium interceptis viis à corde ad cerebrum repente animalia-
seria, & motu privarentur: secùs autem evenit, ut docet Galenus. 2. de placit. Hippoc. & Platon. Et denique

que sensus ipse nervorum omnium scaturigines in cerebro observat: in corde autem unicus tantum est nervus à recurrente sinistro exortus, quo se^{cto}, aut intercepto non extinguitur animal, sed tantum ejus vox eliditur, & ipsum obmutescit.

38 Peripatetici autem nervorum omnium propagines à corde ipso derivant. Tum quia major est substantiæ similitudo in corde cum nervis, quam in cerebro. Nam vasa fere omnia cordis, ut aorta, & arteriosa vena dura sunt, & nervea, & uterque ipsius cordis sinus innumeris propemodum nervulis, ac fibris nerveis confertus apparer. Tum etiam quia cor exquisitissimo sensu est præditum, cerebrum autem est insensile. Dicendum est cum D. Alb. M. loc. cit. cui consentit Aponensis, nervos equidem suæ ramositatis principium in cerebro, vel ejus vicario sortiri: sed principium sui formativum, & completivum suæ substantiæ & esse in corde habere; sicut supra de venis probatum est. Primum enim formatur cor, ut infra dicetur, quod per nervum à se derivatum, & virtutem formativam format cerebrum.

39 Ad rationes contrariorum adductas respondendo dicimus motum equidem, & sensum à cerebro ori, tanquam principio proximo; non tamen sine dependentia ab ipso corde, in quo ut in primo ipsius animaliæ virtus residet. Unde affecto cerebro perit animalitas quoad exercitium, quia perit ejus proximum principium: sed non perit quantum ad radicem suæ substantiæ, & esse. Quod autem interceptis viis à corde ad cerebrum statim animalitas non pereat, si hoc verum sit, dico non perire statim; quia idhuc ibi durat virtus communicata, & impressa à corde. Videmus enim instrumenta mota à principali etiam cessante actuali impressione moventis quandam virtutem sibi communicaram servare, & per eam agere. Sensus autem solum probat in cerebro ramositatis nervorum principium, sed non quoad substantiam, & esse. Hoc enim est cor.

CAPUT QUINTUM.

De carne.

40 **M**edici recentiores quatuor carnium differentias agnoscunt. Hæ sunt caro proprie dicta, caro viscerum; caro cuilibet parti peculiaris, & caro glandulosa. Caro viscerum est propria viscerum substantia, & præcipua cujusque visceris pars; cui actio officialis pomo & per se debetur. Talis est caro hepatis, lienis, pulmonis, & renum. Sola inter carnes insensibilis esse dicitur; insitam, & non influentem facultatem habens. Caro cuilibet parti solidæ propria est carnosa, illius substantia villos infarciens.

41 Caro glandulosa est pars simplex, rara, friabilis, instar spongæ mollis, vasorum divisionibus firmandis, humoribus superfluis ebibendis, & rigandis quibusdam partibus à natura instituta. Caro proprie dicta est pars mollis, rubicundo ex sanguine mediocriter resiccato genita; & ob id sanguinea, & calida. Maximam corporis partem constituit. Unde cùm febrili incendio ea spoliatur homo, jam non viventis, sed pene emortui animalis, aut cadaveris imaginem exprimit. Ex ejus laudabili habitu totius corporis sanitas colligitur.

42 Caro proprie dicta caro musculorum, seu musculosa nuncupari solet. Quia maximam constituit musculorum partem. Definitur autem musculus: Pars organica, & dissimilares, nervis, carne, villis, venis, arteriis & tunica propria contexta, quæ est immedia-
tum voluntarii motus organum. Nervis constat utpote delatoribus spirituum, & facultatis. Villi carnes firmant & vincunt, ne dissolvatur. Venæ sanguinem ad nutrimentum velut rivi deferunt. Arteriæ calori conservando dicatae sunt. Tunicae musculos tegunt, cumque substantiam continent, & à partibus vicinis separant: ac tandem sensum tactus eis præbere dicuntur. Caro deinde vacuatem omnem replet, suo anfractu premit ne fibræ permisceantur: nervorum, & tendinum siccitatem attingerat: villos custodit ne rumpan-

tur, ac contundantur: spiritus denique animales suo calore ad motum aptiores reddit. Dicitur vero spontanei, seu voluntarii motus organum. Vocatur autem voluntarius motus ille qui à facultate appetente, seu à voluntate imperatur: quem scilicet & sedare potes, cum vis, & rursus excitare quiescentem, cumque velocitatem, tardioram, rariorem, & frequentiorem edere. Hujus varia sunt organa: cerebrum elicit, nervus spiritum defert, musculus se contrahendo partem variè pro voluntatis imperio agitat: sicut Medicis visum est: nam omnem motum à corde derivare Peripateticis placet. Sed de his infra. Eius proprius & præcipuus motus est contractio. Extensio est motus adventitius. Decidientia inest ei à forma elementari. Et tandem motus tonicus, in quo scilicet fibræ intenduntur, & tensæ manent, est contracti conservativus. Contractio, extensio, & motus tonicus figuræ habent: quarum extrema dolorificæ: unde eas diu ferre non possumus, nisi animum intendamus: mediae sunt jucundæ. In dormientibus raro sunt extrema contractio, aut extensio. Tonicum etiam motum remissum habent. Non est facile certum muscularum numerum assignare: 405. numerari solent.

ARTICULUS TERTIUS

De partibus organicis ac dissimilaribus.

43 **P** Artes organicæ majores secundum D. Alb. lib. 1. de animal. tr. 2. c. 1. sunt caput, collum, clibanus, & duo brachia cum manib; is, & duo pedes cum cruribus: quorum brevem descriptionem subjecturi sumus.



CAPUT PRIMUM.

De capite, & organis animalibus;

44 **C**aput hic in ampliori sua significatione. usum patitur, prout id totum designat, quod prima colli vertebra, & vertice circumscribitur. Dividitur in calvariam, seu partem capillatam, & capillis orbata: Latinis faciem, & vultum. Partis capillatæ circumferentia nunc vocatur corona, seu coronale capitis: à quibusdam clypeus, vel scutum cerebri: ut refert D. Alb. M. lib. 1. de animal. tr. 2. c. 1. Calvariae sunt tres partes: scilicet sinciput, occiput, & vertex: aliqui alias addunt. Sinciput, quasi summum caput, priorem occupat capitis partem quæ est post suturam primam & supra frontem. Occiput autem est posterior pars capitis, quæ est post suturam ultimam, & supra collum, in qua insigitur, & subnectitur ultimum ipsius colli spondile. Vertex inter utrumque medius locatur. Insuper illius quædam sunt partes continentes, aliæ contentæ. Continentes aliæ communes ut pili, cutis, panniculus carnosus: de quibus jam supra habitus est sermo: aliæ propriæ ut pericranium, ossa cranii, duæ meninges, dura scilicet & tenuis. Partes contentæ sunt cerebrum, cerebellum, & nervi à cerebro exorti, ducentes.

45 Pericranium membrana est densa, & solida os crani extrinsecus tegens. A crassa meninge nascitur, quæ per villas complures cranii suturis adhærescens, inde foras prorumpit, & ita extenditur ut exteriorem hanc membranam conficiat: quæ universum cranium inuolvit, nisi qua parte temporalis musculus ortum ducit. Cranium aitem est os nobilissimum quod est veluti galea cerebrum tegens, vulgo calvaria, seu calva. Cratum est ad tutelam cerebri: rarum, & multis foraminib; pervium ad vaporum perspirationem: & ut succurrere pro alimento contineat. Tres sunt in eo natu- rales suturæ; anterior, quæ dicitur coronalis: è temporibus utrinque in sumnum verticem per transver-

180 Quæst. V. De partibus corporis humani.
sum viam capessens. Secunda dicitur sagittalis, & vir-
gata : hæc in capitis longitudinem portigatur : Tertia
posterior, dicta lamboides, sutura laudæ, seu prora,
quæ ab imo capitis, & posterioribus utrinque partibus
contendens in angulum coit. Aliæ sunt duæ futurae
spuriae, dicta squamosæ, seu temporales, quæ
temporum ossa circumscribunt. Suturæ sunt in capi-
te tum ad liberam fuliginum transpirationem : tum
ne fractura unius ossis alteri communicetur ; tum ad
exitum vasorum, quæ periosteon & cranium irrigant,
& ut dura meninx fibras extorsum ~~in~~ ad pericra-
nii exortum.

46 Octo constat ossibus cranium, quæ sunt os fron-
tis, ossa syncipitis duo, ossa temporum duo, os occi-
pitum unum, sphenoides, & ethmoides. Os frontis, quod
dicitur etiam barbari coronale, puppis & inverecundum, calvariae anteriorem, & faciei superiorem partem
constituit : figuram habet semicircularem, substantiam
satis crassam ; à parte superiori futura coronali cir-
cumscribitur. Duo ossa syncipitis, vulgo parietalia, ~~vel~~,
vel ossa bregmatiæ sunt rara ac debilia ob multam trans-
pirationem, quæ ibi fieri debet : à parte superiori su-
tura sagittali terminantur : ab inferiori suturis squam-
mosis : à posteriori lambdoide, ab anterieri à corona-
li. Subter hæc sunt ad suam quodque auriculam duo
temporum ossa. Os occipitis, seu prora, & memoriarum
situm est in parte postrema calvariae, totamque ferè
partem infernam, & posticam constituit: ejus figura
rhomboidem refert. In hoc osse unum foramen am-
plissimum deprehenditur, quo medullæ cerebro in-
spinæ fistulam delabitar: sunt & alia quatuor : quorum
duo septimo nervorum pari exitum præbent : alia duo
venis, & arteriis cervicalibus ascendebitibus viam ad
cerebrum patefaciunt.

47 Alia duo sunt ossa inter calvajo, & genam su-
premam posita, quorum unum dicitur sphenoides situm
in basi, & lateribus calvariae: connexum occ. sagitt. trans-
versa sutura, attingens ossa temporum, & angulum
bregmatiæ. Quatuor in illo foramina visuntur : pri-
num nervo optico exitum præbet : secundum nervis

oculum moventibus, arteriis, venulisque exiguis: tertium per exiguum, & rotundum portionem quinti paris nervorum in crotaphitem musculum transmittit: quartum tertio, & quarto nervorum paribus viam aperit. Alterum os dicitur ethmoides, situm in media frontis basi, ad medianam radicem nasi fertur, narium totam ferè cavitatem opprens. Pars interior multis foraminibus instar cribri pervia est: tum ad aeris inspirationem: tum ut odorum species cum aere ad cerebrum pertingere possint: tum etiam ad cerebri expurationem. Altera pars rara est, laxa, fungosa, seu spongiosa opprens utrinque narium cavitatem. Tertia autem pars tenuis. Vide And. Laurent. lib. 2. c. 9. &c seq.

48 Dura meninx, seu dura mater membrana est, quæ sudra, subterque cerebrum velat, crassa, & cuticularis; magnitudine ossibus calvariae proportione respondens: cuius basi firmiter adhaeret, nisi in ea parte qua sita est glandula pituitaria. Alligatur cranio villorum interjectu, qui per futuras egredientes, & expansi pericranium creant. Est multis foraminibus pervia, quibus cerebri nervos, arterias, venas, ac dorsalem medullam transmittit. In capite vertice reduplicatur, cerebri dextram partem à sinistra sejungens: sunt in ea quatuor sinus, qui tanquam rivi & vasorum vicarii sanguinem quoquoeversum in cerebri substantiam effundunt ad ejus nutritiōnem, & animalium spirituum generationem. Inter hos jugulares internæ ingrediuntur. Dein alia est membrana proprium & immediatum cerebri velamen exteriores ejus superficiem tegens, & in penitiores illius recessus pervadens. Dicitur, Pia mater, ob ejus tenuitatem, & molitatem: ne cerebro gravis, aut molesta foret, vasa per uniuersum cerebri corpus deducens.

49 Cerebrum, quod est sensuum sedes motuumque artifex, sapientie domicilium, memoriarum, iudiciorum, cogitationumque, civissimum membrorum à Medicis existimat, tunc id dicitur quod in craniī cavitate continetur, & a meningibus circundatur. Ejus figura orbicularis, substantia molle, alba, & medullaris. Mollis quidam ad faciliorem idolorum impressionem; alba vero, quia ex purissima seminis portione fabricata;

182 Quaest V. De partibus corporis humani
ut spiritus animales limpidissimi sunt. Temperamen-
tum ejus frigidum, & humidum : ne ascendatur, aut
spiritus animales citè evanescant. Duæ sunt portiones
illius partes: anterior quæ proprie dicitur cerebrum :
& posterior quæ dicitur cerebellum; distinguuntur ab
invicem duræ meningis duplicatura ex parte superio-
ri, in inferiori continua sunt. Cerebrum rursus in dex-
tram, & sinistram partem discretum est per illam du-
ræ meningis portionem, quæ, ubi duplicatur, figuram
falcis mesloriæ refert.

50 In medio cerebro siti sunt duo sinus, superiores
dicti, figura, situ, & magnitudine omnium amplissi-
mi: spiritum crassorem continent: unde spiritum ani-
malem dicuntur præparare, & inchoare: ad inspira-
tionemque, & exspirationem cerebri deserunt. Ibi
sunt venularum, & arterioiarum plexus choroides, seu
rete mirabile, excurrentes per tenuis membranae sursum
ascendentis portiunculam: in quibus sit illa spirituum
præparatio. Ab ima parte horum sinuum sunt duo tu-
bercula papillis mamillarum similia, ossibus narium
propinqua, sunt perforata instar cribri, ut diximus:
per quæ aer, & odorum species ad cerebrum vehun-
tur. Hi sinus ab invicem discreti sunt tenuissima cere-
bri portiuncula, quæ vocatur septum, seu speculum
lucidum, vel lapis specularis.

51 Tertius est sinus medius, qui est duorum concur-
sus & communis cavitas, fere cerebri centrum occu-
pans: tantum enim ab occipite distat, quantum ab osse
frontis. Geminus ductus habet hic sinus: alter ad basim
cerebri descendens, & antrosum tendens; in cu-
jus extremo est pars tenuis membrana referentis glu-
ram infundibuli; primum enim latior est, deinde at-
gustior: per quod cerebri pituita transcolatur. Cui
substernitur glans pituitaria pituitam excpiens, & per
cunei foramina in palatum instillans. Alter ductus in
quartum sinus dirigitur, qui sinus cerebelli, & spina-
li medullæ communis est, calami scriptorij figuram
referens omnium minimus, & solidissimus est. In illo
ductu, seu via ad quartum sinus est glandula
dam, nuci pineæ non dissimilis, dicta conarium, ve-
nas,

Si tufa fuitentans, & duo corpuscula
quædā arterias, & duriuscula, quæ nares vocantur,
sub quibus rotundæ apparent, ut liberum aditum spiritui
animali & tertio in quartum ventriculum, seu sinum
præbeant.

52 Cerbellum, seu posterius cerebrum destinatum
est à natura ut transmissum animalena spiritum ab illis
cerebri sinibus conservet, & spinali medullæ adapter.
Color ejus subcineretius; figura latioris globi exprimit
imaginem, substantia illius crassior, atque durior. Ce-
rebro minus est decuplo. Situm est in occipitio, non
tamen tota illud occupat. Duas partes habet late-
rales, instar globorum appositæ: & duas medias: qui
sunt quidam processus vernum figuram exprimentes.
Anterior meatum illum, seu ductum à tertio ad quar-
tum sinum apertum retinet: alter quartum sinum aper-
tum conservat. Ex cerebri, & cerbelli substantia tan-
quam è radice profunditur spinalis medulla, quæ ce-
rebri appendix, & vicaria dicitur, per quam, cœu
communem officinam, & aquæductum diffunduntur
spiritus in nervos, & ab his in universum corpus: qui
spiritus in ipsius cerebri sinibus producuntur. Ex me-
dulla quæ est intra calvam oriuntur septem nervorum
paria, & processus mamillares.

53 Primum par est nervorum opticorum, seu visi-
vorum; qui sunt omnium mollissimi, atque amplissi-
mi. Vnus à dextera cerebri parte, alter à sinistra exo-
ritur, in ea parte, ubi sunt dux veluti papulae mamil-
larum, è quarum ventriculi fundo progrediuntur. In
medio ferè progressu juxta sellam phenoïdis coëunt
per medullæ confusionem, itaut concava ipsorum in
puncto sectionis coëant: & unum concavum efficiantur.
Mox separantur, & per calvariae foramen in
oculorum centrum feruntur, dexter quidem ad dexte-
rum, & sinister ad sinistrum. Sunt concavi; cavita-
te tamen ferè insensili, ut spiritus visivi, formæque
visoriae in ipsis decurrant. Triplici autem de ratione
coëunt. Prima ut spiritus visiles ab uno in alterum ocu-
lum permeant, iuvamenque sibi in vicem conferre possint:
unde clauso altero oculorum acutius videmus. Secunda

134 Q. B. R. V. DE PARTITIONE CORPORA HUMANI
ut visibilium formæ , & ipsæ unius humani : ut vi-
sus delusus unus objectum ut duplex videntur : & iudicetur . Tertiū
ad robur , ut nimirum unus alterum consolit . Óngum
iter percrrantes ob molitatem flaccescant . Crystallinum
pervenerunt dilataatur spiritus visiles oculis diffusuri .

¶ Secundum par nervorum est oculos moventium :
qui in suo ortu continui sunt , unicum veluti funem
constituentes , ut moto uno oculo alter moveatur . Sunt
eorum plures ramusculi . Primus emergit in musculum
palpebras aperientem : secundus in deprimentem :
tertius in adductorem : quartus in circumvenientem oculos
dispergitur . Tertium par nervorum , secundum
D. Alb. M. oritur à termino communi primæ partis , &
posterioris cerebri : in quatuor surculos disseminatur :
quorum unus ad linguam pertingit , disseminatusque
in ejus tunica gustus organum efficitur : unde & hæc
nervorum societas à Galeno gustatoria vocatur : alij in
quosdam oculorum & frontis musculos disseminantur :
alij in musculos faciei , crotaphitas , & masseteres ;
alii ad narium tunicam , & radices dentium disper-
guntur . Quartum par post tertium originem suam
sortitur , ad basim cerebri magis declinans , & cum
tertio , antequam in tot rāmulos dispergatur , concur-
scetur : deinde separatus ab eo in palatum decurrit , &
linguæ tunicam , gustuque inservit .

¶ Quintum par per meatum auditorium in auris
tympanum fertur : ibi rāmulos plures conspergit , è
quibus unus ad laryngis , & ossis hyoidis musculos
excurrit . Hinc emanat ut ii , qui exsoluto , & refrigerato ,
atque obstructo hujusmodi nervo gryntæ societa-
tis obsurdescunt , pariter & obtutescantur . Sextum pāt
à postremo cerebri oritur : egrediturque per foramen
futuræ extra calvariam . In tres surculos maximè con-
spicuos finditur : quorum unus ad gulæ musculos suo
pertendit itinere , & ad linguæ radicem , ut par se-
ptimum in suo motu coadiuvet . Alius surculus ad mu-
sculos spatulæ descendit . Tertius ad ventriculum fer-
tur . Septimum par fere ab occipitio & spinarib[us] me-
dulla exoritur : in linguæ ac laryngis musculos effer-
tur :

ur: unde & lingua movere dicitur.

56 Medulla autem extra cerebrum prodeuntis triginta et trium paria ab Anatomicis observantur, quorum septem sunt cervicis, duodecim dorsi, quinque lumborum, sex ossis sacri. De quibus videri possunt D. Alb. M. lib. 1. de animal. tr. 2. c. 19. & Andreas Laurentius lib. 4. c. 19. & 20.

57 Pars hominis orbata capillis facies dicitur: in ea oculi, nares, aures, & lingua locantur: animi imago dici solet, animi enim motus praesertim in facie lucent: unde & Deus O. M. dum hominem condidit, in faciem inspirare dicitur, ut notat D. Th. in Genesim. Oculi sua præstantia, & structura omnem admiracionem superant, ceu duo microcosmi lumina. Eorum usus speculari quæ fugienda ut nociva, aut prosequenda ut proficia: nec non & sublimia contemplari, per quæ in Dei cognitionem adducatur homo. Eorum figura rotunda, aliquantulum oblonga: magnitudo tanta, quanta ad objectorum imagines percipiendas sufficit. Totum oculi corpus interius constituitur sex musculis, sex tunicis, tribus humoribus, duobus nervis, plurimis venis, & arteriolis, adipeque copioso. Exterius autem palpebris, ciliis, & canthis, seu angulis oculorum, atque supercilios.

58 Musculi undequaque oculum mira volubilate versant. Quatuor sunt recti, quorum unus sursum, alius deorsum movet, tertius ad dextram, quartus ad sinistram. Alii duo obliqui, qui versant, & circumferunt oculum oblique, alter superius, alter inferius. Cum oculus sit aquæ, & pellucidæ naturæ, tunicis indiget continentibus ne flueret. Prima dicitur adnata, cuius ope adhaereat oculi vicinisque partibus alligantur: extrinsecus canida, & callosa: venulis, & arteriolis plurimis constat, similitudinem fundæ præferens: nam pupillam in se continet, veluti funda lapidem. Vulgo album oculi sicutur. Secunda dicitur cornea duritie, & pelluciditate cornutu tenue, & accurate politum referens, pluribusque laminis, ceu corticibus constans. Ejus substantia dura, & extensa. Oritur à crassa cerebri membrana optici medullam ambientे totumque oculum cir-

cundat. Tertia est utea, uva acinus & folii.
quo pedunculus avulsus est, n. 4, core, tenui-
levitate externa referens. Oritur à tenui aenbra
vum opticum investiente: vulgo dicitur pupilla seu ni-
grum oculi, aut ipsius fenestra. Quarta est pars
pars anterior, quæ aqueum & crystallinum respicit hu-
morem, fusca & nigricans est; exterior nunc cærnlea;
nunc cœsia, nunc nisa pro diversa cerebri, & oculo-
rum temperie. Quarta est aranea, valde tenuis & pellu-
cida, crystallinum humorem immediate investiens.
Quinta reticularis, figuram rete gerens, mollis, alba,
cerebri substantiam aqua dilutam referens, per univer-
sum oculum spiritus visiles diffundit, visibilisque imagi-
nes ad suum judicem defert. Sexta dicitur vitrea, vitreum
humorem omni ex parte ambiens, & ab aequo secernens
ne confundatur.

59 Primus oculorum humor est aqueus, seu albugi-
neus tenuitate, & puritate aquam, vel album ovi refe-
rens: in anteriori parte situs est, ut propugnaculum hu-
moris crystallini: externali luminis splendorem quadam-
modo infringit, & cum interno lumine proportionat,
humorem crystallinum irrigat, ne à perpetuo motu sic-
cetur, ad ipsum, instar ocularium, imagines objecto-
rum deferens, prohibetque ne spiritus visibles effluant.
Secundus vocatur crystallinus, seu glacialis, glaciei, vel
crystalli modo pellucidus, & tenuis: ut lumini externo
sit consocialis; coloris externi expers, ut colorum om-
nium species citissimè excipiat: ejus substantia densa, &
crystalli modo concreta, ut figi ac fisti in oculo objec-
torum imagines possint. Inter cæteros humores præ-
stantior est: unde anima, seu centrum oculi, vel spe-
cillum interius dici solet. Hoc posse portare videndi fa-
cultas: cæteræ partes aut conseruant, aut præstantio-
rem efficiunt. Situs est in medio oculi, ut utrumque lu-
men internum, & externum facile admittat. Tertiis humor
dicitur vitreus, vitro similis in colore, & pelluciditate.
Situs est in posteriore parte, in medio sui concavus, ut
crystallinum admittat: cui alimentum præparat, ipsum-
que conservat ne membranarum duritie afficiatur: visi-
blesque spiritus ad ejus illustrationem continent. Ex duobus
ner-

ad certos videntur deserviens, alter oculos movens, supra. Copiosus etiam adeps oculos oblinet, & perpetuis motibus astinent, ac siccantur, & a frigore tunduntur: unde ut nunquam rigeant oculi frigore. Tandem juxta oculum sunt exiguae carunculae, ac glandulae carunculae, ne lachrymarum, aut sordium acrimonia laedi possit; glandulae vero ut humorem a cerebro effluentem excipient: oculos irrigent, & ad motum aptiores reddant.

60 Palpebris oculi, seu tegumentis muniuntur, ex cutanea, cartilaginea, & musculosa substantia compositis: cuius est admodum laxa, ut contrahi, & corrugari liberè possit. Cartilago deservit, tum ad motum faciliorem: tum ad turamen ab occursantibus iniuriis. Musculi ut oculi aperiantur, & claudantur. Duæ sunt, una superior, altera inferior. Palpebrarum extremis adnascentur pili dicti cilia. Partes in quas ambæ palpebrae concurrunt, dicuntur canthi, seu anguli: bini sunt, alter juxta nares, qui dicitur angulus magnus, internus, ac domesticus: alter juxta tempora, vocaturque minor, externus, & sylvestris. Sunt & ad oculorum tutelam supercilia constructa: sic dicta quia super cilium sunt.

61 Aures auditus organum sunt, sic dictæ quod voces hauriant: ideoque in altum elatæ, nam & sonus in sublime fertur. Aliæ externæ, aliæ internæ. Externæ aures propriæ auriculæ appellantur: haæ sunt cartilagineæ, ut occursantium eludant impetum. Cavum satis amplum efformant ad aeris sonum excipiendum. Semicircularem penè figuram habent. Superior illarum pars *ala*, seu, *pinna* vocatur: extremus eius ambitus ab anteriori in interiore retrorsus gibbosus, & cubiformis: dimidiis orbis in mucronem exurgit. Concavum interius conchula dicitur: alveare um, uoi sordes colliguntur, ut si bestialæ ingredi tentent, ibi inhærescant. Inferior pars pinquior, & carnosa ab ala pendens vocatur *lobus*. Auris interna, verum auditus organum, in osse petroso sita est inter processus mammarum instar, protuberantes, Quatuor illam meatus constituunt. Primus statim foris obvius, & patens dicitur meatus auditorius. Tortuosus est ne aer repente irruens membranam laedat; obliquus,

ut

188 Quæst. V. De partibus corporis humani
ut percussus aër colligatur, & ut vehetur, & mea frangatur, rotundus ut plus aëris contineat impetuus, ut extraneorum corporum, & bestiarum ingressus prohibeat. Meatus hic obliquè sursunt tertius; ut si quid extraneum ingressum fuerit, facilis elabatur. In hujus cavitatis extremo septum adest membranous primam cavitatem à secunda discriminans. Membrana hæc tympanum vocatur: tympani enim modo extensa est, tenuis ad sonum, & externum aërem facile admittendum, sicca ut melius personet, densa tamen ut inutiis obsistat.

61 Secundus meatus à Philosopho dicitur cochlea, ab aliis pelvis, princeps auditus organum, in quo aër continetur vernaculus ambienti consocialis. In hoc meatu tria ossicula reperiuntur pulsationi servientia, nec non chorda, & musculi. Ossicula solidissima sunt, ut resonent intra membranam constituta. Primum vocatur *Malleolus*, secundum *Incus*, tertium *Stapes*; triangularis est figuræ. Tria hæc tympano auris implicantur cujusdam chordæ tenuis ope. Ibi sunt præterea musculi exiles. Hæc ossa deserviunt, ut species soni accipiatur, & interiora pervadat, excrementisque aurium patet via. Stapes enim inferiorem fenestram claudens, ab Incide movetur: Incus à Malleolo: Malleolus à Membrana percussa aëris externi appulsi. Impulsus ab aëre externo, & alteratus aër vernaculus ad nervum auditorium imagines soni trajicere dicitur: ad quam delationem deserviunt duæ fenestellæ: quarum superior dicitur *Ovalis*, inferior inter utrumque tuberculum sita est. Adest etiam ad aëris vernaculi expurgationem canalis exiguus cartilagineus, habens pecciculam valvulæ instar, qui ad palatum fertur.

62 Tertius meatus dicitur *Labyrinthus*, multis anfractibus implicatus, ut sonus per angusta loca transiens acutior fiat. Quartus dicitur *cochlea*, testa cochleæ similis. Adest & nervus auditorius quintæ societatis, sonorum imagines ad sensum communem deferens, ut ad judicem. Sub auribus, & pone aures sunt glandulæ quædam, quæ dicuntur parotides, cerebri emunctoria.

63 Nasum præterea in facie natura constituit: tum ad venustatem, tum ad deferendas omnia odorum spe-

Speciester opticum , necnon ad deducendum illuc aërem aere quibus animalis generationem : tum denique ut per annos nares , cibis constat nasus , mucosa cerebri eluvies expurgeatur . Constat nasus tribus ossibus , quæ ad medium usque nasi porrigitur , unum adest utrinque , & aliud medium ab ethmoïde exortum . Reliqua nasi pars exterioris protuberans est cartilaginea , constans quinque cartilaginibus : quarum duæ sunt superiores ossibus adnatæ : tres insimæ : & istarum duæ laterales vocantur *alæ* , vel *pinnæ* ; quia inter respirandum mobiles sunt : media dicitur *interseptum* , seu discrimen narium . Cujus pars carnosa exterioris promicans dicitur *columna* . Duo foramina *cavernæ* appellantur . Musculi sunt ibi quatuor exigui , quorum duo à fronte exorti pinnas dilatant : alii duo labiorum musculis continui constringunt . Hac de causa labium superius constringitur , quoties aliquid per nares trahimus . Venas à jugularibus , arterias à carotidibus , nervos à tertio parihabet nasus . Duabus membranis , interiore , & exteriori cingitur . Interius nasus constat osse ethmoïde , & processibus mammarium .

64 Genæ faciei duæ : superna , & inferna . Superior dicitur illa pars , quæ sub oculis inter aurem , & nasum eminet ; dicitur malum , quia mali instar rubet , estque pudoris sedes . Pars inferna sub naribus ad labium superius descendit , aëreque inflatur . Insuper occurunt duo labia , seu labra , quæ ipsum os claudunt , & aperiunt , sermonemque fundunt . Mentum est inferioris labii pars in acutum desinens , quæ barba exornatur .

65 Sub naribus immediate situm est os , quo attrahuntur cibis , masticatur , & præparatur ut in ventriculum ingeratur . Per ipsum etiam deducitur aër in pulmonem , tum ad vocem edendam , tum ad nutritionem , temperationem , & expurationem vitalis spiritus . Ore aperto multæ visuntur illius partes . Primum occurunt gingivæ , in quarum alveolis dentes radicantur , ac firmantur . Dein dentes , qui sunt sexdecim : quatuor dicuntur *incisores* : duo *canini* : reliqui decem *molars* . Tertiò palatum , quod est pars oris superior , & illius cœlum . Quarto uvula , quæ est caruncula fungosa à

palato propendens juxta duo foramina sanguinaria in os : deserviens ad frangendum angus non a frigidoris inspirati , ne subdolus in malmonere documentum afferat . Quinto iáuces continentest totam illam capacitatem , qua hiantे ore percipitur . Ibi adfunt duæ glandulæ os & linguam salivam irrigantes . Tandem occurrit lingua gustatus , & sermonis organum , animæ interpres . Ejus figura ex base latiore in mucronem acutum desinit , ut ad motum sit promptior . Constat ex carne molli , rara , laxaque spongiosa instans fibris intertexta : quam tegit membrana tenuissima , in quam nervi plures expanduntur . Duæ sub ipsa vena apparent ortæ à jugulari externa : dicuntur raninae : quae duæ arteriæ à carotidibus prodeuntes concomitantur . In medio inferioris linguae est ligamentum , quo facilius vibratur , ac producatur : in cuius extremo funiculus nascitur dictus frænum linguae . Denique in ea sunt musculi decem , quibus in omnem partem movetur .

66 Sunt præterea duæ maxillæ : una superior : quæ in homine , cæterisque animalibus , demptis cœcodriollo & psittaco , immobilis est . Undecim constat ossibus harmoniacè articulatis . Sunt in istis plurima foramina arteriis , nervis , & venis transmittendis dicata . Lineis ab invicem discernuntur ; è quibus prodeunt ligamenta musculos discernentia . Maxilla inferior ad secandos , mandendos , moliendosque cibos deservit , & ideo moveatur musculorum interventu : duobus constat ossibus , quæ ad medium mentum interjecta cartilagine uniuntur : quæ crescente ætate in os vertitur . Anteriore parte inæqualis est , & monticulis aspera ; ad musculorum exortum , & insertionem . In posteriori parte , quæ in acutum desinit , musculi temporalis tendo inseritur ; unde hujus luxatio plerunque fit lethalis . Maxilla superior constat ossibus quinque utraque parte , & unico impari . Figura ejus vicaria . Intus latentes cavernæ , ac sinus : sunt & dentium alveoli ; foraminaque arteriis , venis , & nervis transmittendis dicata : quibus alimentum in ipsas trahitur amplius quam in alia ossa .

CAPUT SECUNDUM.

De Collo.

67 **C**ollum à colendo dictum : torquibus enim & monilibus ornatur . Ejus partes aliæ internæ , aliæ externæ . Externa illius pars anterior dicitur guttura , gula , jugulum . Hujus suprema pars vulgo mortuus & nomum Adami nuncupatur : inferna , qua juxta claviculas cum pectori jungitur , dicitur propriè jugulum : quia hic locus cædi est obnoxius . Posterior colli pars dicitur cervix ; cuius superior pars occipiti proxima appellatur tendo , quia in capitis motu tenditur . Laterales ejus partes de sub auribus prodeentes dicuntur parotides . Ex his autem aliæ nascuntur ad asperæ arteriæ latera tendentes , quæ dicuntur cornua .

69 Inter partes internas colli computantur aspera arteria : quæ fistulæ , & tubi instar aërem in pulmonem deducit , & fumosos vapores ab eodem excipit : estque organum vocale . Cartilaginea est , medium inter durum , & molle naturam obtinens , ut aërem concinnè possit repercutere . Molliora enim non bene reperiunt , duriora illum everunt . Cartilaginibus plurimis constat circularibus , integrum tamen circulum non perficiuntur ex ea parte qua tangunt œsophagum , ut ipsi cedere possint , dum intrita transglutiuntur . Inter has interje&tæ sunt plures membranæ , quibus ad inspirationem , exspirationemque modo contrahitur , modo dilatatur . Dibus tunicis hæc arteria cœgitur , una interiore , altera exteriore . Siccitate moderata pollet ; ut vox sit magis sonora . Vasa sunt cœlia totam illam rigantia . Circa jugulum numerosa amorum propagine in pulmonem dispergitur , media inter venam arteriosam , & arteriam venosam .

70 Hujus arteriæ caput , seu operculum dicitur larynx . Corpus est cartilagineum variis musculis , nervis , venis , arteriisque artificiose constructum . Quia organum est spirandi , & vocis instrumentum : illud autem quod so-

192 Quæst. V. De partibus corporis humani.
nat politum, & solidum esse debet. Tibus confatur ca-
tilaginibus inter se connexis, ut facile appeari, & claudi-
dilatari, & constringi possit. Prima ampla - mua-
drati formam referens dicitur scutauis; secunda annuli-
ris, quia annuli Turcarum figuram exprimit. Tertia
aryrænoides, similis ori vasis oloaci. Hæc vocem acu-
tam, aut gravem præcipue reddit; ope tamen epiglot-
tidis eam magis, vel minus claudentis. Scutalis, & ary-
rænoides ad vocis modulationem moventur, annularis
autem manet immobilis. Ad hunc motum dicati sunt 14.
musculi: quatuor communes, quorum duo dicuntur
bronchii, orti à superiore, & interiore sterni parte, in-
serti in scutalis extrema, & inferiori parte: ali duo
orientur à lateribus ossis hyoïdis, inserunturque in in-
ferna thyroidis parte; & dum supernas laryngis partes
constringunt, infernas amplificant. Alii 10. musculi
sunt proprii laryngis, quinque ex utraque parte. Hos
describit And. Laurent. lib. 9. c. 15.

71 Supremam laryngis partem occludit epiglottides,
latine dicta, laryngis operculum, seu opertorium can-
nae pulmonis, linguæ formam refert. Est corpus carti-
agineum, à multis creditur præcipuum vocis, & modula-
tionis instrumentum. Laryngem operit, ne inter epu-
las ad pulmonem & arteriam cibi ferantur: & ut aërem à
pulmonibus vi, & impetu pulsum ad vocis modulatio-
nem percudit. Nobis spirantibus, & expirantibus sem-
per hiat, & soio alimenti pondere deprimiter. Prope
cam sinus membranosi apparent aëris conceptacula.

C A P U T T E R T I U M.

De thorace, & illius præcipuis partibus.

72 C Libanus ex D. Alb. M. lib. 1. tr. 2. c. 1. totius
corporis truncum denotat. In hoc duo sunt
genera partium, & organorum: quædam vitalia dicun-
tur, & respirationi dicantur: alia naturalia in infima-
regione contenta, quæ coctioni, expurgationi, & ge-
nerationi deserviunt, quorum præcipua breviter descri-
bemus: & primo in hoc cap. differentes de illis, que vi-
talia

adcurritur, & continentur in ventre superiori, seu
braco, prout complectitur totam eam trunci corporis
partem ab collo ad xiphodium cartilaginem, &
diaphragma. Ejus partes aliae communes
scil. cutis, cuticula, adeps, panniculus, carnosus, &
membrana communis musculorum omnium. Aliæ pro-
priae, ut pectus, sternus, mammae, cor, musculi, pul-
mo, vena cava &c.

73 Cuticula est superior pellicula, seu cutis efflores-
centia è cutis excremento crassiore pronata, tegens ipsam
cutem ne laedatur, & dolorem persentiat: Est enim
accidens tenuis, ipsique decorem conferens. Cutis vero
cuticulæ subjecta est quædam membrana omnium am-
plissima, & crassissima utpote universam corporis mo-
lem ambiens, ac protegens. Ex seminis, & sanguinis
mixtione generatur: in principio tamen generationis
plus inest ei seminis. Temperiem moderatam in homi-
ne fortitur, quia tactus judex, & æstimator esse perhi-
betur, qui est omnium sensuum primus, & universalissi-
mus. Pro motuum varietate lineamenta, & rugas habet
varias. Variegatus illius color ratione affluentium hu-
morum. Ad sudoris, & fuligineum exclusionem poros
habet complurimos: foraminaque ad emittendum, vel
immittendum aliquid comparata. Adeps, seu pinguedo
tanguinis est portio pinguior, & magis aërea, quæ dum
per tenues vasorum tunicas roris instar exsudat, & ad
membranas illabitur, crassescit, & cogitur ob debilitatem
caloris, & densitatem. Instar tegumenti est ad par-
tium subjectarum tutelam. Calori igneo pabulum præ-
bet, & per medias in alimentum vertitur. Sunt & ipsius
alii plures usus, de quibus Andr. Laurent. lib. 6. c. 5.
Cuti, & pinguedini, scil. adipi subjicitur membrana
quædam crassissima uniusversum corpus à capite ad pedes
tegens, dieitur panni ulus carnosus, elegantius mem-
brana carnosa, ita in nomine fibris suis cuti adhærens, ut
vix separari possit. In recens natis rubra, in adultis alba,
nerveaque appetet.

74 Pectus totam illam anteriorem thoracis partem
designat. Nonnunquam pro media pectoris parte, scil.
sterno, vel illius extrema parte, quæ cartilago est xiphoi-

des, usurpatur: aliquando autem pro orificio superiore ventriculi, quod sub ea cartilagine continetur. Ius latera dicuntur costæ. Posterior pars thoracis adhuc nuncupatur, seu tergum: cuius latera scapulae, ieu alæ vocantur. Thorax eum finibus circumscribitur claviculis à superiori parte: cartilagine autem illa. Dorsum vertebris duodecim constat, quibus duodecim costæ articulantur. Prima ceteris eminens dicitur Græcis *Lophia*, secunda axillaris, reliqua costales. Costarum septem sunt germanæ, quæna sterno articulantr: due superiores sunt retortæ, subsequentes solidæ, quatuor aliæ pectorales. Reliquæ sunt spuriæ cum sterno perfectam non habentes articulationem. Scapula dicitur onopiata, quasi totam humeri latitudinem constituens. Est igitur scapula pars iata totius ossis, quæ posticas costarum partes tegit. Unde scapulæ sunt à natura dicatae ad costarum robur, brachij, & clavium articulationem, nec non implantationem muscularum, qui moyendis brachiis deserviunt.

75 In pectore primum occurunt mammæ, mamilæ, seu ubera. In viris non sunt perfectæ, sicut in mulieribus, ut notat D. Alb. M. lib. 14. de animal. tr. 2. c. 3. Quia mulierum mammæ cibandis pueris, salvandæque speciei deserviunt; non autem in viris, quibus ad subjectarum partium tutelam, ornatumque insunt. Unde in eis solum constant cute, adipè, & papillis; præter quæ in mammis mulierum glandula adfuit corpora vasis intertexta ad lactis generationem. Venæ, & arteriæ ad illas quamplurimæ feruntur, per varios anfractus, ad exquisitam sanguinis elaborationem: quam cordis calor in illa regione æstuans promovet, moderatè coquendo. Quædam in lacte pars aquosa, & tenuis, ut facile per membra nutrienda vehatur: alia terrena ad nutrimentum illorum. Est & in ipso quædamunctuasa substantia, & oleacea, seu butyrosa. Est convenientissimum pueri recens nati alimentum: quia simillimum tui sanguini quo in utero nutritiebatur, tum humoris spematis, ex quo genitus est. In virginibus, vel mulieribus aëisque conceptione, & viri amplexu reperiri potest; ut dicit D. Alb. M. lib. 3. tr. 2. c. 9. Imo & in virorum mantnis quandoque reperitur lac. Refert enim Hieronymus Cardanus

vidisse hominem 34. annos natum, è cuius mammis lac copiosè profuebat, fere sufficiens ad alendum puerum. Vrùem lac hujusmodi non est laudabile, neque exquisitè coctum; sed tenue & dilutissimum: ut notat And. Laur. lib. 9. q. 2. In primis mensibus post conceptionem non generatur lac; ut docent idem Autores, quia sanguis absumitur in formatione fœtus, ejusque nutritione: scilicet autem postquam iam factus est grandior.

76 Dein diaphragma, quod est præcipuum respirationis aeræ, & placidæ instrumentum inspirationi, exspirationique inserviens. Præter quod sunt 64. musculi ad validam totius thoracis distentionem, contractionemque, seu respirationem violentam: musculus quidam est figuræ rotundæ, unde *cingulus* dicitur, ventrem inferiorem organaque naturalia à superiore, organisque vitalibus dirimens. Ab anteriore ipsius thoracis parte usque ad posteriorem porrigitur. Duabus circulis constat, uno membraneo, seu nervoso, sito in ejus medio, à quo multæ fibræ ad circumferentiam excurrunt: altero carneo nervosum ambiente. Duabus tunicis investitur, quarum altera dicitur *Pleura*, altera *Peritonæum*. Peritonæum est membrana tenuissima, latis aranearum telis simillima, sed firmissima. Involuci modo visceribus omnibus, & partibus imæ regionis circumtenditur. Oritur, secundum aliquos, ex ligamentis, quæ lumborum vertebrales conne-
ctant, secundum alios à plexu illo nervorum, qui mesenterio dat ortum. Superiore parte, qua diaphragmati annectitur, tria habet foramina, per quæ arteriæ descendi-
centi, *venæ cavae* ascendi-
centi, & œsophago præbet adi-
tum. Ex inferiori parte etiam perforata est: imo & in-
fatu circa umbilicum peytrata appetet. Pleura vero est
membrana tenuis, & firmissima, quæ costis omnibus sub-
tenditur, omnesque in thorace contentas succingit. Pul-
monibus inservit, prohibens ne, dum distenduntur, car-
tilaginum, costarumque duritie offendantur, aut istarum
spatiis sese insinuent. In media ferè thoracis parte dupli-
catur à spina ad sternum tendens, ut dextram thoracis
partem à sinistra dividat: & tunc vocatur *Mediastinus*.
Præterea diaphragma constat duabus venis, quæ à ca-
væ truncu ascendunt, & dicuntur *Phrenicae*. Hinc in-

flammatio diaphragmatis , que delirium pavit conti-
nuum cum febre acuta , & vigiliis conjunctum dicitur
Phrenitis . Has venas comitantur duæ arteriæ , nervi
variique duo à spinali medulla præducuntur . Sunt in ea
duo foramina ; unum stomacho viam præbet : alterum
venæ cavæ ad cor ascendentem .

77 Cor cæterarum omnium partium facile princeps
virtutis principium, fons nativi caloris , & vivifici necta-
ris est . Ejus figura Pyramidalis . Ex basi enim amplio-
re in mucronem sensim desinit . Basis ejus in medi-
thorace sita est : locus enī ille est temperatior ac tu-
tior ; e quo vitam , & calorem vivificum in omnes par-
tes Solis instar dispergit : reliquum ipsius corpus in
turbinatum mucronem sensim desinens ad sinistrum la-
tus declinat : tum ut locum hepatis in dextera parte lo-
cato , & venæ cavæ ascendentem concedat : tum , ut ca-
lorem sinistro impariatur , quod ex splenis vicinio fri-
gidius est dextero . Quantitas illius equidem propor-
tionata est , tum pectori , & pulmoni , ut tanta illius sit
mensura , quæ , & in pectore sine ossium noctumento
locari possit , & à pulmone perfrigerari : tum eriam ar-
teriis , quæ ex ipso oriuntur . Respectu autem totius cor-
poris censetur modica : virtute tamen magna : prima-
enim principia virtute magna , et si mole exigua esse
præstat . Quod animalia magni sint cordis , aut parvi ,
non ex hoc præcisè timida , vel audacia : sed quia in
eis cor non est ita calidum , ut sanguinem ad se recur-
rentem momentu calefacere valeat , ideo timida : è con-
tra vero audacia , si exquisitus cordis calor citò recur-
rentem sanguinem calefacere possit . Ex D. Alb. M. lib.
de animal. tr. 3. c. 4.

78 Organum hoc nobilissimum tunica similis figuræ
obvolvitur , quæ dicitur pericardium : à corde , secun-
dum D. Alb. M. ibid. exoritur , cuia in parte oriuntur
arteriæ : è quarum tunicis videtur contexta : unde à qui-
l usdam dicitur oriri à membranis . venæ cavæ , venæ
arteriosæ , arteriæ magnæ , & arteriæ venosæ . Tantum
autem in aliis omnibus partibus à eo de distat , quantum
sufficit motui illius commode perficendo . In eo spatio
intra eam humor residet sero , & urinæ persimili-
quem

quem in solis animalibus mortuis reperiri quidam volunt: tunc enim exsoluto ipsius cordis calore vapores in aqua sensantur, vel pingue in aquam exsolvitur. In viventibus etiam reperiri est communis opinio, ut eis semper madeat cor, ne forte ardore assiduo ob perennes motus torreatur. Hic humor generari dicitur, vel è vaporibus cordis membranarum frigore densatis, vel è sero exsudante ex arteriis, & venis, vel tandem è potus portiunctula illuc illabente à pulmonibus.

79 Constat præterea carne dura, densa, & solida, coagulata fervens innati caloris, & spirituum &c. In mucrone solidior est, quam in basi. Triplici villorum genere intertexta est. Rectos habet villos, quibus attrahit, obliquos quibus retinet attracta, & eis fruitur: transversos undiqueaque ipsum arctantes, quibus sanguinem per veram arteriosam in pulmones, vitales spiritus in aortam, & famosos vapores in arteriam venosam expellit. Cordis basim coronæ instar cingit vena dicta *Coronaria*: per quam etiam venæ coronariæ excurrunt. Nervorum præterea exilium magnam cohortem in corde advertere licet. Tota ferè ejus superficies adipe copioso oblinitur. In basi etiam filius ex dextero sinu, ut placet Medicis, exoriuntur vena cava, & vena arteriosa. E sinistro arteria magna seu aorta, & arteria venosa. In istarum orificiis, quæ in cor subeunt, sunt membranulæ, seu valvulæ, & ostiola undecim, arteriæ venosæ duæ consignantur, aliarum cuilibet tres: ex quibus aliæ foris apertæ sunt, intus clausæ ad introducendum materiam in cor: aliæ intus apertæ, foris clausæ, ad effundendam ex corde materiam. D. Alb. M. ibid.

80 Aristoteles in corde tres admittit sinus, seu ventriculos, dextrum, sinistrum, & medium thalamum: hunc Galenus foveat i appellat, ut testatur D. Alb. M. loc. cit. Sinus dexter sanguineus, & venosus, sanguinem in se continet, quem è vena cava haurit, haustum excoquit, attenuatque: hujus portionem ad pulmonem mittit, alteram ad sinistrum sinus exsudat, ubi subtiliatur ad arteriarum nutrimentum, atque spirituum generationem. In medio thalamo nutritionem comple-

Aristoteles affirmat. Ad utrumque ventriculi latum
duo additamenta, seu appendices membranose appen-
dent, auricularum similitudinem referentes unde
Cordis auriculae dicuntur. Hæ sunt veluti sanguinis, &
aeris de repente irruentium promptuaria, ne in subita
contractione cor per oppressionem suffocetur, & rebus
foris intro occursantibus frangatur.

81 Moveretur hoc viscus nobilissimum perenni motu.
De causa hujus motus planè mirabilis varie semper op-
nati sunt Philosophi, ac Medici. Causam istius br-
viter ex D. Thoma Opusc. 35. de motu cordis summa-
tom. 3. p. 2. q. 8. a. 1. ad 1. breviter aperiimus. Cordi du-
plicem motum tribuit Galenus: unum naturale, qui
propriè dicitur pulsus: alium innaturale, & deprava-
tum, quem vocat palpitationem. Motum naturalem
perfici opinantur DD. diastole, systole, & quiete ge-
mina. In diastole corrugantur extrema, & mucro ad
basim rapitur, & tunc brevius evadit cor, sed ejus la-
tera ita amplificantur, ut quasi sphæricum appareat.
In systole longius quidem, sed angustius evadit cor.
Eo perenni motu in spirituum generationem incubit.
In sinistro illius sinu seu officina primum locantur: hinc
per arterias, veluti tubos & aquæductus in universum
corpus excurrunt, ut innatum singularum partium ca-
lorem soveant, sopitum suscitent, atque exhaustum re-
farciant. Tenuissimi sanguinis, & aeris permisitione
generari dicuntur. Aerem in pulmone preparari ad
hanc permissionem communiter censem Medici. De
sanguinis preparatione jamdiu certant. Communius
existimat in dextero cordis sinu preparari, & in si-
nistrum specum ferri per levigata foramina. In diastole
asserunt sanguinem, & aerem trahi: in systole vero
excrementa pelli. Cum duo motus contrarii sibi invi-
cem succedere nequeant, in puncto enim reflexionis ne-
cessarium est dari quietem, cum ibi sit finis unius motus
& principium alterius, ideo quicquidem duplicem in hu-
jusmodi motu esse constituendam seruitur.

82 Cor simpliciter esse principium partem, quæ pri-
mò formatur, estque vitæ fons, venarum, nervorum,
& arteriarum scaturigo, caloris, spirituum emunum &

vivisī nectaris fœcunda parens , sanguinisque perfectiva , ac formativa , seu completiva virtus &c. sentiunt Peripatetici cum Arist. quibus consentiunt multi Arabes , & Græci . Oppositum tenet universa fere Medicorum schola asserens cerebrum motus voluntarii , & sensus sedem , ac principium esse . Cùm enim cor naturaliter moveatur , & non voluntarie , haud satis capere queunt , quomodo possit motus voluntarii principium esse , sensuumque radix . Quinimò hac de causa cordi principatum existimo tribuendum , cùu primò animæ organo : quia anima nullum voluntarium motum imperatum sine motu aliquo vitali naturali perficit : sicut neque Intelligentia , quæ est velut anima Cœli , perficit motum voluntarium sine motu locali naturali Cœli ut in hæc inferiora agat : ergo motus animalis , & sensus nullatenus perfici valet sine motu cordis : ergo cor est ut primum in genere moveantium motorum ab anima : & ut radix , seu fundamentum omnis motus sensitivi : facultates vero cerebri solum se habent ut formantes , & determinantes facultatem cordis ad eliciendum motum animalem , & sensitivum .

83 Itaque motus ille duo habet , & quod sit à natura , naturalis enim est , & non violentus ; & quod subdatur potestati animæ , nec necessario cliciatur , sed voluntarie quoad usum . Quod sit naturalis habet ab anima , ut quædam forma est intrinseca ; à qua primo procedit motus cordis , cùu quædam proprietas : quod autem sit voluntarius , respicit modum agendi formæ ; quæ cùm non sit ad unum determinata , hoc vel illud facere potest : modus vero agendi supponit esse formæ ut radicem quam determinat , & formalisat , seu perficit : ergo motus sensitivus presupponit motum cordis ut radicem ; & facultas animalis solum est ut præbens modum agendi , dependenter semper à motu cordis : licet eo perfectior sit , non præcise , sed ut fundatur in motu cordis , sicut in radice . Declaratur ; cor Soli comparatur : videmus autem quod in Cœlo Sole est ut centrum luminis , & caloris , quibus reliqua Astra , & ipse Sol influunt , & agunt in hæc inferiora : sed prout est in Stella vel Planeta omnino

effectum producit diversum, per diversam applicationem, ut alibi tom. 4. diximus: ita cor fons est totius caloris, & motus animalis, tamen secundum applicationem ad cerebrum est nova ratio agendi, hinc radix semper sit à motu cordis, & calore illius vivifico.

84 Pulmones gratia cordis constructi sunt, ut dividimus supra: bubuli, vel cervini pedis figuram deferentes. Venæ arteriosæ, arteriæ venosæ, & arteriæ asperæ igitur stū suspenduntur in thoracis amplitudine ut liberius moveri possint. Illorum quantitas maxima, ut totum illum aërem contineant, qui posit frequentibus, ac plurimis cordis pulsationibus sufficere. Carnosum viscus est, tunica prætenui obvolutum, ut per eam pus facile valeat permeare, & ne gravetur. Respirationi deservit, estque vocale organum. Vide D. Alb. M. loc. cit.

C A P U T Q U A R T U M.

De ventre inferiore & organis naturalibus.

85 **V**Entris inferioris tres regiones distingui solent: superior seu epigastrica, quæ à xiphoïde ad umbilicum fere extenditur: media, seu umbilicalis, quæ paulò infra umbilicum desinit: & infima seu hypogastrica quæ ab umbilicali ad ossa pubis excurrit. Partium in his regionibus contentarum aliquæ coctioni, aliæ generationi deserviunt. Partes procreationi dicatas omittimus: quæ possum instituto nostro deservire, infra tractantes de potentia generativa adducemus. Partium coctioni dicatarum aliæ inserviunt chylosi, scilicet ventriculus, intestina, epiploon. Aliæ deserviunt amatosi, scilicet venæ mesenterij, hepar, vena cava, vesicula fellea, lien, renes.

86 Ventriculus hic sumitur proibi ac potus receptaculo, promptuario, & primæ coctionis officina. Organum cavum est, figuram habens cum rotunditate oblongam instar cucurbitæ: duæ orificia fortitur quorum

quorum altero cibos excipit, altero emittit in intestina. Orificio superius ob eius amplitudinem dicitur os ventriculi: fibras habet circulares quamplurimas angustantes ipsum; ne prosto, aut supino decumbe- te animali cibus in œsophagum, & os resiliat. In si- nistra parte versus spinam situm est, circa undecimam phacis vertebram. Aliud orificio dicitur Ianitor: cohibet enim ne alimenta e ventriculo elabantur, nisi plane cocta, & levigata. Ea de causa non fertur re- cta deorsum, sed superiora spectat. Vtriusque orifi- ci apertio, & constrictio naturæ impulsionē fiunt. Venae rectali substantia membranæ est. Tribus tunicis constat, duabus propriis, una interiori, & altera ex- teriori: tertia communis est proprias obducens à peri- tonæo exorta. In ventriculi fundo perficitur chylosis virtute nativa illius, nec non calore, tum proprio, tum partium vicinarum. Venarum, & arteriarum surculis pene innumeris, nec non amplissimis nervis cum cæte- ris contextus est.

87 Epiploon, seu omentum est membrana sevosa, & adiposa, r̄te instar, venulis, arteriolis, & nervulis quamplurimis implicita, marsupij vel sacculi simili- tudinem referens. Imo ventriculo, & superioribus intestinis obtensa est tegumenti instar, ut calorem turndo, ac fovendo coctionem juvet: volitantesque per imum ventrem vapores lentoſ retineat, & in adi- pem cogat. Intestina ab imo ventriculo ad anum protenduntur. A natura instituta sunt tum ad expor- tandas expurgandasque faeces, tum chylo in jecur di- stribuendo. Eorum substantia membranæ, intertexta multis venis, arteriis, ac nervulis. Una tunica com- muni, duabus autem propriis investiuntur. Sex sunt, tria gracilia, scil. *Duodenum*, *Jejunum*, *Ileum*: & tria crassa, videlicet *Cæcum*, *Colon* & *Rectum*. Quo- rum descriptionem late prosequitur Andr. Laurent. lib. 6. cap. 12. & 14. Mesenterium est corpus mem- branosum intestina colligans, duabus tunicis, venis, & arteriis innumeris, adipeque copioso, & adenibus contextum. *Pancreas* est corpus quoddam glandulosum, simplicis carnis speciem quodammodo exprimens, quo^d

quod posteriori regioni ventriculi , & duodeno sub-
territur : venæ portæ ramos amplectitur sustinetque
ut securè in duodenum ventriculum , & lienem di-
stribuantur .

88 Hepar inter principes partes à Medicis compu-
tatur . Latine dicitur jecur , quasi juxta cor exercens
potestatem suam . Situm est in dextro hypocondrio
sub diaphragmate , & costis nothis , seu spuriis .
Sunt autem hypocondria partes regionis epigastricæ
qua^r cartilaginibus notharum costarum adjacent . Car-
ne constat habente similitudinem sanguinis concreti ,
& ardore tosti . In eo est principium ramifications
venarum : plurimique arteriarum surculi . Sanginem
cordis præparat , & dein à calore , & virtute cordis
ad perfectionem deductum aliis partibus distribuit .
Membrana obvolvitur tenuissima à peritonæo exorta .
Omnibus fere corporis partibus per venas , & arterias
connectitur . Naturalem spiritum in eo gigni autumant
quamplurimi .

89 Vesicula fellea amaræ bilis conceptaculum est .
In chylo enim quod dulce est in sanguinem conver-
titur alendo corpori destinatum . Tria ex eo separan-
tur excrementa ; scilicet melancholicus succus , humor
ferosus & falsus , & bilis amara . Renes seroso humoris
transcolando destinati sunt ; lien melancholico succo
expurgando : vesicula autem fellea amaræ bili : unde
nuncupatur vesicula biliaria , & folliculum felleum .
Eius substantia membranæ est , unicam habens tuni-
cam triplici villorum genere intertextam , quibus bi-
lem allicit , retinet , ejicit . Venulas habet exiguae à ve-
næ portæ truncō , qua^r vobantur cysticæ , quibus ali-
tur : arteriolas etiam , & nervos . Meatus sunt in ea
bini : unus ad hepar , aliis ad duodenum bilem defert .
Lien autem situs est in hypocondrio sinistro ex adver-
so jecoris . Ipso augefciente decrescit corpus , quod ip-
so decrescente augescit . Carnosum est , venas insignes
à ramo splenico in ejus substantiam dispersas habet ,
arterias etiam quamplurimas , ac nervos . Circundatur
tenui membrana à peritonæo exorta

90 Tandem renes paulò infra jecur sunt constituti ,
incu-

Incidunt autem musculi lumborum . Bini sunt ad illum serosum humorem subipiendum , ad latera venæ cavæ locati . Semilunæ sigillatæ gerunt : in eis membranæ duæ à peritonæo exortæ : externa vulgo *fascia Renum* dicitur , adipe copioso circunfusa undequaque fasciæ modo obducitur , ut eorum calorem augeat . Interna proprium est carnis tegmen , vasa omnia cingens , & firmans . Ibi vena emulgens per quam è venis serosum humorem prolectant . Arteria amplissima , ut expurget arteriosum sanguinem & serum in recessus refundat . Sunt & nervorum , aliarumque arteriarum , & venarum ramifications . A sima renum parte vasa oriuntur duo concava , peritonæo adhærentia , urinam deducentia in vesicam . Hæc vasa dicuntur vexetres , seu urinaria vasa . Vesica velut laguncula urinam suscipit retinetque , tempestivè fundendam . Sita est in hypogastrio , in viris est annexa recto intestino interventu membranarum , & villorum tenuium : in feminis inter uterum , & os pubis est posita .

91 Partes dextra & sinistra regionis umbilicalis vocantur *lumbares* , ubi libidinis sedes constituitur : media autem umbilicus . In dextris *Ren* dexter continetur , pars intestini coli , & jejunii , totum fere cœcum : a sinistris *Ren* alter cum coli portione , ac jejunii , quod fere totum in mediis constituitur . Pars dextra , & sinistra hypogastricæ regionis dicuntur ilia , quia ileon intestinum continent , vasaque spermatica . Media dicitur hypogastrium : hujus inferior pars dextera , & sinistra vocantur *Inguina* . dicitur pubes , quia ibi pubertatis signa visuntur . In posteriori parte ventris inferioris sunt lumbi : quorum pars superior carnosa dicitur pulpa ; inferioris partis pars dextra , & sinistra dicuntur nates , media vocatur pyga .

92 Ossa quædam insignia ibi advertere licet : scilicet spinam , quæ medullæ domicilium ac propugnaculum est , totiusque ædificij basis , & fundamentum . Ex pluribus ossibus compacta est , ob motuum diversitatem : vertebræ nuncupantur , quia illorum opera in varias partes corpus vertit . A prima cervicis

204 Quæst. V. De partibus corporis humani.
vertebra ad coccygem usque extenditur. Hujus quæ-
dam pars vocatur Os sacrum, totius spinæ ossium ma-
ximum: cavum ex anteriore parte semicirculi instar,
ut amplior hypogastrij relinquatur capacitas, con-
tinens vesicam rectum intestinum, atque uterum. In
extremo est os quoddam cum rostro cuculi habens si-
militudinem, vocatum coccyz: tribus constat ossibus,
quæ partus tempore cedunt, & retrahuntur. Cum
osse sacro committitur os innominatum, hujus prima
pars omnium latissima dicitur ilium: secunda os pu-
bis: tertia os ischij, seu coxadicis, femoris cap-
excipiendo dicatum: quæ tria cum osse sacro veluti
pelvum efformant continentem intestina, vesicam, &
uterum: imo & basim, qua immota totum corpus mo-
vetur.

C A P U T Q U I N T U M.

De manibus ac pedibus, seu artubus.

93 **T**O tum illud membrum brachij ab humero us-
que ad extre mos digitorum, *Manus major* di-
citur. Duæ cuilibet homini à natura tributæ: ceu no-
bilissima organa ad apprehendendum, actionesque
innumeræ exequendas. De harum præstantia leg.
And. Laurent. lib. 12. cap. 3. Venis, arteriis, nervis,
musculis, & ossibus constant, ceu partibus propriis,
& præterea cuticula, eute, & membrana nervosa, ceu
partibus communibus. Venæ duæ sunt ab axillari pro-
deuntes, *Basilica*, & *Cephalica*, de quibus supra. Ba-
silica in profundam & subcænam dividitur. Pro-
funda axillari arteriæ attensa, & tertio nervorum pa-
ri ad medium cubiti plexum porrigitur in radium, &
cubitum ramos spargens. Subcutanea per cutim fer-
tur, & ad ipsius cubiti articulationem perveniens in
duos ramos diffunditur: quorum alter ad internum
cubitum delatus, & humerariae seu cephalicæ unitus
producit *venam nigram* seu *medianam*. Alter per in-
fernū brachij latus descendit ramos in vicinam cu-
tem, & partes subjectas diffundens. Cephalica etiam
ad

ad cubiti flexum pervenientis in duos finitum ratus, quorum alter in interiore cubitum obliquè deflectens, & cum basilice ramo coiens tenam communem parit. Alter per radium ad carpum excurrens manum externam fere totam irrigat, inter paryum digitum & annularem illius conspicuo ramo desinente. Unica est arteria quæ dicitur basilica ab axillari prodiens: similiter in subcutaneam & profundam bipartita; varios quælibet ex se ramos derivat: subcutaneæ surculus quam insignis conspicitur in carpo, ubi pulsus differentia admota manu explorari solent. Per totam manum sex nervorum paria disseminantur. De quibus videri potest And. Laurent. lib. 4. c. 19. & 20. & lib. 12. cap. 3.

94 Ossa manuum varia. In brachio unum os magnum, & validum animadvertere licet; in superiori parte habens caput magnum ossi adnatum in superficia ria cavitate, ut in omnes partes expeditè moveatur: ibi ad firmiorem articulationem multa cartilago. In inferiori autem parte, quæ cubito, & radio articulatur, duo processus insignes conspiciuntur, è quibus prodeunt omnes ferè musculi extendentes carpum, & digitos, & ii qui flexioni sunt destinati. Cubitus duobus ossibus constat: quorum majus nuncupatur *ulna*, *cubitus*, seu *pollex majus*: minus vero dicitur *radius*, & *focile minus*. Cubiti pars superior cum brachio articulatur: inferior cum carpo interventu cartilaginis mediae, & per acutam apophysin. Superior radii pars cum externa brachii apophysi articulatur: ab eaque articulatione motus supinus, & pronus dependet: inferior autem cum osse carpi maximum digitum respiciente connectitur. Summa, & extrema manus carpo, metacarpo, & digitis coalescit. Carpum seu brachiale octo constat ossibus vinculorum, & cartilaginum ope inter se articulatis. Metacarpium, postbrachiale, seu palma quatuor ossibus constat. Digihi ex quindecim ossibus in triplici ordine dispositis constituantur: quorum series dicitur acies, quia agminum ordine sunt dispositi. Articulantur per ginglymon: eorumque tubercula vocantur nodi musculi ibi adsunt variii brachium, cubitum, radium

diam &c^e moventes: quos sicut explicat dictus Andri Laurent. lib. 5 c. 24. & se 4.

95 Pedes ab ischii, & coxendicis articulo ad extre-
mos usque digitos portendatur. Communes partes ha-
bent cuticulam, cutem, adipem, & membranam ner-
vositam. Propriae similares sunt carnes, venæ, arteriæ,
nervi, & ossa. Dissimilares autem femur, tibia, & par-
vus pes. Femur usque ad genu porrigitur: ejus paipo-
sa pars articulationis infernae posterior dicitur *Tropon*:
anterior. autem genu. Os femoris, omnium humani
corporis longissimum, cavum est, pro alimento me-
dullam habens. Superior illius pars cum ischio, infe-
rior cum tibia articulatur. Tibia duobus constat ossi-
bus. Majus tibia dicitur, *focile majus*; minus autem
nuncupatur *fibula*, seu *focile minus*. Femoris & tibiae
articulationem præstat os rotundum, quod dicitur *mola*,
seu *rotula* & *patella genu*. Extremus tandem pes tres
habet partes *tarsum*, *metatarsum*, & *digitos*. Tarsi
sunt septem ossa: videlicet *astragolus* seu *talus*, vel *os*
balista: *calcaneum*, seu *os calcis*: *os naviculare*, &
cuboides. Alia tria vocantur *cantiformia*. Metatarsus,
seu planta quinque ossibus constat. Digitorum ossa
quatuordecim: tria cuilibet digito adjudicantur, duo
tantum polluci: in aciem disponuntur. A ramo cru-
rali sex venæ conspicuæ per pedem sparguntur: scilicet
saphena, *ischias minor*, *muscula*, *poplitea*, *sura-
lis*, & *ischias major*: totidem fere arteriæ, ita ut vena
comitem habeat arteriam. Nervi quatuor insignes per
ipsum disseminantur: qui ex tribus infernis lumborum,
& quatuor supernis partibus ossis sacri nascuntur. Mus-
culi varii adsunt, quorum aliqui pedem flectunt, aliij
extendunt, alii abducunt, alii circummagunt &c.

ARTICULUS ULTIMUS

Utrum omnes corporis partes sint ejusdem speciei?

96 **N**egant Suarez, Rubio, & alii apud PP.
Complutenses hic disp. 6. q. 3. n. 39. Mo-

vantur i. quia anima in partibus corporis quo: infor-
mat diversitatem postulat , cum sit actus corporis or-
ganici , imo & hanc diversitatem causat : sed non po-
test esse sola diversitas accidentalis : ergo substantialis ,
& specifica . Min. patet , quia corpus organicum est
animæ subiectum , quæ est actus substantialis perficiens
illud . Secundo quia anima in diversis partibus , v. g.
corde , capite , pedibus &c. diversas formaliter opera-
tiones exerceat : ergo in illis est secundum diversum
modum essendi , & rationem formæ . Conf. quia qui-
busdam partibus tantum tribuit esse vegetativum , ut ca-
pillis: aliis vegetativum , & sensitivum , ut constat ex
dictis : & hoc ideo , quia forma rationalis est eminens ,
& multiplex virtute : unde potest praestare diversis par-
tibus diversos essendi modos ad quos diversæ formæ
inferiores exigerentur . Tandem quia abscissa pars inte-
gralis organica non recuperatur : v. g. manus , vel ocu-
lus : quod attribui nequit neque materiae defectui , ne-
que calori agenti instrumentaliter , neque animæ : sed
modo essendi secundum speciem diverso .

97 Affirmant autem communiter Thomistæ , quorum
plures referunt , & sequuntur dicti PP. Complut. ibid.
§. 2. Moventur primo quia substantia intra lineam
substantiae nullas habet partes substantialiter distinctas ,
& etiogeneas ethereogenitatem substanciali : ergo se-
cundum diversum modum substanciali non est in
illis partibus ; ac per consequens specie non distin-
guuntur . Conseq. prob. quia diversitas illa substancialis
ex parte formæ provenire nequit , cum sit unica :
neque ex parte materiae , quæ ex se nullam ethereogeni-
tatem sortitur : ergo &c. Secundo quia partes illæ sunt
in determinato genere substantiae viventis : sunt igitur
in aliqua determinata specie atoma prout ab anima
participant esse vegetativum , sensitivum , atque intel-
lectivum : atque adeo formaliter ejusdem speciei . Di-
ces esse reductivè tantum in genere ; unde non est
necessum in aliqua illius specie atoma contineri . Et li-
cet concederetur animam esse in qualibet parte secun-
dum omnes gradus , non tamen secundum eundem
modum essendi : unde nec secundum eandem speciem .

Con-

Contra : quia s^e reducitur ad genus pertinere admittatur .
saltem ad speciem animam eodem planè modo
spectantur , ac per consequens simpliciter erunt ejus-
dem speciei . Nec erit simpliciter diversus essendi mo-
dus ; sed penes diversam dispositionem accidentalem
organorum , quæ speciem tollere nequit .

98. D. Thom. in hac quæst. varie loquutus videtur :
nam q. unic. de anim. art. 9. ad 14. asserere videtur
quod anima propter suam eminentiam sit in diversis
partibus secundum diversum essendi modum prout di-
versam sortiuntur operationem . E contra vero i. d. q.
76. art. 5. ad 3. manifestè asserit partes animalis non
esse diversarum specierum , sed diversarum disposi-
tionum . Et in 4. d. 44. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. af-
firmat omnes partes eadem anima rationali perfectas
esse : quamvis non omnes ad hoc pertingant ut sensum
habeant .

99 Ego , quantum capio , dicendum existimo cor-
pus respici ab anima dupliciter , & in ratione mate-
riæ perfectibilis per eam , ceu actum primum , &
formam substantialem : & sub hac ratione esse omnes
illius partes simpliciter ejusdem speciei . Quia ab una
forma substanciali simpliciter participant unicum esse
substancialē specificum & naturale , quod est simplici-
ter indivisibile , ut s^epius diximus . Si autem corpus
sumatur in ratione instrumenti animæ , & ut respicit
ipsum ut motorem ; tunc partes illas quodammodo in
ratione mobilium specie distingui non inficior : propter
rationes supra adductas . Verum enimverò , quia
nihil est mobile in actu , nisi corpus : partes specie
non distinguuntur simpliciter , & absolute , sed secun-
dum quod connotant diversam habitudinem ad diver-
sus dispositiones correspondentes diversis virtutibus ani-
mæ . Et hoc planè indicat D. Thom. cit. q. de anim.
ubi ait : *Licet anima sit forma simplex secundum essen-
tiam , est tamen multiplex virtute secundum quod est
principium diversarum operationum . Et quia forma
perficit materiam , non solum quantum ad esse , sed
etiam ad operandum : ideo oportet quod licet anima
sit una forma , quod partes corporis diversimode per-*
ficiantur .

fiuntur ab ipsa, & unaq[ue] & que. secundum arid con-
petit c[on]s operationi. Ex quib[us] is verbis sumitur ratio ita:
in anima sunt operationes plenè specie diversæ, ut vi-
sio, auditio, sentire, vegetari, intelligere: ergo & vir-
tutes operatiæ specie diversæ, cum actiones à suo prin-
cipio specificentur: licet ad unicam formam reducantur,
ut ad radicem operandi, ratione cuius simpliciter ad ean-
dem speciem pertinent. Ex his facile solvuntur argumen-
ta pro utraque parte adducta.

QUÆSTIO VI.

DE POTENTIIS ANIMÆ

In communi.

Postquam de anima secundum suam substantiam egi-
mus, nec non & de corpore, quod est eius materia,
sive subjectum, nunc restat differendum de potentiis,
quæ sunt illius proprietates.

ARTICULUS PRIMUS

*Vtrum potentiae animæ realiter ab essentia illius
distinguuntur.*

I Potentia hic sumitur pro naturali principio pro-
ximo operandi, per quod proximè potentes
reddimur ad operandum ea, quæ sunt secundum natu-
ram, vel naturæ consentanea. Potentiae ergo animæ di-
cuntur vires ei à natura inditæ, & radicatae in principiis
substantialibus illius, quibus est proximè potens, ac vi-
gorosa ad operandum aliquid; v. g. vis, & potentia in-
tellectiva, volitiva &c. Et de his quærimus, an realiter
sint ipsa essentia animæ, ita ut ista per suam essentiam sit
immediate operans, seu immediatum operandi princi-
pium; an vero illæ sint realiter ab essentia ipsius distin-

Quæst. VI. De potentia animæ

Et ex eius ue[n]tus radditæ, surponentes eam constitutam, in se esse substantiali perfectio: radicatae tamen in ipsa, sicut vigores quidam naturales, & proprii ad agendum secundum naturam.

2. Quatuor de hac re versantur opiniones. Prima assentit potentias ab essentia ipsius animæ ex solo diverso modo significandi distingui. Cum enim ipsa intelligat, velet, audiat &c. prout intelligit, dicitur intellectus, quantum vult, voluntas, & ut audit, auditus nuncupatur. Ita Gregorius, Ocham, Marsilius, & alij apud M. Bannez 1. p. q. 77. a. 1. dub. 1. Quibus nonnulli ex Recensionibus adhærent. Secunda admittit distinctionem formalē, seu ex natura rei, inter essentiam animæ, & illius potentias. Ita Scotus in 2.d.16. cum universa ipsius Schola. Ab hac non multum recedit Henricus Quodlib. 3. & Gratiadeus q. 15. Phys. asserentes modaliter distingui. Quia nimis potentiae novum addunt relationis modum ad ipsum actum. Tertia potentias animæ vegetativæ proprias, ac peculiares, ab ea indistinctas constituit, cæteras distingui realiter asseverat. Ita Durandus in 1. d. 3. p. 2. q. 2. Quarta tandem omnem potentiam universaliter ab animæ ipsius essentia realiter distinguit. Ita D. Thom. 1. p. q. 54. a. 3. & q. 77. a. 1. D. Alb. M. 1. d. 3. a. ult. & communiter Thomistæ, aliquique non patitur ex his aliquos adducit M. Bannes. loc. c. t.

3. Concl. potentiae animæ realiter ab ejus essentia, sive substantia distinguuntur. Prob. 1. ratione ejusdem S. D. loc. cit. si essentia animæ esset immediatum principiu[m] operandi, absque potentia superadditis, semper habens animam actu, haberet etiam actu opera vitæ: sed hoc est falsum: ergo & animam essentialiter esse operativam immediate, seu non distingui realiter à suis potentia. Min. patet ex ipsa animæ definitione: scilicet actus primus corporis potentia vitam habentis, id est, operationes vitæ: ergo anima secundum se non est semper in actu operum vitæ. Maj. vero prob. anima secundum suam essentiam est actus substantialis ultimus non ordinatus ad alteriorum actu: sed cum res est in actu ultimo constituta, habet quidquid essentialiter ei competit habere, etiam in actu ultimo in tali ordine & linea: ergo si essentialiter com-

Competit animæ operari , seu esse operativam ^{n. v. c. s}
animam actu ultimo essendi , in tali linea erit etiam
actu ultimo operandi , seu operans : & semper acti exer-
cito habebit operationem .

4 Maj. patet: quia in re actu anima dat esse tale, quod
est esse determinatum & finitum in tali specie , ut habet
esse in hoc individuo: sed quod est determinatum actu &
in re , hoc ipso est ultimum ; quia quodlibet ultimo sui
finitur , ac determinatur , v. g. per ultimam disserentiam
determinatur natura ad speciem , & ultimis punctis li-
nea finitur: ergo anima secundum suam essentiam est
actus substantialis ultimus non ordinatus ad ulteriorem
actum . Minor prob. habens actu albedinem actu est
album , quia essentialiter competit albedini , ut commu-
nicata præstet esse album : ergo cum res est in actu ul-
timu constituta , habet quidquid essentialiter ei compe-
tit habere etiam in actu ultimo : sed impossibile est ,
quod actu secundo & in re habens animam , non ha-
beat esse in actu ultimo : ergo habebit quidquid essen-
tialiter competit animæ in actu ultimo : sed animæ com-
petit essentialiter esse operativam : ergo erit in ultimo
actu in tali linea : sed ultimus actus in linea operandi
est actualis operatio : ergo semper habebit actualem
operationem , seu erit semper actu operans opera-
vitæ .

5 Dices longe disparem esse rationem: nam anima est
principium formale vivendi, unde quotiescumque actu est
communicata , actu præbet esse vivum , quia princi-
pium formale communicatur nequit à suo actu separa-
ri: at vero est principium effectivum respectu opera-
tionum , unde absque actu secundo salvare potest ;
quemadmodum & quodlibet aliud principium effec-
tivum .

6 Contra: id quod per essentiam suam , & sine ad-
ditio est principium alicuius , quotiescumque constituitur
in actu , est coniunctum cum actu ultimo in tali linea
per se & essentialiter : sed anima per essentiam sua non est
principium talium operationum : ergo quotiescumque
ponitur in actu anima , habet actum ultimum talis prin-
cipii : qui est actualis operatio . Prob. maj. poni in actu

potentia est : quām reducitur potentia ad actum potest.
Nus: sed anima secundūm essentiam suam est potentia ad præstandum esse actu vivum corpori : & etiam secundūm se est potentia ad operationes vitæ : ergo cum ponitur actu essentia illa tota , potentia ejus reducitur ad actu : ergo sicut reducitur ad actum vitæ , ita & ad actum operationum vitalium .

7 Conf. antequam anima bruti , v. g. educeretur de potentia materiæ , sicut ei competit essentialiter præbere esse vivum , ita competit illi essentia aliter præbere operationem : ergo sicut in sua eductione inducit corpus ad esse actu vivum : ita & ad actualem operationem . Nec discrimen de principio effectivo , & formalis locum habet . Tum quia si est per essentiam suam operans , in re & simpliciter idem erit principium formale , & operativum : tum quia non ideo principium formale nequit separari ab actu suo , quia formale est : sed quia per essentiam suam competit ei præbere talem actum: ergo si per essentiam suam , & absolute anima respicit actu operationis , non poterit separari ab illo : & quotiescumque ponetur in re & in actu ultimo essendi . Antec. patet : nam ideo subsistentia , quæ est actus quidam formæ substantialis potest reipf. quidem separari a forma , seu natura , quia per essentiam suam , & absolute non competit ei præbere talis actu , sed dependenter ab extrinseco , nimirum efficiente : hinc in Deo separari nequit , quia per essentiam suam , & absolute competit ei subsistere : ergo non ideo principium formale nequit separari a actu suo , quia formale est ; sed quia per essentiam suam competit ei præbere talem actu; v.g. quia Deus est per essentiam suam operativus , non separatur ejus potentia ab actuali operatione : unde est actu secundo intelligens , volens &c. & cum reducitur effectus ad extra de potentia in actu , non ponitur novus actu entitative in Deo potentiam illam divinam perficiens , quæ est principium effectivum : ergo si admittatur animam esse essentialiter immediate operativam , esto sit principium effectivum , non poterit ponni actu sine actu suo ultimo : & per hoc quod actu operetur , nihil addetur .

3 Secundò prob. concil. ex eodem S. D. quæ
spiritual, creat. art. 15. essentia animæ est tuta. sed n.
tentia ab invicem realiter distinguntur: ergo no. pos-
sunt entitativè idem esse cum substantia ipsius animæ.
Minor patet: tum quia potentia realiter distinguntur
inter se per ordinem ad diversos actus; actus autem
potentiarum animæ, ut videre, & audire, intelligere
& velle sunt realiter ab invicem distincti: tum etiam
quia realiter ab invicem separantur; veluti potentia vi-
siva in cœco destructa remanet auditiva, odorativa,
in intellectiva &c. si enim non destrueretur, naturaliter è
cœco posset fieri videns: ergo realiter distinguntur.
Conseq. vero prob. quando duo sunt idem realiter mul-
tiplicato uno multiplicatur aliud: sed sunt plures po-
tentia, & realiter multiplicatae: ergo non poterit essen-
tia animæ remanere una, si essentialiter, & entitativè
ponatur esse eadem cum illis.

9 Dices solum organum destrui, non vero potentiam
proximam. Contra: illa est virtus affixa organo cor-
poreo, cum sit sensitiva: ergo delecto organo perit
in ratione virtutis naturalis potentis proxime operari.
Hinc est quod in anima separata hujusmodi facultates
non manent. Dices potentiam visivam esse entitativè
spiritualē, & solum connotativè corpoream: unde
etiam entitativè in anima separata manere. Contra: si
potentia visiva esset entitativè spiritualis, ejus proprius
actus etiam spiritualis esset, ac per consequens prima-
rium illius objectum, à quo specificari cebet, eique
commensurari: sed hor est absurdum: ergo potentia
visiva non est entitativè spiritualis, & solum connota-
tivè corporea. Pro confirmatione hujus sententia so-
lent adduci plura SS. PP. testimonia, quæ videri pos-
sunt apud M. Martinez de Prado lib. 2. de anima q. 13.
f. 1. Tandem probari potest rationibus, quibus lib. 2.
Phys. q. 4. a. 2. ostensum est substantiam non esse im-
mediate operativam, sed per aliquid superadditum,
ceu proximum operandi principium, quod in anima
sunt ipsæ potentiae.

Solvuntur Argumenta.

10 **A**Rg. 1. quæ realiter distinguuntur, ab invicem nequeunt ab illa realiter separari: sed potentia animæ non distinguuntur. Probatur minor: anima nostra potest non esse intellectualis, & rationalis: sed sine intellectu intellectualis esse nequit: ergo potentia animæ nequeunt ab illa realiter separari.

11 Resp. de hac difficultate duas celebres versari opiniones. Prima afferit potentias ab essentia animæ divinitus posse realiter separari, quemadmodum & quamlibet propriam passionem, seu proprietatem à suo subjecto. Ita Ferrara 4. c. gent. c. 65. M. Soto c. 4. de Proprio, & alti. Tum quia divinitus contingit extensitatem separari à propria forma ad quam consequitur, ut passio. Tum quia Deus efficere potest ut accidens quodlibet sine substantia existat. Tandem quia nulla contradictionis umbra in tali separatione appareret: cum proprietates, & potentiae in genere causæ efficientis à subjecto pendeant: quod est eis natura prius: non implicat autem prius sine posteriori existere. Alia sententia negat ulla tenus separari posse, aut separata existere. Ita D. Caietan. in 1. p. q. 54. a. 3. Soncinas 8. Metaph. q. 1. & alii. Moventur ratione supra allegata: quia nimirum anima nostra potest non esse intellectualis, & rationalis: ergo non potest esse sine intellectu.

12 Unum in hac materia pro comperto habendum esse existimo, nimirum, quod cum ex S. D. 1. p. q. 77. a. 8. c. duo sint genera potentiarum animarum, quarum aliquæ comparantur ad animam solam, ut intellectus & voluntas in homine: aliæ vero, quæ sunt in coniuncto ut subjecto; ut omnes potentiae sensitivæ partis, & vegetativæ: istas in homine separari posse, immo & sejungi de facto in anima separata, vel organo corrupto; ut testatur S. D: ibid.

13 Nec tamen negandum est eas virtute manere, in sententia ejusdem S. D. nam potentia hujusmodi duo habet; scil. quod naturalis sit, quia in naturalibus principiis

ci iis radicatur : & quod sit quidam vigor , sc̄i valor formæ , ad agendum ea quæ sunt naturæ consitit , a ex hoc quod in principiis substantiæ radicetur , virtutem ad attingendum substantiam , ceu instrumentum agentis , ut vigor complei illud ultimò & proximè dispositum ad agendum relinquit : ergo posita forma substantiali ponuntur secundum causam & virtualiter ipsæ potentiarum , sed non secundum actuale esse completum & terminatum , vel ut dicunt vigorem illum . Unde virtualiter seu radicaliter separari nequeunt ; bene verò formaliter .

14 Quoad alias verò potentias quæ à coniuncto non dependent , ut intellectus , & voluntas , certum etiam est non posse naturaliter ab anima realiter separari . Sumitur ex D. Th. 1. 2. q. 110. a. 4. ad 3. ubi ait : *Cum potentiae animæ sint naturales proprietates speciem consequentes , anima non potest sine his esse* . Ubi nota sermonem esse de potentiis , quæ absolute sunt animæ , ut intellectus , & voluntas . Supernaturaliter autem potentias separari posse probabilius existimo , non quidem secundum rationem , & causam suam , sed secundum suum esse completum , & limitatum . Et hoc ni fallor indicat S. D. ibid. dicens : *Dico autem quod si sine his esset (id est anima sine suis potentiis) adhuc tamen anima dicere- intellecualis , vel rationalis , non quia aitu haberet has potentias , sed propter speciem talis essentie , ex qua natæ sunt hujusmodi potentiae effluere* . Quia esto potentiae , ceu proprietates quædam , necessariam connexionem fundent cum essentia , secundum causam suam , & rationem , non tamen secundum esse completum , & quatenus respiciunt ipsam essentiam animæ ut subiectum tantum , quod in linea operandi ultimò perficiunt , & dispositum proximè ad operationem relinquunt , sic enim qualitates quædam sunt , & accidentia : non pertinent igitur ad rationem essentiae animæ : ergo tota essentia , & ratio animæ his ablatis salvare potest . Unde ad arg. concessa majori nego min . Ad cuius prob. dico quod esset intellectualis ; licet non haberet intellectum secundum suum esse completum ; quia haberet illum secundum rationem , & causam , per quam fundat necessariam connexionem cum illo ,

15 Arg. 3. non sunt multiplexæ entitatis sine numero. Sed anima seipsa intelligere, velle &c. potest, ergo frustra ipsi distinctæ potentiaæ ad intelligendum, volendum &c. superadduntur. Prob. min. 1. quia anima est id quo vivimus, intelligimus, sentimus, & movemur primo. Secundo, quia si anima seipsa nos agat, erit veluti statua inanimis, cùm operationem vitæ non eliciat. Tertio, quia ipsa anima non esset proprie vivens vita beata, nec damnata nisi denominative: & dependenter à suis potentius, quæ sunt immediata operationum principia. Quarto quia ipsa non esset digna odio, vel pena propter peccatum, vel amore propter opus bonum: cùm hæc à potentius immediate, & per se efficiantur. Tandem quia ipsa non esset libera, nam suarum operationum dominium non haberet, cùm non à se, sed à potentiis immediatè eliciantur. Denique ponatur voluntas ab anima separata peccans, tunc peccatum animæ, à qua separata est, nullatenus tribuetur: ergo soli voluntati: sed separata eodem modo operaretur, atqui conjuncta: ergo ei præcipiè tribuitur peccatum, & non animæ. Conf. accidens nequit esse principium substantialis differentiæ: sed sensibile, & rationale sunt substantiales differentiæ desumptæ à sensu, & ratione: ergo hæ potentiaæ non sunt accidentia.

16 Resp. ad arg. neg. min. ad prob. dico ex S. D. 1. p. q. 77. ar. 1. quod cùm potentia quælibet animæ, hoc ipsum quod est esse actionis principium ab ipsa anima, à qua seu proprietas fluit, sortiatur, principaliiter omnes illæ actiones animæ tribuuntur, non quidem secundum quod præcisè est forma substantialis actuans materiam, sed ut prima radix operandi per suas potentias completa. Igitur anima est id quo intelligimus primo, tamen ut intelligamus actu, debet per intellectum compleri ultimò, & proximè ad actum intellectus eliciendum. Vnde non est veluti statua inanimis, sed primò se movens; tamen in exercitio non agit nisi ut perfecta per dictas potentias. Eapropter ei propriè debetur præmium, vel pena &c. quia ab ea potentiaæ habent radicaliter, ut operentur: à radice

dice autem bonitas vel malitia est operationis hoc. lib
quolibet statu tamen , sed ut est perfecta anima per vo-
luntatem &c. quod si potentia separata admittatur , non
agat vitaliter , unde non peccabit &c.

17 Resp. ad conf. quod licet accidens nequeat esse
principium substantialis differentiaz quoad esse , bene
vero quoad manifestandum rem , quia est notius . Un-
de quandoque ponitur loco differentiaz substantialis .
Et hoc modo possent poni ratio , & sensus in defi-
nitione animaz . Sed reipsa quidem sensibile , & ra-
tionale , quae sunt substantiales differentiaz , non ab ip-
sis , sed ab anima rationali secundum suum esse de-
sumuntur . D. Thom. loc. cit. ad 7.

ARTICULUS SECUNDUS

*Vtrum potentiae animae ab ea fluant , & in ea
recipientur , ut subjecto ?*

18 Hæc questio procedit supposita distinctione
reali potentiarum ab anima . Duos poten-
tiarum modos in anima distinguit S. D. Aliæ sunt qua-
rum operationes sine corporeo organo exercentur ,
quia spirituales sunt ; ut Intellectus , Voluntas , & Me-
moria intellectiva . Aliæ sunt organicæ , quarum ope-
rations sine corpore coniuncto . Ut organo corporeo
non exercentur : ut potentiae sensitivæ ; v. g. Visus ,
Auditus &c.

19 Prima concl. potentiae non organicæ immediate
in anima subjectantur , cæteræ vero in composito seu
coniuncto . Prima pars ab omnibus communiter ad-
mittitur , & patet : nam id denominatur operativæ po-
tentiae subjectum , quod est potens operari per se pri-
mo , & ut quod : sed anima per se primo , & ut quod
intelligit , vult &c. intelligit autem per intellectum ,
& vult per voluntatem , quæ sunt potentiae non orga-
nicæ : unde & separata anima à corpore , corporeis-
que organis etiam vult , & intelligit , quia est per se
subsistens , & ut quod operari potest : ergo est subje-
ctum

ctum imminutum hujusmodi potentiarum.

20 Secunda pars prob. si potentiae sensitivæ & organicæ essent in anima, ut in subjecto: etiam in anima, separata manerent: quod manifestè falsum est. Tum quia operationes harum potentiarum sunt corporeæ, & cœdibilis: ergo dependent à corpore, seu organo corporeo: ergo sunt in toto corporeo ut in subjecto: subjectum enim est id quod operatur ut quod, & cum sola anima non operetur hujusmodi operationes ut quod, neque corpus sine anima, ut principio radicalli omnium operationum vitalium, necesse est, ut totum conjunctum sit earum subjectum. Hinc sequitur omnes potentias vitales brutorum esse in coniuncto, tanquam in subjecto; quia corporearum operationum principia sunt.

21 Secunda concl. omnes potentiae animæ, sive non organicæ, sive organicæ fluunt ab ipsa ut à causa, non quidem per veram efficientiam, sed per naturalem resultantiam, & tanquam à causa efficiente Metaphysica. Ita D. Thom. i. par. quæst. 77. art. 6. & communiter DD.

22 Prima pars prob. ex S. D. accidens proprium, causatur à principiis subjecti secundum quod est actu; recipitur vero in illo quatenus est in potentia ad ipsum tanquam actum, & perfectionem naturalem competentem: sed corpus est in actu per optimam; definitur enim anima: a his primus corporis &c. ergo anima se habet ut causa hujusmodi potentiarum. Majeorem probat D. Th. ex differentia reperta inter formam substantialiem, & accidentalem: quia nimirum actualitas formæ substantialis est prior subjecto: at vero actualitas formæ accidentalis ipsum subjectum in actu consequitur.

23 Secunda etiam probata manet ex dictis lib. 2. Phys. si autem quæras in quo genere causæ anima suas proprietates causet? Resp. S. D. ibid. ad 2. Quod subjectum est causa proprij accidentis, & finalis, & quodammodo activa, & etiam ut materialis in quantum est susceptivum accidentis. Et ex hoc potest accipi, quod essentia animæ est causa omnium potentiarum

rum, sicut finis, & sicut principium activum ; pro-
rundam autem sicut susceptivum.

Solvuntur Argumenta.

24 A Rg. 1. cont. 2. ex D. August. 12. sup. Genes.
ad lit. cap. 46. ubi ait. Non corpus, sed anima dolet per corpus, quo utitur tanquam nuntio. Præterea cap. 19. afferit animam quædam sentire, non per corpus sed sine corpore, ut timorem & hujusmodi ; quædam verò per corpus : sed si passiones illæ non essent in ipsa sola, tanquam subjecto, nil sine corpore persentire posset : ergo omnes potentiae animæ sunt in illa tanquam in subjecto.

25 Conf. omnes potentiae sunt propriæ passiones ab essentia animæ fluentes: sed propria passio in eo subjectatur, à quo dimanat, & cuius est passio: ergo &c

26 Resp. ad arg. D. Augustinū in multis, quæ ad Physicam pertinent, dogmatibus Platonis usum fuisse, forsan tamen recitando potius, quam afferendo ; Platonis autem dogma fuit sentire operationem esse animæ propriam. Ac perinde in ea tanquam subjecto recipi.

27 Keip. ad conf. ex dictis has passiones, quæ ab ea immediate fluunt, equidem in ea immediate recipi: sed tamen illæ, quæ dimanant ab ea mediante corpore & dispositionibus ejus, non in ea sed in coniuncto recipiuntur.

28 Arg. 2. potentia locomotiva in anima immediate subjectari debet : ergo potentiae, animæ immediate in ipsa anima subjectantur. Prob. antet primò, tum quia anima à corpore separata movetur localiter, quod nullatenus eveniret, si in toto coniuncto recipetur : quia tunc destrueretur, nam destructo proprio subjecto accidentis, ipsum quoque accidens perit. Secundò, quia nulla pars corporis est, quæ non moveatur: ergo si potentia locomotiva est in aliquo determinato organo corporeo, v.g. nervo, nervus per se primò, & secundum se totum esset movens, & mo-
tum,

tum, agens & patiens, quod implicat.

29 *Resp.* ad arg. neg. ant. ad 1. prob. dico animam separatam nullatenus moveri localiter: quia motus hic proprius est rerum corporearum, cùm sit divisibilis, & extensus, anima autem rationalis spiritualis est. Ad 2. autem prob. resp. nullum esse inconveniens, quòd pars per se movens sit per accidens mota ad motum alterius. *A*nne organum potentiarum locomotivarum per se primo erit movens, mediante tamen intellectu & voluntate, illo cùm dirigente, ista autem ut imperante & movente: & per accidens erit motum ad motum totius corporis. Exemplum est in illo, qui in navi existens ipsam navim moveret.

30 Arg. 3. contra 2. si potentiae ab ipsa anima fluent, ut à causa, omnes potentiae etiam non organicæ, in ea tanquam in subjecto reciperentur: sed hoc falsum est, ut ex dictis patet: ergo potentiae animæ non fluunt ab illa ut à causa. Prob. maj. nam ejus est operatio, cuius est potentia. *R*esp, neg. seq. ad prob. dist. antec. si operatio sit per se primo alicujus & ratione sui seu absolute, concedo: si sit alicujus cum dependentia ab aliquo extrinseco, nego: quod evenit in illis potentias quæ sunt animæ, non quomodocunque, sed ut à corpore, vel organo corporeo, cùm instrumento dependentes. Unde nonnisi dependenter ab eo illas causat: non quidem ut ratione causandi & ut quo, seu principio & causa: sed ut exercent causantem.

ARTICULUS TERTIUS

Utrum potentiae animæ specificentur, & distinguuntur per objecta.

31 **I**N scholis omnium ferè plausu receptum est potentias per actus, & objecta specificari, & distinguiri: in assignando tamen modo hujusmodi specificationis, ac distinctionis Autores valde dissentient. Quidam asserunt à posteriori tantum & cùm per effectus potentias per ordinem ad actus distinguiri. Alii volunt distinguiri à priori, extrinsecè tamen, & nullatenus intrinsecè.

fecē. Alii tandem arbitrantur potentias intrinsecè specificari per actus , & objecta , non quidem sicuti per differentias intrinsecè constituentes ipsas potentias ; sed per intrinsecam habitudinem & proportionem , seu coaptationem ad illa . Ita communis Philosophi , ac Theologum D. Th. i. p. q. 77. a. 3.

32 Concl. potentiae animae specificantur per ordinem intrinsecum ad actus & objecta : & subinde per ordinem ad diversos actus & objecta distinguuntur . Prob. rat. D. Tho. quod suapte natura ordinatur ad aliud ab eo specificatur : sed ratio potentiae ordinatur ad actum : ergo ab actu ad quem ordinatur specificari debet . Maj. hoc pacto suaderi potest : in rebus creatis quædam sunt res , seu perfectiones ad hoc institutæ , ut absolute & per se sint : aliæ verò propter aliud , quod respiciunt , ut terminum vel finem &c. sed eorum , quæ per se sunt , sumitur specificatio à differentia absoluta , & per se , sicut hominis ratio à rationali : ergo eriam eorum , quæ propter aliud sunt ex natura sua , ratio debet desumi ex habitudine ad illud , ad quod intrinsecè ordinantur : quia per hoc eorum natura explicatur : sed potentia ex se nominat operationis principium , & propter operationem est : ergo potentia intrinsecè ad actum ordinatur : ergo specificatur ab actu . Min. patet : nam in eis , in quibus minor operationum reperitur diversitas , etiam & potentiarum , unde in homine est major potentiarum diversitas , quam in plantis : ergo intrinsecè potentia propter operationem est .

33 Dices , potentiam ordinari ad actum , ut effectum se posteriorem : unde ab eo specificari nequit . Contra : nam , ut egregie ponderat D. Th. in sol. ad i. actus solum est effectus ipsius potentiae in genere causæ efficientis , est verò ipsius potentiae causa finalis : sed finis simpliciter est prior & causa ipsius efficientis , ut efficientis ; efficiens verò solum est causa finis secundum esse , quod habet in subjecto actu : ergo habitudo , quam dicit potentia ad actum , est pertinens ad rationem quidditativam potentiae , licet ex alio capite actus ipse sit effectus illius secundum esse , quod habet in subjecto , sed non in ratione sua . Maj. patet , quia ut diximus quælibet potentia est propter operationem , ut finem . Minor etiam probata manet ex his ,
quæ

222 Quæst. VI. De potentiis animæ.

quæ diximus lib. 2. Physic. q. 9.a. 1. Conseq. etiam prob.
quia esse est accidens cuiuslibet entis creati & non ratio vel
quidditas ejus: sed actus à potentia dependet quantum ad
esse: ergo non secundum rationem suam: sed potentia
dependet ab actu ut movente ad agendum: ergo secun-
dum rationem suam & quidditatem, quia proximum ef-
ficiendi principium est potentia.

34 Pro majori intelligentia nota esse duplicum poten-
tiæ actum, nimirum adæquatum, & inadæquatum. Adæ-
quatus est qui illimitate & universaliter omni rationi
formalem objecti per se attingit. Inadæquatus vero qui
attingit partialiter illam rationem formalem objecti per
se, & ut limitatur in aliquo partiali objecto ipsius; v. g.
videre absolute sumptum est actus adæquatus potentiae
visivæ; quia versatur illimitate & universaliter circa ra-
tionem objecti formalem adæquatam, quæ est color lu-
cidus seu visibile: videre autem album, & nigrum est actus
inadæquatus, quia color albus non est prima, & univer-
salis differentia objecti per se ipsius, sed partialis & limi-
tata. Actus adæquatus est primo & per se intentus à po-
tentia & est finis illius: quærenti enim ad quid sit poten-
tia visiva, respondetur ad videndum. Unde actus adæ-
quatus est specificativus ipsius potentiae. Actus autem ina-
dæquatus non est primo, & per se intentus, sed quasi se-
cundo, & ex parte exercitii ipsius potentiae, unde non
est specificativus illius, sed exercitivus, non enim videtur
color ut sic, sed in exercitio videtur color albus, vel ni-
ger in particulari. Unde potentia solum in genere efficien-
tis, & quasi in exercitio prior est actu illo inadæquato,
& secundum quod habet esse: sed actus adæquatus sim-
pliciter est prior in genere causæ finalis & formalis, &
ideo specificativus.

35 Non modica est difficultas circa illam majorem pro-
positionem: nimirum, quælibet actio sumit suam spe-
ciem ex principio, vel ex fine seu termino: ex principio
quidem, si sit actio potentiae passivæ, ex fine autem seu
termino, si sit actus potentiae activæ; nam calefactio
causa à Sole, & ab igne est ejusdem speciei, & tamen est à
diversis principiis. Præterea motus à termino specifica-
tur, ut docet Arist. 5. Physic. t. 4. Actio autem est motus

qui.

quidam: ergo specificatur à termino. & non à principio. Veruntamen hæc propositio D. Th. verissima est. Pro ejus intelligentia nota quòd ratio specifica sumitur à forma , secundùm quòd rem ultimò perficit , & determinat. Objectum autem ultimò determinat actum , & potentiam. ^{qua visio v. g.} est propter visibile. Unde perfectissimus actus est , cùm omne , & totum suum objectum attingit , ut in Deo : & perfectissima potentia , cùm actum adaequatum dicit circa illud objectum . Quod intelligendum est de formalí determinatione , & in linea intentionali ; vel in genere relatorum , & perfectionum propter aliud , & non simpliciter absolutarum . Sub qua ratione duplicititer objectum determinat potentiam , & actum : primo in genere finis , & termini terminantis potentiam , & actus fluxum : vocaturque objectum terminativum : & sub hac ratione manet in ratione pura objecti , nullam specialem rationem objectivam addens . Nam omni objecto commune est esse finem , & terminum ipsius potentiae , & actus: & hoc modo specificatur actio potentiae activæ simpliciter ab objecto , nimirum ut fine , & termino tantum . Nec tamen existimes quòd non specificetur etiam à principio: hoc enim falsum est , quia omni actioni commune est à principio , & fine specificari: ut ibidem indicat S. D. in exemptione calefactione , & infrigidatione . Sed tamen illud principium non est objectum sed propria forma ex se completa , & determinata ultimò unum , & non indifferens ad plura : non quidem suo ratione præcisa forme , sed ut stat sub habitu ad objectum illud , ut terminum ultimum . In confirmationem hujus rei addo verba S. D. dicentis: *Dissert enim calefactio ab infrigidatione , secundum quòd hæc à calido scilicet activo , illa autem à frigido ad frigidum procedit . Ubi , si rectè consideres , tibi reperire licebit , & principium activum , nimirum calidum activum , & terminum: à calido , inquit S. D. ad calidum .*

36 Sub alia autem ratione coisiderandum venit objectum ; nimirum sub formaliori ratione objectiva , & quatenus solius termini rationem non sortitur ; sed motivi & comprincipii moventis ipsam potentiam , ut in actum suum prodeat , mediante specie intentionali , que ipsum infor-

informat, & constituit in actu: & sub hac ratione actus respicit objectum ut principium: non quid non respiciat ut finem, quia finis, seu terminus & objectum in potentiis idem sunt: sed quia ultra communem objecti rationem, quæ est terminare, etiam habet rationem principii formalis activi moventis, ac determinantis potentiam ut exeat actus specificatus, non à potentia præcisè, sed à potentia quatenus formatur ipso objecto mediante specie intentionalis, ut comprincipio, & ultimo determinatrix potentiaz ad operandum; v. g. color in ratione objecti terminat & specificat visum: non solum ut finis terminando visionem elicitem, sed ut comprincipium simul cum potentia mediante specie intentionalis visionem elicit, & se habet ut principium illius specificativum.

37 Ad primam instantiam dico calorem ignis se habere ut effectum ipsius caloris Solis, & ut quid participatum, dependensque ab illo: unde ut in igne non est conveniens univocè cum calore Solis, ut in Sole. Quapropter actio calefactiva non est eadem specie, ut alibi diximus. Resp. ad conf. quid licet actio, & motus substantialiter sint idem; distinguuntur tamen secundum suam rationem formalem, ut supra diximus. Unde postulant diversa principia specificantia.

Solvuntur Argumenta.

38 Arg. 1. potentia visiva equi, & potentia visiva hominis specie distinguuntur: sed tamen idem objectum respiciunt, nimirum visibile: ergo potentiaz non distinguuntur per actus, & objecta. Maj. prob. illæ potentiaz sunt proprietates naturaliter consequitæ ad distinctas specie formæ. Ergo specie distinguuntur, nam per suam formam specificam res quælibet specie ab alia distinguitur.

39 Resp. omissis variis solutionibus, quæ videri possunt apud M. Barnes p. p. qu. 77. art. 3. dub. unico solut. ad 2. quid licet in genere naturali istæ potentiaz distinguuntur specie, quia à diversis specie formis oriuntur, non tamen in genere intentionalis, & linea perfectionis relatæ ad aliud: quia distinctio specifica in his

his perfectionibus est ab extrinseco radicaliter , & non ab intrinseco , sicut in absolutis . Unde si idem extrinsecum respiciant , & eodem modo perficiantur ab eo , in tali genere sunt ejusdem speciei formaliter : licet materialiter , & ex parte causæ à qua habent esse naturale distinguantur specie . Sed hæc distinctio non est propria specifica : quia non concernit potentiam ut potentia est cognoscitiva , sicut visus est : quia esse potentiam cognoscitivam est in genere intentionalis , & linea perfectionis relatae ad aliud . Ideo visivæ potentiae hominis & equi esse simpliciter ejusdem speciei censentur : licet in esse entis & genere naturali distinguantur .

40 Arg. 2. intellectus , & voluntas sunt potentiae realiter distinctæ : sed tamen verum , & bonum , quæ sunt earum objecta , non distinguuntur realiter , sed ratione ; ergo distinctio potentiarum non est desumenda à distinctione objectorum , & actuum .

41 Respondet S. D. solut. ad 3. quod nihil prohibet id , quod est subiecto idem , esse diversum secundum rationem . Et ideo potest ad diversas potentias animæ pertinere . Bonum autem , & verum solum sunt subiecto idem , sunt tamen diversa secundum rationem . Hæc D. Th. solutio nobilissimos quoque illius interpretes semper anxios in ejus explicatione reddidit . Unde varie faciat etiam D. Th. explicant , ut videri potest apud M. Barnes I. p. q. 77. art. 3. dub. unico ad 1. Ego ita explicandam censeo : Cùm potentia sit in genere intentionalis , ut diximus , etiam & objectum in eadem linea specificare debet : linea autem hæc presupponit lineam entis ut subiectum , & radicem : unde si sit idem ens in genere naturæ , & essendi , objecta in eo fundata erunt subiecto eadem . Et in hoc ordine bonum , & verum simpliciter sunt idem re , & solum distinguuntur ratione : quatenus illud quod est bonum dicit ordinem ad appetitum , verum autem ad intellectum : quæ relationes habent causam in subiecto . Dicuntur autem bonum , & verum secundum rationem diversa , scil . diversam formalem rationem terminandi , & movendi : quia ut docet S. D. q. 80. art. 1. ad 2. Apprehenditur ut est ens sensibile , appetitur verò ut est conveniens & bo-

num. Sensibile autem , & apprehensibile sunt simpliciter diversæ rationes in linea intentionalì à ratione convenientis , & realiter distinguuntur , non quidem secundum esse , & in linea entis , sed formaliter & in ratione movendi & terminandi ratione diversæ virtutis . Nam intelligibile simpliciter movet per modum principii formalis mediante sua specie: sed convenienter , seu quod appetitur , movet ut finis ; quæ simpliciter sunt diversæ rationes movendi . Et per consequens insufficit hæc diversa ratio ut distinguantur reanter potentiae in ratione formalí potentiarum & in linea intentionalì , & genere perfectionum ad aliud relatarum . Nam esto in linea entis absoluti requiratur entitativa distinction , & secundum esse , ad distinctionem specificam : non tamen in genere relativō , seu perfectionum ad aliud , seu proprius aliud . Unde videmus diversas specie relationes terminari ad Deum , prout diversas virtutes habet , quibus creaturas à se dependere facit . Sed de his latius alibi ,

42 Arg. 3. potentiae sunt quid absolutum , & de genere qualitatis : ergo nequeunt per ordinem ad aliud specificari ; sed ad se constitui debent . Resp. quod in linea intentionalì potentiae formaliter simpliciter sunt quid relatum dicentes relationem transcendentalem ad objecta sua , licet secundum esse , & genere suum , seu materialiter sint quid absolutum , prout omne illud absolutum dicitur , cuius totum suum esse non est ad aliud : sed est perfectio subjecti explicans rationem suam per ordinem ad illud , ut quantitas , & qualitas .

43 Arg. 4. eadem potentia intellectiva elicit actus diversarum specierum ; v. g. actus opinionis , fidei , scientiae : ergo potentiae non distinguuntur per actus . Conf. 1. eadem potentia visiva elicit visionem albi , & visionem nigri : sed actus hi specie distinguuntur , cum versentur circa objecta contraria : ergo &c. Resp. ex D. Th. quod cum intellectus sit potentia universalis , & attingens communissimam objecti rationem nihil implicat ejus actus specie distinguiri , non quidem prout sunt ab eo simpliciter , sed prout limitatur ejus amplitudo per diversas dispositiones , virtutes & habitus . Deinde qua-

hi actus non sunt adaequati potentiae secundum se, licet adaequati sint habitibus potentiae, unde non distinguunt potentiam, sed habitus. Resp. ad i. conf. non ferri in album & nigrum ut contraria sunt, sed ut visibilia, sic autem convenienter.

ARTICULUS QUARTUS

Quia sint genera potentiarum animæ.

44 **C**oncl. genera potentiarum animæ sunt quinque, scil. vegetativum, sensitivum, appetitivum, secundum locum motivum, & intellectivum. Ita D. Th. i. p. q. 78. a. 1. & cum eo com. naniter Theologi, ac Philosophi. Sumiturque ex Arist. lib. 2. de anim. c. 3. Prob. ex S. D. distinctio potentiarum animæ est secundum diversitatem objectorum: sed quinque sunt genera objectorum, circa quæ animæ potentiae versantur: ergo & quinque genera potentiarum. Prob. min. objectum operationum animæ in triplici ordine considerari potest: alicujus enim animæ objectum est solum corpus animæ unitum, & non quodlibet corpus sensibile etiam extrinsecum: & penes hoc desumitur primum genus potentiarum animæ, scil. vegetativum: vegetatiæ enim animæ potentiae non agunt nisi in corpus ipsi animæ unitum, & per intus susceptionem. Alicujus etiam animæ objectum non est solum corpus animæ unitum, sed etiam quodlibet aliud corpus sensibile, quod est objectum universalius, complectitur enim tam corpus inanime, quam animatum, prout utrumque in ratione sensibilis unam objecti rationem fundat: & circa hoc versantur potentiae ipsius animæ sensitivæ. Tandem alicujus animæ objectum non solum est corpus sensibile, sed quid universalius, nimirum omne ens: & circa istud versantur potentiae animæ intellectivæ. Differunt ista duo genera à primo: quia operationem non solum respectu rei conjunctæ, sed etiam extrinsecæ fortiuntur: primum autem respectu rei conjunctæ tantum: sed orme operans aliquo modo objecto, circa quod operatur, conjungi debet: ergo objectum il-

Iud extrinsecum circa quod istæ duæ operantur, operanti conjungi debet: sed hoc quadrupliciter contingit: ergo præter vegetativum sunt alia quatuor genera potentiarum animæ. Min. prob. objectum, vel conjungitur animæ per hoc, quod trahitur ad eam, mediante sua similitudine, & specie informando ipsam; vel conjungitur ei inclinationem, & tendentiam animæ in ipsam rem exteriorem: sed ad hoc necessaria sunt quatuor potentiarum genera: ergo &c. Prob. min. quia potentia quæ respicit universalius objectum, altior est, & distincta ab illa, quæ respicit objectum minus universale: sed objectum sensibile est minus commune, & uniuersale, quæm ens: ergo secundum quod objectum sensibile conjungitur animæ, requirit unum potentiarum genus, scil. sensitivum: & secundum quod ens conjungitur sub universaliori, & altiori ratione requirit aliud, scil. intellectivum. Præterea anima ad rem exteriorem inclinatur dupliciter, scil. ut ad finem, qui est primum in intentione, & præcedens operationem; vel ut terminum operationis & motus, qui est quid posterius operatione ipsa: & secundum duplarem hunc ordinem duo alia genera potentiarum animæ sunt constituenda; nimirum appetitivum, quod respicit rem exteriorem ut finem, & ab ea movetur: & loco motivum quod respicit rem exteriorem ut operationis terminum. Ad consequendum enim aliquod aliteratum intentum omne animal movetur. Aliam rationem affert D. Th. lib. 2. de anim. lœc. 5. quam proponunt PP. Complut. hic disp. 7. q. 2. §. 1. Consulte ipsos.

Solvuntur Argumenta.

A Rg. 1. trestantum sunt animæ, & quatuor modi vivendi: ergo solimn constituenda erunt tria genera potentiarum animæ, cum potentiae ab ipsa anima, seu proprietates fluant: vel ad summum quatuor, sicut & quatuor vivendi modi: nam hujusmodi potentiae vitales ideo institutæ sunt, ut opera vita exerceant: sed secundum modos vivendi sunt etiam modi operandi vitaliter: ergo non sunt quinque genera potentiarum animæ.

46 Resp. ex S. D. con. ant. & neg. conseq. Disparitas est; quia diversæ animæ distinguuntur, prout diversimode operatio animæ aperationem naturæ corporalis superegreditur, quæ ad ipsam eeu materia, & instrumentum comparatur. Quod tantum triplici modo contingit; ut fuse explicuimus supra: unde tantum sunt tres animæ. At vero potentiarum genera non sumuntur per ordinem ad excessum operationum super operationes naturæ corporalis, sed per ordinem ad objecta, secundum quod ob diversam proportionem, & coaptationem habent elicere, vel terminare operationes animæ; quod quinque modis fit, ut diximus. Nec enim potentiae ab ipsa anima fluunt ut proprietates quomodounque; sed propter actus seu operationes, & objecta: unde secundum diversam rationem objectorum formaliter diversificari debent. Modi autem vivendi distinguuntur secundum gradus viventium. Neque secundum diversos modos vivendi absolute distinguendi sunt modi operandi: quia modi vivendi respiciunt principium operationis, prout perfectius, vel minus perfectè inest vita, seu diversos inessendi modos: sed potentiae respiciunt operationes diversas & objecta ut finem: hæc autem sunt quinque secundum genus: unde & quinque potentiarum genera.

47 Arg. 2. aut ista divisio est in species specialissimas, aut inalteras: neutrum horum: ergo non est accurata. Prob. min. imprimis non est in species specialissimas: quia sensitivum ulterius dividitur: alias species sensuum, tam interiorum, quam exteriorum. Deinde neque in species subalternas: nam intellectivum sub se plures species non complectitur, nimis plures potentias specificas distinctas. Resp. hanc divisionem esse in species subalternas, quia ulterius intellectus humanus, de quo est sermo, in intellectum agentem, & possibilem subdividitur; hi autem ab invicem specie distinguuntur.

48 Arg. 3. illud, quod est commune omnibus potentiis, non debet reputari speciale genus animæ: sed appetere cuiuslibet potentiam animæ competit: ergo appetitivum nequit speciale genus potentiarum animæ constitutere. Prob. min. visus enim appetit visibile, secundum illud Ecclesiast. c. 40. Gratiam, & speciem desiderabit oculus, &

super hoc virides sationes. Conf. nam etiam memorativum est quoddam genus potentiarum: imò & gressivum, nam aliqua animalia gradiuntur; alia vero non: ergo genera potentiarum sunt septem.

49 Resp. ad arg. cum D. Th. loc. cit. quod appetitus naturalis est inclinatio cuiuslibet rei in aliquid ex natura sua. Unde naturali appetitu visus desiderat visibile ad videndum, & quaelibet potentia desiderat sibi convenientem appetitu proprio ac particulari: sed appetitus animalis formam apprehensam consequitur & ordinatur ad appetendum quæ sunt convenientia toti animali: unde ad hoc requiritur specialis animæ potentia, & non sufficit sola apprehensio: res enim appetitur sub ratione boni, quod est in rebus sicut verum in intellectu: seu appetit res in natura sua. Ideo cum animal appetit hoc appetitu rem visam, non absoluè appetit ad videndum, sed in alios usus etiam: videre autem appetit appetitu proprio ipsi potentiarum visivæ. Resp. ad conf. quod memorativum sub sensitivo continetur: quia objectum ejus est sensibile, & ipsa memoria est potentia sensitiva. Gressivum autem sub motivo secundum locum comprehenditur.

50 Arg. 4. appetitivum aliud sensitivum, aliud rationale, seu intellectivum: ergo sicut sensitivum, & intellectivum duo genera potentiarum animæ constitutum, appetitus rationalis, & appetitus sensitivus. Unde illa genera erunt sex. Conf. principium movens in animalibus est sensus, vel intellectus, aut appetitus, ut docet D. Th. 3. de anim. l. 4. ex iust. ibid. ergo loco motivum non distinguitur ab intellectivo, sensitivo, & appetitivo.

51 Resp. ad arg. con. ant. & neg. conseq. Discriben est: quia genera potentiarum distinguuntur secundum rationem genericam objectorum. Intelligibile autem, & sensibile simpliciter constituunt duplē rationem genericam: quia intelligibile est genus immaterialitatis, & nihil intelligitur nisi sit immateriale, vel immaterialitatis modum habeat. Unde sensibile secundum se non est intelligibile, sed quatenus dgnudatur à sensibilibus conditionibus; & remanet solidum ratio sensibilis abstracta, quæ immaterialitatem prout sic induit: sensibile autem est genus corporeum, & mate-

riale. Materiae autem, & immateriale simpliciter, & physicè genere differunt, & sunt in diverso ordine rerum. Vnde sensitivum, & intellectivum simpliciter, & physicè constituant duo genera potentiarum. At vero bonum, quod per utrumque appetitum appetitur, sub eadem ratione generica appetitur, nimirum ut conveniens, & ut habens esse in re: licet ex modo attigendi illud quod appetitur, nimirum ut apprehensum per rationem, vel per potentiam sensitivam cognoscitayam, duplex postea distinguatur specie appetitus, nimirum sensitivus, & rationalis. Nam appetitus sensitivus, qui etiam dicitur animalis, est qui sequitur animam quatenus per sensum res apprehendit, & suum actum non fortitur, nisi prævia apprehensione sensitiva in alia potentia. Appetitus autem rationalis est, qui sequitur animam, quatenus res per rationem apprehendit. Et quia modus apprehendendi per rationem est universalior, quam modus apprehendendi per sensum, ex hoc capite distinguuntur isti appetitus specie: tamen ratio generica, & radix specificandi, & movendi una est, scil. conveniens bonum.

§2 Ad conf. respondet S. D. loc. cit. ad 4. Quod quamvis sensus, & appetitus sint principia moventia in animalibus perfectis; non tamen sensus, & appetitus in quantum huinsmodi sufficiunt ad movendum, nisi superadderetur aliqua virtus. Nam in immobilibus animalibus est sensus, & appetitus, non tamen habent vim motivam. Hæc autem vis motiva non solum est in appetitu, & sensu, ut imperante motum, sed etiam est in ipsis partibus corporis, ut sint habilia ad obediendum appetitui animæ moventis. Cujus signum est, quod, quando membra removentur à sua dispositione naturali, non obediunt appetitui ad motum.

§3 Ad pleniorum intelligentiam nota ex eodem S. D. Opusc. 43. ad motum progressivum animalium. triplex principium concurrere: unum ut directivum motus, quod in homine est intellectus practicus, in animalibus vero imaginativa, seu extimativa: aliud quasi impulsivum, & imperatiuum ipsius motus, quod

ib homine est voluntas, ceteras potentias ad exercitium movens; appetitus vero sensivus in animalibus. Tandem est aliud principium executivum illius motus, & hoc dicitur potentia locomotiva. Quæ à principio directivo, & impulsivo mouis reipsa quidem distincta est, ut probat ratio D. Th. hic insinuata.

54 An vero hæc potentia sit verè potentia activa, & elicitive motus localis progressivi animalium. An vero solum potentia passiva, seu principium passivum illius addubitant DD. & in resolutione diligunt. D. Caiet. lib. 3. de anim. cap. 8. censer eam solummodo esse passivam; appetitivam autem esse verè potentiam activam, atque motus elicitive. Idem docent Ferrara 2. cont. gent. cap. 82. & alij quamplures, quos citat, & sequitur M. Martinez de Prado lib. 2. de anima q. 16. §. 4. num. 19. ubi plura D. Th. testimonia congerit in favorem hujus sententiae; præfertim ex 1. p. q. 15. ar. 8. ubi ait: *Vix motiva exequens motum est per quam membra corporis redundatur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non est movere, sed moveri.* Idem docet 1. 2. quest. 17. a. 9. & 2. cont. gent. cap. 82. qu. unic. de anim. art. 9. ad. 6. & alibi sape. Ratio autem ad hoc asserendum est: tum quia in Angelo movente Cœlum voluntas est principium elicitive motus localis: ergo etiam in animali voluntas est principium elicitive illius motus quo movetur corpus. Antec. est D. Th. Quodlib. 6. ar. 2. & à nobis supra aliterum, in lib. de Cœlo. Tum etiam quia motus localis animalis non sequitur appetitum merè naturalem, sicut actus animæ vegetativæ; nec impetum naturæ, sicut motus gravium, & levium: sed appetitum, seu vires sensitivas, quæ in partibus corporis, scil. muscularis, & lacertis non sunt.

55 Alia sententia affirmat esse potentiam activam, & non passivam. Ita Montesino 1. 2. disp. 13. q. 5. Gregorius Martinez q. 9. ar. 5. dub. 3. M. à S. Thoma hic quest. 12. ar. 7. & alii quamplures apud dictum M. Martinez ibid. §. 3. num. 12. Adducitur etiam D. Th. pro hac sententia 1. p. q. 75. cit. in solut. arg. Et Opus. 43. cit. Et tandem in 2. dist. 18. q. 2. a. 3. ad 1. ubi ait:

ait: *Est duplex virtus motiva, una imperans, altera imperata. Imperans est virtus appetitiva sensitiva: cuius actus constat quod non est sine organo corporali. Virtus autem motiva imperata, & exequens motum est vis quedam muscularis, & lacertis affixa.* Prob. primo, quia de ratione cuiuslibet potentiae animae est quod sic activa, cum motus vitalis quilibet sit a principio activo, & non pure passivo. Secundo quia actus imperans non elicit immediate actum virtutum imperatarum, alias elicet actus omnium potentiarum immediate. Tertio quia si membra corporis mere passivè se haberent, possent semper & ad nutum moveri ab appetitu, quod constat esse falsum. Tandem quia satis congrue, & convenienter nequit assignari actus, quo appetitus talem motum eliciat: quia non fit per actum aliquem, quo velit talem motum fieri, cum saepe corporis membra moveantur sine actu volitionis, ut patet: quis ergo erit ille actus?

56 Ut mentem D. Thomæ, & veritatem attingere valeamus notandum est ex D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 2. ar. 3. quod potentia locomotiva dupliciter sumi potest: primo in comparatione ad alias potentias animæ superiores: secundo in ordine ad corpus: nam quælibet potentia est virtus animæ, in substantiis ejus radicata; anima autem secundum D. Augustinum in lib. de spirit. & anim. est substantia rationis particeps regendo corpori accommodata: unde cum regat, & moveat illud ad operationes medianibus potentiis, istæ respiciunt corpus, ut mobile ab ipsis, vel partes corporis. Verum quia in moventibus est ordo, ac subordinatio, secundum quam superiora movent inferiora, inter ipsas potentias, quæ sunt virtutes moventes, etiam subordinatio reperiri debet, ita ut una sit ut regens, vel imperans, alia ut directa, & mota: unumquodque autem movet & regit secundum quod est actu; movetur vero secundum quod est in potentia: unde potentia inferior est quodammodo passivum quid, & in potentia respectu superioris movensis, ac dirigentis.

57 Dico igitur, quod si sumatur potentia locomoti-

va pgr respectum ad corpus quod regat ab anima...
 cœu instrumentum illius , vere est potentia activa &
 principium, actuum motus naturalis, ut bene probant
 rationes pro secunda sententia adductæ : principium
 quidem proximum , & particulare . Sed si sumatur per
 comparationem ad potentias superiores , tunc est ut
 principium passivum , & ipsa movetur ab appetitu , ut
 imperante , & efficienter determinante illam ad exerci-
 tium motus : tamen motus ut specificatus , & in ratione
 motus processivi non exit nisi à potentia motiva ut à
 principio proximo activo formalí illius .

58 Quod hæc sit mens D. Th. colligitur ex 2. cont.
 gent. cap. 35. ubi ait : Deus agit voluntariè in rerum
 productione , non autem quod sit aliqua ipsius actio me-
 dia , sicut in nobis actio virtutis motivæ est media in-
 ter actum voluntatis & effectum , sed oportet , quod
 suum intelligere , & velle sit suum facere . Ex quibus
 sic arguo : si voluntas absolute esset principium actuum
 illius motus , quo movetur corpus progressivè , per actum
 suum proprium moveret corpus : & sic suum velle esset
 suum facere : sed hoc expresse negat D. Th. & consti-
 tuit actionem medium inter actum voluntatis , & effec-
 tum , quæ est potentia motivæ : ergo secundum D.
 Th. vere potentia motiva , ut comparata ad corpus , est
 activa : quia est virtus formæ naturalis , à qua moue-
 tile progredivens naturalis est ; ac per consequens à princi-
 pio activo intrinseco . Min. potest prob. ex his quæ ad-
 duximus supra ex S. D. p. q. 78. a. 1. 4.

59 Itaque sicut causa secunda libera potest considera-
 ri absolute , & in ratione causæ , ac per ordinem ad ef-
 fectum , & sic est activa simpliciter : & per subordina-
 tionem ad causam primam , quæ primo influit , & de-
 terminat eam ad agendum , & sic est quodammodo
 passiva & se habet in moveri ; ita pariter de virtute lo-
 comotiva dicendum est : quod nimirum in ratione po-
 tentiæ , & virtutis animæ deservientis ad movendum cor-
 pus simpliciter activa est ; tamen se habet in moveri re-
 spectu voluntatis , & intellectus . Et quia illud quod con-
 venit proximè rei , maximè præbet illi denominatio-
 nem , ideo simpliciter asserendum est esse virtutem acti-
 vam ,

vam, inferiorem tamen ac imperatam; in quo conno-
tatur ratio passivi. Et ex his conciliantur facile loca D.
Th. Nam ubi dicit *aetum potentiae motivae non esse
movere, scil. per modum potentiae superioris, sed mo-
veri per modum exequentis*, loquitur de ea per com-
parisonem ad appetitum, ut intuenti luce meridiana
clarius innotescet. Ad rationem desumptam de intelle-
ctu & voluntate Angeli, patet ex his, quæ diximus in
lib. de Cœlo. Et juxta hunc dicendi modum explicatum
restat, quo actu appetitus motus illius sit principium:
dico enim quod actu imperii proximè, prout supponit
tamen cognitionem, & desiderium boni convenientis,
per motum adipiscendi. De hac q. potest videri M. Ban-
nes i. p. q. 78. a. i. dub. 2.

60 Ex dictis sequitur primo non unicam duntaxat es-
se animæ potentiam, sed plures: quia anima, præfer-
tim rationalis, plura bona consequenda respicit, ad
quorum consecutionem requiruntur plures, & diversæ
operationes, ac per consequens plures potentiae: quæ
sunt formalia, & proxima hujusmodi operationum prin-
cipia. Sequitur 2. in potentiis animæ ordinem esse: quia
cum ab una anima ad multitudinem potentiarum pro-
cedatur, aliquem ordinem reperiiri necessum est. Tri-
plex est hujusmodi ordo: duo accipiuntur penes depen-
dentiā, quam una potentia ab alia dicit: aliis verò
secundūm ordinem objectorum. Primus ordo est na-
turæ, & intentionis, prout perfecta sunt naturaliter
imperfectis priora: & secundūm hunc ordinem poten-
tiae intellectivæ sunt priores sensitivis, sensitivæ autem
vegetativis. Secundus ordo est generationis, prout ab
imperfectis ad perfecta proceditur: & secundūm hunc
ordinem potentiae animæ nutritivæ sunt priores sensitivis:
unde ad earum actiones preparant, ac disponant
corpus: sensitivæ autem sunt priores intellectivis. Se-
cundūm autem ordinem objectorum quedam sensitivæ
sunt priores aliis, & similiter intellectivæ. D. Th. loc.
cit. q. 77. a. 2. & 4.

61 Sequitur 3. quod una potentiarum fluit ab anima
mediante alia. Tum quia in his, quæ secundūm ordi-
nem naturalem procedunt ab uno, sicut primum est causa

omnium , similiter id , quod est primo propinquius , est quodammodo causæ eorum , quæ sunt magis remota . . Tum etiam quia potentiae cognoscuntur per actus : sed actus unius potentiae causatur ab alio , sicut actus phantasie ab actu sensus : ergo una potentia animæ causatur ab anima , mediante alia . Secundum triplicem ordinem supra assignatum hoc fit . Potentiae igitur , quæ sunt priores secundum ordinem perfectionis & naturæ , sunt principia aliarum per modum finis , & principii activi : sic sensus est propter intellectum , & est quædam deficiens participatio intellectus : quapropter procedit ab anima mediante intellectu , cœu principio activo , & fine . Potentiae autem inferiores secundum ordinem susceptivi , & veluti materialis , ac dispositivi sunt priores , & principia respectu aliarum : sicut anima prout habet potentiam sensitivam consideratur sicut subiectum , & materiale quoddam respectu intellectus .

QUÆSTIO VII.

DE POTENTIA GENERATIVA.

Postquam de anima in communi , ejusque proprietatis , seu potentiis differuimus , agendum supereft de anima vegetativa , ejusque potentiis , quia est prior , & veluti fundamentum ; invenitur enim sine aliis , sed non aliæ sine ipsa . Vegetativa autem animæ tres sunt operationes propriæ , nimirum generare , alimento uti , & crescere seu augeri , vel augmentum facere : & subinde vegetativa partis tres assignantur potentiae , nimirum potentia generativa , per quam corpus acquirit esse viventis ; augmentativa , per quam corpus vivum debitam quantitatatem assequitur , prout ad formam naturalem consequitur : & tandem vis , seu potentia nutritiva per quam corpus viventis salvatur , & in esse , & in quantitate debita , ut docet S. D. I. p. q. 78. a. 2. Unde imprimis de potentia generativa est agendum .

ARTICULUS PRIMUS

*Quid sit potentia generativa, quidve semen,
quod est instrumentum ejus.*

1 **C**oncl. potentia generativa optimè definitur: Vis animæ vegetabilis accipiens de corpore in quo est partem illi similem in potentia, & in ea per abstractionem aliorum corporum quæ illi assimilat, operans generari, & commisceri, atque convertens eam in similitudinem illius in effectu. Vis animæ vegetabilis, loco generis est: per hoc enim convenit cum potentia nutritiva, & augmentativa. In aliis particulis insinuantur propria materia, proprius finis, & actus virtutis ejus. Materia duplex est, scilicet semen virile, quod est simile generanti potentia ad formam specificam secundum se, & non ad hoc ut fiat actu pars animati corporis: per quod differt à materia nutritivæ potentiaz, quæ est potentia ut fiat actu pars animati corporis. Alia materia est sanguis menstruus, vel mulieris semen, quod semini virili commiscetur, ut sufficiat ad debitam corporis quantitatem. Actus etiam ejus duplex est, primus est decisio semenis à toto corpore & attractio ad vasa seminaria: secundus est operari similitudinem generantis in genito. Duplex etiam finis, nimirum figuratio formalis secundum lineamenta membrorum: & similitudo secundum formam specificam inducenda in genitum: & hic est finis intentionis, & præcipuus potentiaz generativæ.

2 Quoniam verò de semine passim nobis occurrit sermo, videndum est quid sit. Semen est corpus humidum, calidum, spumosum, & album, ex reliquiis alimenti ultimi, & spirituum ubique oberrantium permixtione vi testium, aut vasorum seminalium excoctum elaboratumque, ad perfectam animalis generationem. Humidum est, ut ab agente facile terminari possit, partiumque omnium ideam continere. Calidum, ut agat formas illas educendo. Spumosum ex spirituum permixtione & motu. Album ex perfecta decoctione.

in vasis seminalibus, ac testibus. Duplex ejus est materia, nimurum residuum alimenti ultimi, atque ipsi spiritus. Residuum autem alimenti ultimi est sanguis rubens, purus, & sincerus à tranco venæ cavæ per spermaticas venas ad vas aorta præparantia, testesque, ac vas seminalia delatus. Est alia materia seminis nobilior, nimurum spiritus per arterias spermaticas delati, qui ignei, aereique sunt. Hinc duplex apud Philosophos semenis natura, aërea altera & spumosa: altera aquæ, & defluens. Hæc duplex materia in plexibus illis labyrinthis permiscetur, in quibus vena arteriam, arteria venam ingreditur, fitque illa celebrata vasorum anastomosis: & ex sanguine, ac spiritibus illis unum corpus efficitur.

3. Ut autem plenius intelligatur quomodo semen sit ex alimenti superfluo supponendum est ex Aristot. quod quidquid in corpore continetur, aut pars corporis est, aut alimentum, aut colligamentum, aut excrementum. Semen autem neque est pars, quia ex ipso permanente nihil constitutur: neque alimentum, neque enim excernetur. Multò minus est colligatio: hæc enim ab omni humido fit, nec propriam habet sedem; at verò semen propria habet conceptacula. Erit igitur semen excrementum. In omnibus autem animalibus viviparis excrementum duplex omnino est: alterum naturaliter constitutum & utile, alterum inutile. Utile alicui est rei, aut alende parti, aut proli suscipienda, gignenda, & nutrienda proficuum. Inutile autem, ut pote dissimile assimilari nunquam potest. Illud sola copia superfluit, & quantitate sola excrementum dicitur, hoc qualitate tota noxium est. Chylus, qui sit in ventriculo ipsi ventriculo elaboranti gratus est, sed tandem tanquam superfluum quid in intestina detruditur: & ita quod ventriculi fuit excrementum, fit hepatis alimentum. Sanguine satiatum hepar, quod reliquum est, tanquam redundans, pellit in venas majores; sic hepatis superfluum, seu excrementum singularium partium conveniens fit alimentum. Sanguine saturatae partes, & carnosæ, & solidæ, quod reliquum est, tanquam redundans relinquunt in venis. Reliquæ istæ

istae sensim , & paulatim trahuntur à testibus , tandemque in feminis naturam faceant . Hac ratione semen dicitur superfluum alimenti ultimi , seu excrementum , quia ex reliquis alimenti generatur . Hunc sanguinem vasa seminalia immutant , alterant , candoremque concedunt , & virtutem ultimam ad concurrendum ad ipsam generationem , & conceptionem prolis .

Semen , cùm partium omnium ideam in se continet , fatalemque vivendi , ac moriendi necessitatem , varia præparatione , coctione , ac elaboratione indiget . Unde variae partes ad ipsum dicatae sunt , vasaque non pauca . Quædam sunt vasa semen præparantia , nimirum duæ venæ , & totidem arteriæ , quæ ab Aristotele vocantur meatus venales . Venarum dextra immediate à trunco venæ cavæ descendantis oritur ; sinistra ab emulgente ramo . Illius sanguis purior est , & peregregie coctus : hujus verò aquosior , & sero multo dilutus . Arteriæ autem illæ spermaticæ , vitæ spiritum testibus deferentes , ambæ à trunco descendantis aortæ prodeunt . In his vasis , quæ multis plexibus , & gyris intorta sunt , anfractibusque implicita dealbatur sanguis , siue velut rudimentum futuri feminis , sive insitavorum vi , sive per irradiationem testium , aut per utrumque .

Alia sunt vasa semen excoquentia . Quæ licet quatuor sint , tamen miro artificio implicata unicum corpus effingunt , quod *Epididymis* communiter vocatur . Diffinitur Epididymis : corys oblongum utrique testis extremo adherens , in medio aliquantulum dehiscens , excoquendo & dealbando semini dicatum . In superficie membranosum appetet , sed intus glandulosum est . Testibus per exiles fistulas adhaerescit : quæ sunt meatus quidam per quos in testium substantiam attritu frigilem , & cavernosam semen corrivatur : ubi formam , perfectionem & fœcunditatem consequitur secundum Medicos . Excoctum , elaboratumque semen in Epididymide , & testibus , tandem in vasa duo Epididymidi continua & ab eo prodeuntia fertur , quæ deferentia , aut ejaculatoria dicuntur . Exilem , & ferè insensibilem cavitatem habent . Semen enim , cùm sit ignea

igneæ , & aëræ naturæ ratione spirituum , quibus turget , ea facile permeat . Per hos meatus semen jam prolifica specie ornatum desertur in vesiculas , tanquam in penu , & promptuarium in quo asservetur . Quæ vesiculæ positæ sunt ad cervicis vesicæ initium , inter vesicam , & rectum intestinum , vasorumque deferentium propagines esse videntur . Geminæ sunt mītis & antræ tuosis cavitatibus implicatae , ne uno ex eis totum semen effluat . Ibi glandosa duo corpora apparent candidissima semen excipientia & conservantia , quæ appellantur *glandosi præsides* : ibi semen incrassatur perficiturque , & candidius efficitur . Et secundum Aristotalem in his vasis spermaticis , & non in testibus fœcunditatem , & speciem prolificam consequitur . Et ratione hujus prolificæ virtutis , ac fœcunditatis semen dicitur esse principium generationis effectivum .

ARTICULUS SECUNDUS

Utrum femina activè concurrat ad generationem prolis.

6 **S**ensus difficultatis est , an feminæ emittant semen prolificum , seu habens hujusmodi virtutem prolificam , & formativam partium corporis , in quantum agit virtute animæ , seu generantis : an vero solum materiam aliquam congruam , scilicet sanguinem menstruum , aut humorem aliquem , ministrent ab eis decisum , & attractum ad locum ubi formari debet fœtus , scilicet uterum , in quo seminum fit commixio , ceu in horto , & arvo feracissimo sementem excipiente , & matrice nobilissima : vigente calore multo , quia intum semen hoc indiget , ut suscitetur , concipiatur , formatur . Affirmant communiter Medici . Negant Peripatetici cum Arist. lib. de generat. animal. & D. Th. in 3. d. 3. & alibi sæpe , & D. Alb. M.

7 Notandum est ex S. D. in conceptione prolis triclicem actionem inveniri . Prima & præcipua est formatio & organisatio corporis . Secunda est actio orga-

nisationem precedens, & preparatoria materiae ut formatio prolis fiat ex materia convenienti, & non ex qua cunque. Et hujusmodi virtus est imperfecta respectu virtutis formativae organisantis corpus. Quemadmodum enim ars, quæ formam operatur, arti, quæ tantum materiam disponit, principatur & imperat; v. g. ars navium compaginans ei principatur, quæ tantummodo complanat ligna: haud secus virtus materiam ad conceptum preparans, ac disponens est imperfecta respectu ejus, quæ ex materia preparata, ac disposita prolem format. Tertia actio est concomitans, vel consequens actionem principalem; sicut enim locus ad optimam generationis rationem nonnihil conductit, ita & bona matricis dispositio ad bonam prolis dispositionem confert, quasi fomentum præbens. Certum est feminam activè ad prolis generationem quodammodo concurrere tam præparando materiam, quam bona matricis dispositione. Tota ergo difficultas procedit de prima actione procedente à virtute illa formativa residente in semine.

8 Concl. femina activè non concurrit, seu non emitit verum semen prolificum, & habens virtutem illam formativam organisationis corporis. Prob. ex S. D. i. si necessum esset feminineum semen ut principium activum & prolificum activè concurrens ad formatiōnē fœtus, in omni generatione deberet emitī, & co mediante femina activè concurrere, ut verana matris rationem haberet: sed hoc non: ergo femina activè non concurrit emittendo semen prolificum, & formativum organisationis corporis. Prob. min. nam B. Virgo est vere mater Christi: sed tamen non emisit semen prolificum: tum quia illa conceptio in instanti perfecta est; activum autem illud principium creatum per virtutem creatam operans conceptionem in instanti non perficit. Tum etiam quia haud satis facile esset veneram quandam delectationem, ac sensibilem à tam pura conceptione proscribere, intactaque & illibatum Maternitate Virginitatis jura servare. Congruentius ergo est ac magis consonum asserere quod materiam, nimirum purissimum sanguinem ministarit, passivèque ad formationem corporis Christi concurrerit?

242 Quæst. VI. De potentia generativa.
quia secundum hanc sententiam, inquit S. D. potest sal-
vari virginitas Beatissimæ Virginis Mariæ, & eju-
maternitas.

9 Secundo prob. ex eodem S. D. agere sequitur a
esse perfectum, unumquodque enim agit secundum
quod est actu illud quod agit: sed sperma seu semen
muliebre non habet perfectum esse: ergo non poterit
pertingere ad organisationem corporis, & operationem
membrorum radicalium.

10 Dices quod semen mulieris virtutem fortiatur im-
perfectam, qua tamen per formativam virtutem semi-
nis virilis ad perfectum esse adducitur. Contra; quæ-
libet virtus naturalis suapte natura operativa & activa
de se aliquem effectum producere potest, saltem eo mo-
do quo virtus est: ergo saltem illa virtus debilem ef-
fectum aliquem producet ex se, & sine consortio se-
minis virilis, si conjugatur sanguini menstruo, cœu
materiæ, in quam agat; unde saltem imperfectam
organisationem membrorum sine consortio semenis vi-
rilis operabitur. Nec satisfacit, si dixeris illam virtutem
solum esse in potentia in semine mulieris, & effici
in actu per virtutem formativam semenis virilis; nam
quando duo corpora sunt ejusdem generis & naturæ,
unum in virtute sua activa non est potentia ad alterum,
quia virtus sequitur naturam & formam: sed duo semi-
na, per ipsos, sunt ejusdem essentiæ & naturæ: ergo
semen mulieris in sua virtute activa non poterit esse
potentia ad semen viri, sed simpliciter est ut quid ma-
teriale, & passivum.

11 Conf. i. per illos semen agit ut continens ideam
omnium partium corporis; sed idea dicit virtutem in
actu, seu formam, qua est principium actuale prox-
imum operandi: ergo non est in potentia. Conf. 2.
generans se habet per modum artificis operantis per
virtutem suam formativam sicut ideam: sed videtur
quod in artibus, seu artificibus subordinatis inferiori
non pertingit ad introductionem ultimæ formæ, sed
solum materiam præparat & disponit, sicut ille qui
complanat & dolat ligna respectu ejus qui navim com-
paginat ut superior & Architectus: ergo cum virtus in
mu-

muliere sit imperfecta , & inferior respectu virtutis in semine virili residentis , non potest pertingere ad inducendam ultimam formam , sed solum materiam præparat , ut sit materia conveniens , in quam virtus seculmis virilis agere possit . D. Th. in 3. d. 3.

Solvuntur Argumenta.

12 **O**bijicies : in feminis sunt omnia vasa semini procreando , excoquendo , & deferendo dictata , ut Anatomici experientia probant : hæc latè describit Andreas Laurentius peritissimus Archiater , & Medicus lib. 7. c. 8. & seq. sed natura temerè nihil frustra molitur : ergo semen emitunt activeque ad generationem concurrunt .

13 Dices serosum tantum , & aqueum humorem ibi contineri . Contra natura nunquam plexus formavit nisi ad coctionem , & elaborationem novam : sed vasa illa plexibus labyrinthis implicita sunt : ergo ad elaborandum perfectum semen . Contra 2. ibi reperitur coniunctio venæ spermaticæ cum arteria sicut in maribus : sed non alia sanè de causa , nisi ut duplex materia permisceatur , & ex sanguine ac spiritibus unum fiat corpus , quod est semen : ergo ibi continetur verum semen .

14 Dices , quod vasa illa id præstant in mulieribus , quod mammæ in viris . Contra virorum mammæ ad ornatum , & robur : feminarum vero teites nisi excoquendo semini dicatos putes , inutiles erunt . Virorum mammæ glandosæ non sunt , nec lac generant : feminarum testes glandosi sunt , ut in maribus . Præterea cur ejaculatoria vasa , quæ à testibus ad uteri latera , vulgo cornua , feruntur , mulieribus magis intorta quam viris , nisi ut viæ breviores plexuum varietate compensaretur .

14 Confir. certissimum est in coitu aliiquid à mulieribus excerni , unde voluptas , & titillatio : sed id quod excernitur , nec sanguis est , nec serosus quidam humor : ergo semen excoctum . Prob. min. imprimis sanguinem esse nemo nisi mente captus affirmabit : nam fluentibus menstruis titillatio nulla , voluptas nulla persentitur , immo quamplurimæ diris torquentur cruciatibus . Serosum , &

incoccum humorem non esse; mirabilis vasorum præparantium, & flexuum structura convincit: ergo est elaboratum quid, & excoctum quod excernitur, nimurum semen perfectum. Et quidem semen esse, & color albus, & crassities, & spirituum, quibus undique turget, copia satis declarat. Si feminarum, quæ diutius à coitu temperarunt, organa secentur, videbis eorum vas, & testiculae semine circumfluere. Ab eisdem etiam quandoque per insomnia copiosissimum semen erumpit. Imò & dum semine turgent eorum genitalia, libidinis stimulis agitatae furias sæpe, & rabiem colligunt: quo excreto, omnino mansuecunt, & feritatem deponunt. Et tandem docet quotidianus usus castratas animalium feminas nullo jam maris amore ardere, in eisque libidinis stimulus omnino extingui: immo & ad conceptiones ineptas esse.

¶ Si autem dixeris semen illud infœcundum esse, & nulla vi agendi præditum, instant Medici cum Galeno: c. i. Spiritus, inquiunt, per arterias spermaticas delati, & exquisitè in labyrinthis plexibus cum sanguine permixti, an in prima conformatione otiosi feriabuntur? Nunquid ex iis tanquam materia spermaticæ partes generabuntur? Aget ergo feminarum semen, sed imbecillus, quam vici, quia minus calidum, minusque spirituosum. Secundo quia foetus alias patri, alias matri similes esse omnibus est exploratum: simililitudo autem hujusmodi à sanguine menstruo solo esse nequit; quia semper matri similes essent: nec à semine solo maris, quia patri semper similes essent: ergo à communis causa ab utroque manante, communis autem causa semen est. Tertiò, morbi hereditarii in sanguine menstruo causam habere nequeunt; etsi enim debilem, & morbosum fœtum reddat, at renibus calculosam dispositionem v. g. imprimere soli hoc semi ni concessum est, non vero sanguini impuro, qui singularium partium ideam in se continere nequit. Tandem, quia formatio omnis, & specificatio à semine est, non à sanguine: materia enim, ut materia est, speciem mutare non potest: sed fœtus secundum speciem matri potius assimilatur, quam patri. Nam si ovem caper inierit, ovem duriori lanitio; si capram aries, capram molliori pilo gigni ait Athenaeus: ergo à matre vis aliqua formatrix;

hæc

hæc autem non sanguini, sed feminini indita est. Hec sunt potiora argumenta, quæ in favorem huius sententia proponuntur apud Andream Laurentium lib. 8. q. 5.

15 Ad singula respondendo dicimus, vasa equidem illa in feminis reperiri, nec frustra esse: nec tamen ad id pertingere posse ut perfectum semen decoquunt, optimèque elaborent, ut possit esse vis organisans corporis animati formationem, quæ est actio perfecta, & finis: sed solum est materia congruens, seu conveniens, ut virtus formativa, quæ est in semine viri, in eam agere queat. Unde simpliciter nomen, & rationem feminis, seu spermatis non habet, quod potissimum tale denominatur à virtute formativa, quæ est in ipso, ut docet D. Alb. M. lib. 9. de animal tr. 2. c. 3. Et in hoc est discrepantia Peripateticorum à Galeno, qui feminæ muliebri non solum tribuit esse materiam congruam, & convenientem, ut in ea fiat generatio; sed etiam virtutem informativam membrorum radicalium. Quam virtutem ei denegant Peripatetici, eamque totam esse volunt à semine viri, quod habet alterare, immutare, ac separare materiam illam ad membrorum diversorum organisationem.

16 An vero sit dicendus sanguis menstruus, vel serfus humor, de nomine quæstio est. Quidam antiqui compellarunt ipsum nomine sanguinis mensilrui, prout sanguis menstruus communis vocabulo exprimit quidquid in matrice est materia competens & congrua ipsi generacioni: sive sit sanguis nutritius ruber, sive dealbatus in illis vasis seminalibus. Verum tamen est sanguinem illum dealbatum, qui imperfectè, & secundum substantiam, sperma dici potest, esse materiam magis congruam: quia cum sit jam nonnihil digestum facilius à calore igneo, qui est in semine virili, digeri potest, & assimilari spermati ut congruum fiat ejus nutrimentum. Attrahit præterea sanguis menstruus, & assimilatur virtute spermatis ad debitam corporis & partium illius quantitatem, quæ valde modica esset si solum humores viri & mulieris ad ejus constitutionem commiserentur.

17 Hujus rei gratia notandum est, quod cum isti humores sunt in matrice commixti, clauditur matrix, & tunc sperma viri attrahit ad se humorem mulieris, &

super ipsum conglobatur, veluti sperma galli in albumen ovi. Matrix subito illa operit, ne sperma in vacuum matricis evaporet, incipitque menstruum retinere, ad ministrandum conceptui nutrimentum. Est enim in feminæ virtus duplex: generativa, quam à testibus, vel vasis semihiyalibus habet; & nutritiva, quæ est à membris, à quibus attractum est. Sperma namq; est superfluitas, quæ est in membris facta ad similitudinem membrorum. Unde sperma est humor membris assimilatus, & iam signandus formis, & figuris membrorum; sed nondum signatus. Ideoque virtuti formativæ facile est obediens ad omnis membra formam suscipiendam: sicutque nutritiva illa virtus generativæ deservit. Deinde autem ex calore spermatis generatur quædam pellis duos humores involvens: & cum virtus operatrix sit in spiritu, totum vel major pars spermatis probabiliter dicitur properi sui subtilitatem in spiritus converti; pervadereque humorem muliebrem veluti materiam suam. Est enim spiritus virtutis vehiculum. Hic duo præstat, materiæ distensionem, reddendo aptam ut membrorum lineamen-
ta suscipiat: deinde perforat penetrando ea quæ circa ipsum sunt. Et quia major copia spirituum sursum tendit, ideo ibi organa magis perforata. Dico igitur quod in tali operatione femina præstat humorem, seu materiam competentem, in qua virtus activa seminis virilis medianibus spiritibus agit, & prolificat formando membra radicaha.

18 Vasa autem illa testesque in mulieribus ponit omnium pene consensu certum est: sed cum imperfecta sint, sufficit eis materiam præparare, & congruam efficere, ut in eam sperma agat dum in matrice modo præfato commiscetur, & ut sit nutrimentum primum & magis con-
gruum. Etsi enim muliebre semen virtutem generativam non habeat activam, & formativam membrorum radicium: tamen ex partibus unde attrahitur, habet virtutem nutritivam obedientem facile virtuti generativæ seminis viri, ad membrorum formationem. Unde & suos spiritus habet; egrediturque cum delectatione: atque habet convenientiam aptitudinis ad formam. Sed sanguis menstruus est materia non propria, & non habens

convenientiam aptitudinis ad formam : spiritibusque non turget . Unde cum delectatione non injicitur . Cum autem attrahitur sanguis menstruus per digestionem , & alterationem spermatis in matrice , pars ejus subtilior ipsi assimilatur ; & alia aut in lac derivatur , aut abjicitur . Sunt & vasa ad delectationem : quae maxima in eis extensivè debet esse , ne ob tot partus molestias à coitu deterreantur . D. Alb. M. loc. cit. c. 3. & 4. Unde castratae femella in animalibus libido , & coitus amore non extuant : quia incentivum voluptatis deest , & alioquin spiritus a testiculis earum non attrahuntur , sicut antea . Ex his patet ad conf.

19 Ad 1. quod adducitur pro fœcunditate prolificæ hujus semenis dico spiritus in organisatione , & conformatione non otiari , sed continere materiam in sua congruitate ut facile membra formam suscipiat : et forsitan coadjuvare , ut menstruus sanguis illuc attractus fiat materia propria , & habens convenientiam aptitudinis ad formam : non tamen formare membra radicalia , sed hoc totum deberi virtuti generativa activa , quæ est in semine viri . Ex D. Alb. M. ibid

20 Ad 2. resp. ex D. Alb. M. ibid. quod hujusmodi similitudo sit ex spermate viri , & sanguine menstruo congregatis ; secundum proportionem spermatis viri super sanguinem menstruum . Si enim spermia viri fuerit vincens , & figurans , erit perfecta similitudo ad patrem : si autem vicerit qualitas menstrui , & impedierit operationem spermatis in figura , & colore , erit similitudo ad matrem . Et secundum diversas alias proportiones , diversæ oriuntur similitudines secundum figuram membrorum , & colorem . Nec tamen inde colligendum putes semen muliebre activè concurrere . Duplex in spermate distinguenda est virtus : una ad speciem inducendam : & quoad hanc non querit nisi materiam humanæ speciei convenientem , & non attendit similitudinem aliquam . Alia est ex qualitatibus materiae derivata : & ea operatur complexionem , figuram , & colores : & secundum eam quandoque materia obedit in toto , & inducit similitudo patris . Aliquando resistit penitus qualitas materiae , ac perinde matris similitudo inducitur . Aliquando etiam in

parte vincit, & in parte succumbit, & tunc in diversis membris utriusque similitudo causatur. Aliquando tandem operatur secundum aliam qualitatem peculiarem, & tunc nullius parentum inducitur similitudo, sed avis, proavis &c. vel etiam extraneorum. Quoniam multa sunt superiora, & inferiora, quorum qualitates sunt in spermate, & sanguine menstruo. Unde cum generatio propriè ad speciem terminetur, solum sperma viri habet rationem principii activi. Ex his patet ad 3.

21 Ad quartum dico foetum etiam similem matri in specie evadere, quatenus ipsa preparat materiam congruamque efficit, licet virtus completriva, & formativa sit à semine viri: quia similitudo in specie ex duobus resultat, nimirum ex materia congrua & forma partiali unitis; quæ sunt causa intrinsecæ speciei.

ARTICULUS TERTIUS

In quo sit potentia generativa.

22 **N**otandum est ex S.D.r. p.q. 118. a. 1. quod, cum generans generato simile esse oporteat, necessarium est virtutem esse corpoream, per quam reducant materiam de potentia in actum. Quantò autem aliquid est perfectius, tanto majori virtute pollet, & actionem suam ad magis distans pretendere valet; v.g. quantò aliquid corpus est magis calidum, eo calefactionem in remotioribus producit. Corpora alia sunt non viventia, & hæc ordine naturæ inferiora sunt: unde generant quidem sibi simile, sed non per aliquid medium, sed per seipsa: sicut ignis per seipsum aliud ignem producit. Corpora autem viventia, & præstantiora sunt, & majori virtute prædita: ac perinde agunt. ad generandum sibi simile, sine medio, ac per medium. Sine medio quidem in opere nutritionis; in quo caro v.g. carnem generat: cum medio vero in actu generationis simpliciter. Quia ex anima generantis derivatur quædam virtus activa ad ipsum semen animalis, vel plantæ, sicut à principali agente quædam vis motiva-

ad

ad ipsum instrumentum derivatur. Modò est difficultas an in utroque modo agendi generans generet per virtutem activam generativam in se existentem.

23 Prima conclus. in viventibus potentia generativa prima, quæ est pars potestativa animæ vegetabilis, est in generante, istudque generat per virtutem sibi intrinsecam. Prob. ex S. D. tum quia potentia vegetativa objectum est, solum corpus animæ unitum: non enim potentia vegetativa agit nisi in corpus, cui anima unitur: ergo necessum est potentiam quamlibet vegetativam in ipso vivente residere. Tum etiam quia omnis operatio animæ est actio vita: sed vivum est, quod movet seipsum ad operandum: ergo omnem operationem animæ in vivente esse oportet: atque adeo generationem, virtutemque generativam in generante esse.

24 Secunda concl. potentia generativa secunda non est in calore illo, quo anima uititur ad digestionem, & generationem carnis, neque in semine deciso, veluti subjecto. Prima pars prob. calor ille naturalis est instrumentum virtutis generativæ & nutritiæ: ergo non est subjectum illius. Secunda pars etiam prob. postquam decisum est, quid vivum non est: quælibet autem virtus animæ est in ipso vivente: est igitur in ipso, cœu instrumento virtutis generativæ, & ejus actio non pertingit ad speciei assimilationem, nisi ut motio virtutis generativæ primæ, & radicatae in substantialibus animæ, cuius est instrumentum, & in cuius virtute operatur. Itaque ab anima cœu radice est virtus in organo generationis, quæ virtus semini, tanquam medio, & instrumento virtutem influit ad generationem, quæ generat membra secundum unamquamque virtutem congruam animali illius: omnium enim partium ideam continet. Vnde hæc virtus non incongrue dicitur virtus generativa secunda; quia causata est à prima, quæ licet non sit pars animæ nec anima, tamen actione animæ operatur. Vide D. Alb. M. sum. de hom. tract. i. quæst. 16. 2.

ARTICULUS QUARTUS

*Utrum potentia generativa in omnibus reperiatur
viventibus.*

25 **N**otandum est inter potentias animæ vegetativæ ordinem esse, tum generationis, tum intentionis, seu naturæ, & perfectionis, quemadmodum de omnibus potentiis animæ in communi supra explicatum est. Ordine generationis primo inest nutritiva, dein augmentativa, & tandem generativa. Nutritiva augmentativa deservit: utraque generativæ. Vnde generare est ut finis animæ vegetativæ, & opus illius perfectissimum, ut latius infra deducemus. Idcirco ordine naturæ & intentionis prior est potentia generativa.

26 In his autem, quæ cum ordine, & quadam successione operantur, & unum ab alio dimanat, non requiritur quod subiectum omnibus suis potentiis ornatum, & perfectum sit. Vnde videmus quod organa earum cum quadam successione formantur. Primo formatur cor, deinde hepar, & cerebrum: & formatis his, quæ sunt principalia, deinceps per hæc cætera formantur. Dein suum augmentum, incrementumque suscipiunt. Hoc autem quedam aggeneratio est: unde quedam communis ratio potentiae generativæ est in nutritiva, & augmentativa, imperfecta tamen respectu potentiae generativæ simpliciter. Et mediatis spiritalibus habentibus virtutem formativam à testibus, locum verò, & centrum in corde, paulatim perficiuntur organa generativæ potentiarum, cui formationi, & organisationi deserviunt nutritiva, & augmentativa: paulatimque virtus eis inditur ad generandum: sed hæc virtus nondum assequitur rationem naturalis potentiae, quo usque vigorosa sit ad agendum, & potius naturalis impotentia dicenda est, quam potentia. Quia hæc nominat principium proximum, concinnum, vigorosum, ac dispositum ad operandum. Unde non est necesse quod potentia ista pro omni tempore in sit ampli-

Articulus IV.

simpliciter , & completere : sed cum vivens assequitur esse perfectum , & secundum speciem , & secundum individuum .

27 Notandum est præterea animalia esse in triplici differentia : quædam simpliciter perfecta , quæ nunquam ex putrefactione fieri queunt , sed ex semine operante actione animæ , & formante paulatim , distinguenteque eorum membra , organaque quibus varias animæ operationes exercent : ut bos , leo , homo &c. & quæcunque animalia non modo præsens sensibili prosequentia , sed & absens , vigentiaque memoria ; & sensus omnes participantia . De quibus fuse agit D. Ald. M. lib. 21. de animal. tract. 1. cap. 3. Animalia vero sunt imperfecta , ex eodem ibid. cap. 3. quæ tam in membris , quam in participatione motus & sensus deficiunt : ut animalia , quæ generantur ex putri materia ; v. g. vermes , in his enim nulla organa sensus distincta , nisi tactus . Et his imperfectiora sunt spongiorum genera , quæ nonnisi tactum valde confusum fortiuntur : & solo contractionis , & dilatationis motu movent se . Inter animalia imperfecta etiam anguillæ computari solent . Ex his quædam generant , tamen sibi dissimile in specie : vel aliquid imperfectum generare dicuntur : v. g. muscæ vermes edunt . Alia nil penitus generare putantur , ut salamandra , & anguilla . Vide M. Bannes in p. par. qæst. 78. artic. 2. dub. 5.

28 Prima concl. in omnibus animalibus perfectis est potentia generativa , non quidem semper in ratione naturalis potentiaz ; sed multoties in ratione naturalis impotentiaz : sic in pueris , senibus , mulis , & aliis similibus est potentia generativa per modum naturalis impotentiaz : in viris autem est per modum naturalis potentiaz , cum possunt semen prolificum ex superfluo alimenti decidere : in mulieribus autem , cum humorem spermaticum , vel materiam congruentem ad generationem præbere valent . Reuoca in memoriam ea quæ diximus tom. 2. qæst. 9. a. art. 3. 2. nimirum non dici impotentiam naturalem per carentiam omnis potentiaz , seu defectum , sed quia potentia contrariis impedita dis-

2 Quæst. VII. De potentia generativa.

spositionibus non potest plenè vincere materiam, eam terminare, sed potius ab ea vincitur, & impeditur ne sit vigorosa ad naturales operationes exercendas. Neque dicitur quis naturaliter impotens propter aliquod impedimentum ab arte, vel extrinsecus adveniens, sed debet esse quid radicatum in substantialibus subjecti: v. g. mulæ carent semine menstruo, & muli semine, prolifico, propter eorum frigiditatem: ideo generativam quidem potentiam habent, tamen per modum naturalis impotentiae: quia tale impedimentum est in substantialibus subjecti: menstruum enim, & semen, substantialiter ad principia generativa spectant. Unde quandoque redditæ vigorosiore eorum potentia generasse dicuntur. Sed hoc raro accidit. Ratio est quia alias animalia perfecta non essent secundum animæ vegetativæ rationem: cuius pars est ipsa potentia generativa prima. Est tamen hæc quædam in eis imperfectio accidentalis, quia nequeunt operationem perfectam elicere, quæ est secundaria animæ perfectio.

29 Secunda concl. in animalibus simpliciter, & secundum suam speciem imperfectis non est potentia generativa per modum potentia naturalis, vel impotentiae naturalis: sed solum secundum quandam materię convenientiam, & actu inchoativo; quatenus scilicet est in eis nutritiva, cuius materia digesta est convenientis, ut ex ea formetur animal, seu ejus partes. Ratio est, quia tunc aliquid dicitur simpliciter perfectum, cum est potens sibi simile generare: sed per potentiam generativam, sive sit naturalis potentia, sive impotentia, efficitur vivens potens secundum formam suam, & speciem aliud simile generare: ergo si animalia imperfecta sub hac ratione potentiam generativam haberent secundum speciem suam non essent imperfecta, sed perfecta. Quod ergo aliquando generent non provenit ex aliqua vi activa naturali, quæ sit in semine, vel humore agente actione formæ: sed etiam tunc calor Solis se habet ut virtus formativa talis materiae, quæ quia convenientis est, facile reducitur ad actum, & non indiget multis motoribus. Unde non generant aliquid secun-

secundum speciem simile : vel si generent, idem est a colore , figura , &c. cum aliis ex putrefactione genit , quod manifesto indicio est , simile principium formativum in utraque generatione concurrere .

30 Hac de causa omnia animalia imperfecta , v.g. vermes , ranæ , &c. sive generentur ex putri materia , sive ex materia illa quæ vim humoris habet , seu materiae convenientis , non tamen seminis , ejusdem sunt speciei . Prob. species sumitur à principio activo ope- rante in materia congruenti : sed ibi est idem principium formativum , scil. virtus Solis , in materia con- gruenti ad generationem ipsorum operans : ergo sunt ejusdem speciei . D. T. 7. Metaph. lec. 6.

31 Conf. virtute Solis in terra bene disposita , & ma- teria congruenti generatur arbor , quæ producit semen , ex quo postea generatur alia arbor ejusdem speciei cum ea , quæ vi Solis genita est , quia in utriusque genera- tione calor & virtus Solis se habet ut principium ultimò formans & digerens materiam : sed virtus Solis in ge- neratione omnium animalium imperfectorum ita se ha- bet : ergo sunt ejusdem speciei , sive generentur ex putri materia , sive ex materia illa , quæ vim humoris habet .

Solvuntur Argumenta .

32 **A**Rg. multa sunt viventia quibus actus potentiarum generativarum competere non possunt : sed ubi non reperiuntur actus potentiarum generativarum , neque ipsa potentia generativa , quia omnis potentia est propter suas operationes : ergo potentia generativa non reperi- tar in omnibus viventibus . Prob. maj. actus potentiarum generativarum duplex est , nimirum decisio seminis ex su- perfluo alimenti , qui in yasis seminalibus exercetur , ubi semen virtutem formativam recipit , & operari si- militudinem generantis in genito , qui exercetur in se- mine . quod in matricem mulieris injectum similitudi- nem operatur in genito : sed hujusmodi actus in omni- bus viventibus non reperiuntur : ergo actus potentiarum generativarum in omnibus viventibus non reperiuntur .

Min;

114 *Ques. VII. De potentia generativa.*

M. q. prob. quia in semina , ut diximus , non est decisio generis , quod sit principium prolificum , seu generativum ex se speciei : unde femina definitur , quæ generat in se ex semine alterius suæ speciei : masculus vero , qui generat in alio suæ speciei ex semine proprio : similiter in plantis decisio seminis non est : ergo hujusmodi actus in omnibus viventibus non reperiuntur .

33 Conf. multa sunt viventia quæ non generant , ut muli , pueri , senes , & similia : ergo in illis non est actus generandi , & subinde neque potentia generativa .

34 Resp. ad arg. quod anima vegetativa est principium primum generandi sibi simile , sive per nutritiōnem , & augmentum , in quibus generatur pars similis , estque potentia generativa ibi sicut in materia convenienti , à qua semen decidi potest , si esset debitus calor , & virtus formativa , ut in animalibus imperfectis vel simile secundum speciem , & naturam per decisionem seminis ab ipso vivente habentis virtutem formativam ultimò . Licet non omnia animalia prorumpant in actum exercitum decisionis , nec omni tempore ; proper rationes dictas . Et licet femina non descendat semen ex se per modum principii formalis effectivi , ratione cuius ex se generare dicatur : bene tamen per modum principii materialis , ut diximus : ratione cuius ex se generare dicitur . D. Alb. M. loc. cit.

35 In plantis etiam est decisio seminis . Decisio enim quælibet in genere est separatio quædam nutrimenti à cibo : quod est natum conservare individuum : in quo separato per generationem species salvatur . Hujusmodi autem separatio in planta est : quia id unde fit generatio separatur ab eo quod est cibus , maxime ad sustentationem corporis plantæ . Verumtamen planta extra se non projicit semen . Dici etiam potest , & forte congruentius , in planta duplē generationem esse : alteram per quam ipsa planta in juventute pristinam reddit : & in hac generatum semper est pars generantis : unde fit ex nutrimento ipsius plantæ : altera est generatio plantæ similis in specie , per quam non salvatur nisi species plantæ , & non individuum : & hæc fit me-

medio femine deciso à nutrimento , & extra plantam
projecto : ut in nucleis , & fructibus accidit. D. Alb.
M. loc. cit.

36 Dices , ex his sequi augmentativam , & nutriti-
vam à generativa non distingui : nam si descendere se-
men est separare quandam partem nutrimenti , etiam
augmentativa separat quandam partem nutrimenti ad
augmentum : imò & nutritiva ad partem substantiæ ter-
minatur : si autem descendere semen fit per aliquod or-
ganum attrahere superfluitatem quartæ digestionis , &
maturatè ipsam , ita ut formam seminis recipiat , & vir-
tutem formativam alicujus similis in specie ipsi gene-
ranti , tunc non videbitur actus generativæ esse in plan-
ta , in quibus non est attractio partis nutrimenti ad or-
ganum unum , quod ei virtutem informativam largia-
tur . Planta enim in stipite , & in ramis , & in radice
profert surculos , virgas , folia , flores , & fructus .

37 Resp. neg. seq. Ad 1. prob. respondebitur infra ,
ubi ostendetur quomodo hæ potentiae ab invicem distin-
guantur . Ad 2. autem prob. dico quòd in plantis po-
tentia generativa speciale organum non habet , sed in
tota planta confusum : ideo ubique generatio accidit:
quia nimurum planta qualitatem eandem , & similitu-
inem habet in suis partibus . Eapropter nutrimentum ,
quod aptum est unam partem nutrire , est etiam aptum
nutrire partem alteram . Nullumque discrimin inter
humidum radicale , & nutrimentale in ipsis reperitur .
Ideoque ex humido nutrimentali in ipsis generatio esse
potest . Cujus signum est plantæ partes abscessas recres-
cere , quod in animalibus , organorum magnam diver-
situdinem sortientibus , non contingit . Ex nutrimento ita-
que , in quo dominatur humidum aquosum , facile di-
gestibile , folia erumpunt , ex nutrimento vero , in-
quo dominatur subtile terreum bene commiscibile
gæ , & farculi enascuntur . Et tandem ex eo , in-
quo subtile aereum cum aquo facile digestibili , & ma-
turabili commiscetur , fructus generantur , & sic de-
aliis . D. Alb. M. ibid.

256
QUÆSTIO VIII.
DE POTENTIA NVTRITIUA,
& nutritione.

Postquam egimus de potentia generativa, per quam corpus acquirit esse substantiale viventis, opera premium est differere de ipsa potentia nutritiva per quam corpus in tali esse salvatur.

ARTICULUS PRIMUS

An sit nutritio, potentiaque nutritiva, & quid sint?

Ipsa autem nutritiva, ex Avicenna lib. 3. natur. est vis animæ vegetabilis convertens corpus à corporeitate, in qua erat, in similitudinem corporis in quo est, & uniens ei cibum propter restorationem ejus, quod solutum est in illo. Vis animæ vegetabilis proprium indicat hujusmodi passionis naturalis subjectum in quo radicatur; unde ponitur loco generis: *Convertens* proprium ejus ostendit actum. Conversio enim activè versionem in se ex alie, & non in aliud propriè designat: nutritum autem mediante nutritiva convertit ad se cibum, non tamen in aliquam speciem novam, quæ priùs non esset: sed in speciem carnis, ossis, nervi &c. quæ priùs erant. Unde à generatione differt, quæ est transmutatio à specie in speciem aliam, & non propriè versio ad se. Corpus à corporeitate in qua erat priùs, designat propriam materiam, scil. cibum, qui à corporeitate physica, specie naturali cibi transit in speciem carnis &c. Cætera finem ipsius potentiae nutritivæ indicant. Hæ duplex est: scil. finis operis, & intentionis. Finis operis est conversio cibi in similitudinem corporis ejus in quo est potentia nutritiva, scil. nutriti. In hac enim sicut essentia.

ciens . Hnis intentionis & ultimus efficientem move-
est restauratio deperditi , seu ejus restauratio quod
hunc erat ex illo :

2 Difficultas ergo est impræsentiarum , utrum in-
vivente constituenda sit hujusmodi vis animæ vegetabil-
lis , & actio conversiva alimenti in substantiam nutriti
ad restorationem ejus , quod per actionem caloris
continuo agentis in materiam , seu partes corporis , de-
perditur ? Magist. in 1. d. 30. negativam sententiam
tenuisse videtur . Existimavit enim alimenti sumptionem
solanum in fomentum caloris naturalis : sicut in li-
quefactione auri plumbum admiscetur , ne aurum con-
sumatur , sed plumbum . Oppositum communiter do-
cent Theologi & Philosophi cum D. Th. ibid. q. 2. a.
1. c. & aliis multis in locis . Eandem sententiam asse-
ruit D. August. lib. de vera Relig. c. 40. his verbis : Ali-
menta carnis corrupta , id est , amittentia formam suam
in membrorum fabricam migrant .

3 Prob. ex eodem S. D. quia ad sensum experimur
ex crederi , & augeri : ergo & nutriti . Conseq. prob.
res augmentum suscipere nequit , nisi materia , quæ pri-
mò sub parvis dimensionibus terminata est , postmo-
dum ad maiores dimensiones perducatur : sed hoc non
nisi dupliciter fieri potest : nimirum , vel ita ut tantum
materiæ parvis dimensionibus subjaceat , quantum ma-
joribus dimensionibus substernitur: quod per rarefactio-
nen evenit , ut explicuimus lib. 2. de gen. q. 3. vel ita
ut plus materiæ sit sub majoribus , quam sub parvis di-
dimensionibus : augmentum autem viventis , corporis
humani v. g. per rarefactionem fieri nequit , ut patet :
ergo per novæ materiæ additionem : sed hæc materia
dupliciter tantummodo addi potest : nimirum , vel per
creationem novæ materiæ : vel per conversionem alterius

dicere materiam novam addi, ut si quantum
subjectum per circumpositionem, & non per
versionem illius in substantiam aliti. Nam, cetera
Ior igneus non minus in humidum naturale, seu ri-
cale, quam in nutrimentale agat, facile totum i.
quod in principio generationis est de veritate huma-
natuae absumeret, nisi per incorporationem cibi re-
tauraretur.

4 Objicies illud Math. c. 15, ubi dicitur: *Omne que
intrans intrat, in ventrem vadit, & in feces emittitur:* Illud autem quod emititur non converteretur in ve-
ritatem humanæ naturæ, sive substantiam aliti. Ut
Venerab. Beda ibid. subdit: *Quivis tenuissimus han-
aut liquens esca, cum in venis, & artibus deoī
fuerit, & digesta, per occultos meatus, quos Craci
ros vocant, in feces emittitur.* Et rē ipsa quid
cum homo secundem id quod fuit de integritate hanc
eius, resurgere debeat: si nutrimentum in substantia
& veritatem naturæ viventis converteretur; pariter &
caro bovis resurgeret, quod absurdum est. Deinde
quia calor de se transmutat, & consumit; non vero
unit, & incorporat: calore ergo illo, quo nutritio
nititur tanquam instrumento, potius ablumitur cib
vel in feces emittitur, quam in substantiam
transfeat. Tandem quia tantum de alimento in substan-
tiam aliti converti posset, quantum impeditur: at pri-
mū vivens immortale evadere posset. Ac denique
quid & quomodo in substantiam viventis converti
cum humidum radicale per ipsum restaurari neque-

5 Resp. ad argum. cum D. Th. & D. Alb. M.
4. d. 44. a. 7. quod omne distribuitur pro partibus sub-
jectivis, & non integralibus: id est, quæcumque spe-
cies in os intrans, & in ventrem vadens, cum nulli
impuritatis habeat, per feces emittitur licet non
tota. Ad autorit. V. Beda respond. ipsius loquitur
parte cibi secundum materiam carnis nutrimentam
& non secundum speciem: cum quilibet caro secun-
dum speciem augeatur, & non secundum mate-
riam: materia enim similium membrorum influit, &
effluit, sed non species. Unde post decoctionem qua-

libet augeatur, & nutritur. Resp. ad 1. conf. quod trumentum primò est dissimile, & ultimò simile, ut non sit caro bovis, v. g. sed potentia proxima caro humana. Eapropter non est necesse, ut in homine effigiat caro bovis, quia non est de integritate naturæ humanæ, nisi quateaus est caro humana: & dissimile quidem carni bovis. Resp. ad 2. quod licet calor, inquantum calor consumptivus sit, non tamen inquantum calor naturalis, ut diximus supra. Resp. ad 3. quod virtus conversiva per continuam actionem debatur: unde procedente tempore, non tantum alimentum in suam substantiam convertere potest, quantum perditur. Resp. ad 4. cum S. D. humidum radicale pertinens ad totam speciem, si auferatur, non restitui; v. g. si auferatur pes, vel brachium. Restitui tamen nutritio mentale humidum quod est in via ad speciem: quia manet in radice.

6 Quarres an in quolibet vivente sint plures potentiae nutritivæ specie distinctæ, an unica duntaxat? Respondeo dicendum ex D. Alb. sum. de hom. tr. 1. q. 9. art. 2. quod nutritiva prima, quæ est pars vegetabilis animæ, est unica duntaxat. Nam potentiae specificantur per actus, ut diximus: unde unus actus secundum speciem indistincti unica est potentia specie indistinctæ: sed nutritivæ est unus actus secundum speciem, qui est unus intentionis ejus, scil. restauratio & perditio, & salus ictu conservatio substancialiæ: ergo est unica specie potentia nutritiva. Si autem loquamur de nutritivæ secunda, quæ est virtus ab ipsa nutritiva prima causata in diversis partibus corporis, quemadmodum sunt diversæ complexionis istæ partes, quæ immediete nutritiuntur, scil. os, caro, nervus, arteria, vena, cerebellum, & medulla, & hujusmodi partes similares; ita & plures virtutes nutritivæ secundæ, & derivatae à prima sunt: & ex diversis organis. Unde Avicenna dicit omne membrum habere virtutem nutritivam propriam, quæ est in eo quod nutrimentum permittat in similitudinem ejus propriam, & unit ei. Ratio est, quia ubi sunt diversi termini, ibi oportet esse motus diversæ rationis, ac per consequens diversas virtutes pro-

Questio VIII. De potentia nutritiva.

as moventes: caro autem, nervus, os &c. sunt
tes diversæ rationis terminantes ipsos nutritionis
motus: capropter diversas virtutes nutritivas in eis pot-
itet constituere. Nec tamen existimandum est hujusmo-
di virtutes esse diversæ speciei simpliciter. Quia ~~huc~~
unus rerum operum sit multiplex, tamen simpliciter est
unus finis intentionis, ad quem ultimò ordinantur, &
à quo specificantur. Sed differunt secundum materiam,
& quasi specie incompleta; sicut erectio fundamento-
rum, constructio parietum &c. solummodo specie incom-
pleta, & secundum materiam, seu penes opera
particularia distinguuntur; quæ ad unum finem intentionis ordinantur: qui est protectio à frigore, & au-
matibus. D. Alb. M. loc. cit. a. 2.

ARTICULUS SECUNDUS

Sit ne potentia nutritiva aliquid distinctum à temperamento, vel calore naturali?

7 P. Suarez lib. 2. de anim. tr. 3. c. 9. cum aliis recentioribus existimat nutritivam non esse quid re ipsa distinctum à temperamento primarum qualitatum; quæ utitur calore naturali seu instrumento, quem ponit esse ejusdem peciei cum elementali. Alii ab ipso calore naturali indistinctam consti-
tuunt. Veruntamen communis opinio negat in his con-
sistere, sed in potentia quadam vitali, quæ est passio vegetalis animæ, ac virius illius. Ita S. D. 1. p. q. 118. a. 1. ad 3. D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 11. ar. 12. Et prob. ratione desumpta ex eodem S. D. nutritio est actio vitalis, solis viventibus propriè conveniens ergo debet à principio proximo, seu potentia ali procedere: sed temperamentum primarum qualitatum, aut calor naturalis, in ratione caloris, nos sun quid vitale: ergo præter illa debet constitui aliqua potentia vitalis distincta, quæ nutritionis ipsius sit principium proximum vitale. Minor prob. quia calor, seu vigor igneus est dispositio & congruens ad formans speci-
ficari.

animati : temperamentumque formans : qualitas per modum cuiusdam forma-
litatibus elementorum resultantis : unde ex
lta propria ratione non est à principio vitali, nim-
anima, sed solum secundum esse, ut diximus lib. 2. de
gen. q. 6. eapropter non suam specialis quædam poten-
tia, sed commune instrumentum omnium operationum
animæ : potentia autem nutritiva specialis quæda m.
potentia est ipsius animæ vegetabilis à generativa
augmentaria distincta.

3 Itaque primum instrumentum nutritivæ est calor
naturalis ex triplici virtute constans. Calor enim ille
digestivus, quatenus homogeneas sibi partes, nimirum
subtile, spirituale, dulce, humidum congregat, dis-
gregatque sibi heterogeneas partes, nempe grossum,
terrestre, aquosum expellendo, est de natura ignis,
ejusque virtutem sortitur. Calor autem, qui est vivifi-
cabilitatis principium in parte cibi, quæ incorporatur,
propter calor coelestis est, præsertim à lumine Solis de-
rivatus. Tandem calor prout est alterans secundum ra-
tionem ad speciem carnis, & ad speciem ossis, non
resoluens usque ad cineres, est calor animalis ab ani-
ma ipsa derivatus. Unus ergo calor naturalis hac tri-
plici virtute præditus, licet subiecto unus sit, proprium
nutritivæ instrumentum est, in virtute ipsius animæ
agens: & vitæ conseruativus. Frigiditas autem, quæ
est in corpore humano secundario obsequitur, quæ-
dam membra coagulando: frigidi enim proprium est
humidum coagulare, ipsum intra continendo. Et his
duabus virtutibus aliæ duæ virtutes passivæ, nimirum,
humidum, & siccum obsequuntur: tum ad membro-
rum substantiam; tum ad figuram, & speciem corun-
dum. Ad substantiam quidem; humidum enim per
actuocigerentis caloris, & frigidi continentis sic-
cum continet: siccum verò humidum terminat. Ad
figuram aitem, & speciem membrorum: humidum
enim, cum cedat imprimenti circumstanto ipsum, re-
ceptivum est speciei & figuræ, sed non retentiuum:
siccum verò male recipit, ac bene retinet: & ideo
commixtum ex humido, & sicco; ex humido bene

Prædictum est, ex sicco bene retentivum. D. Alb.

Hic calor in triplici virtute agens, nimis
Cœli, & animæ, etiam est augmentativæ instrumentum,
prout ei obedit frigiditas coagulans: eisque obsequuntur
humidum & siccum suscipiendo ac retinendo figurant.
Hanc tamen calorem majoris esse virtutis, prout est aug-
mentativæ instrumentum, quam nutritivæ docet Avicen-
na: majoris enim virtutis est membra radicalia exten-
dere, quæ dura sunt, & converttere cibum in quantita-
tē, & substantiam aucti, quam substantiam cibi in
substantiam alii tantum permutare. Est etiam calor
ipse instrumentum generativæ: ut docet D. Alb. M. I. c.
cit. q. 16. a. 4. Cùm ergo calor hic naturalis sit com-
une instrumentum potentiarum animæ vegetabilis, spe-
ciale illius potentiam non constituit.

10 Objicies: una qualitas non potest esse alterius ins-
trumentum: quia daretur processus in infinitum: sed
calor naturalis est instrumentum animæ vegetativæ pro
nutritione efficienda: ergo præter ipsum non requiri-
tur potentia nutritiva distincta nobilior: quia ad uni-
cam actionem satis, superque est virtus principalis cum
unico instrumento. Resp. quòd sicut inter habitus qui-
dam sunt universales, qui ad aliorum actiones requi-
runtur: ita & inter instrumentales virtutes, quedam
sunt universales, quæ ad particularium virium seu
qualitatum operationes sunt necessarie. Calor autem
naturalis est ut virtus universalis agens in virtute calo-
ris cœlestis, ignis, & animæ. Unde requiriuntur etiam ad
operationes specialium potentiarum. Licet enim ad
unicam actionem sufficiat principalis virtus cum instru-
mento speciali, tamen requiritur & instrumentum uni-
versale, cum sunt subordinata. Nec tamen in instru-
mentum abire cogimur, quia in instrumento primo & uni-
versali sistitur: sicut inter causas principales & in
prima, & universali.

12 Objicies 2. potentia nutritiva non habet aliquem
speciale actum in alimento distinctum ab actione ca-
loris naturalis, vel temperamenti: ergo non distingui-
tur ab illo. Pro resolutione istius argumenti sit.

ARTICULUS TERTIUS

*De actu proprio, & motu nutritivæ, qui est nutritio
in quo consistat.*

12 **N**otandum est 1. nutritionem dupliciter accipi: prius largè pro quacunque transmutatione, qua agens naturale ex aliqua potentia aliquid ejusdem speciei generat illud continuando sibi. Quo pacto genere & ingenis nutrixi vulgo dicimus. Secundo pro transmutatione media qua agens naturale nutrimentum sive alimentum sibi assimilat ipsum sibi continuando non quidem per juxtapositionem, sed per veram incorporationem, ita ut materia nutrimenti vere in substantiam aliti convertatur. Quo pacto est viuentium propria, & de illa sit sermo in præsenti.

13 Nota 2. alimentum, antequam in substantiam aliti convertatur, multas subire mutationes. Primò etenim antequam formam sanguinis suscipiat, cibus in ore masticatur, & conteritur, mediaque saliva alteratur. Dein in ventriculo congregatur per fauces illuc deductus: & virtute caloris ibi vigentis concoquitur, velut in lebete, & fit chylus: secerniturque ibi quod impurum est, grossum, & terrestre ab eo, quod est magis purum ac delicateum. Et succus ille magis defæcatus per venas mesaraicas deferitur ad jecur, ubi colorem sanguinis & substantiam suscipit, ultimam tamen perfectionem, & vim formativam à corde. Quod vero impurum est, & excrementitum ad intestina deruditur, ut foras emitatur. Ex jecore fit multiplex & varia distributio, tam sanguinis, quam aliorum humorum in varias partes corporis, & receptacula. Ex parte sanguinis magis subtili, & pura formantur spiritus animales. Pars altera derivatur per venas, quæ variis amiculis totum corpus pervadunt, ut corpus nutritiat. Et primù ab ipsis venis fugendo attrahitur sanguis; & convertitur in partes solidas, nimirum carnem, os, nervos &c. fitque deperditi restauratio: quæ est intentionis nutritivæ. Difficultas modò est in qua-

etione formaliter consistat nutritio; num in illa con-
sitione, qua ultimum alimentum transmutatur, &
converatur in partes solidas? An etiam in aliis trans-
mutationibus præcedentibus?

Q Notandum est 3. nutritionem tripliciter sumi
posse: primo in ratione cuiusdam operationis, & actus
nutritivæ, & ut est finis intentionis ipsius. Secundo in
ratione mutationis cuiusdam substantialis. Tertio in
ratione motus, secundum esse, & ut in re est conjunc-
cta motui alterationis: nec enim in re datur nutritio si-
ne alteratione præcedente, cum sit quadam aggene-
ratio.

15 Concl. nutritio in ratione actus, & operationis
completæ ipsius potentiae nutritivæ formaliter consistit
in restauratione deperditi: in ratione autem mutationis
consistit in conversione ultimi alimenti in substantiam
aliti: sed in ratione motus, & præsuppositivæ consistit
in illis alterationibus præcedentibus, quibus disponitur
alimentum, ut transeat ad substantiam aliti.

16 Prima pars sumitur ex S. D. lib. 2. de anim. lcc.
7. Et prob. nutritiva est potentia quædam activa, quæ
est propter actum suum, seu operationem sicut finem;
quemadmodum visiva est propter videre: sed nutritiva
est propter restaurationem deperditi, qua salvatur vi-
vens: ergo cum sit propter nutritionem, nutritio for-
maliter, & completere consistet in tali restauratione
deperditi.

17 Secunda pars etiam prob. nutritio est quædam
partialis generatio, seu aggeneratio qua alimenum
acquirit esse vivum: quemadmodum ergo generatio se-
cundum rationem suam, & prout est in utero, consistit
in transitu illo per quem materia disposita transi-
privatione formæ viventis ad eandem formam secun-
dum speciem; ita & nutritio consistit in illo conversio-
ne qua ultimum alimentum mutatur in substantiam aliti,
& acquirit esse vivum. Vnde communiter definitur
nutritio: conversio alimenti in substantiam aliti. Ter-
tia pars etiam patet ex his quæ diximus lib. 1. de gener.
a. 2. sicut enim generatio secundum esse, & in re ne-
cessario est conjuncta motui alterationis, & sine hoc ei-
se nequit, ita & tantum.

A R.

ARTICULUS QUARTUS

Utrum nutritio semper duret, quandiu animal vivit?

18 **C**ertum est nutritionem non ita esse continuam, ut à principio vita usque ad finem incessanter, & sine ulla interruptione perseveret, ea ratione, qua motum Cœli dicimus esse continuum. Sed difficultas est an ad salutem, & conservationem animalis semper sit indigentia alimenti, & nutritionis, ita ut in nullo vita statu terminus apponatur huic indigentiae naturaliter loquendo. Dixi, naturaliter loquendo, nam in naturaliter aliquo tempore nutritio cessare potest, vel propter morbum, aut debilitationem, vel propter parentiam alimenti, absque eo quod statim animal pereat.

19 Conclusio est affirmativa. Sumitur ex Arist. lib. 1. de gen. t. 41. Prob. calor cum sit maximè activus, continuò humidum, tum radicale, tum nutrimentale depascit, & absunit; ergo ut salvum & incolume servetur animal, semper indiget nutritiri toto suæ vita tempore.

20 Objicies: multa animalia sine cibo diu vivere dicuntur, ut de Ericio, & Vrsis, nec non aliquibus serpentibus refert Auen. 7. natural. ita ut aliquando per 40. dies, imò & quatuor menses latere animadvertantur, & nullo tunc temporis cibo uti. Quin & de plurimis hominibus historiarum monumenta produnt sine cibo vitam magno temporis intervallo perdurasse.

21 Resp. in hujusmodi animalibus nutritivam nullatenus accidere, cum latitant, nisi secundum sumptuonem extorris nutrimenti. Sunt enim hujusmodi animalia debilis caloris, frigidaque, non multam patientia famem. Causa etenim famis est ipsius nutrimenti vehemens dissolutio: dissolutionis autem causa est tum paucitas materiae, ejusdemque subtilitas, tum raritas pellis, atque calor naturalis fortis, nec non & calor aeris

fortis extrinsecus adjuvans; similiter & motus. Quapropter, cum aliquid istorum, vel plura quibusdam animalibus defuerint, præsertim si gulosæ, multæ superfluitates crassas contrahunt; quas calor ipse naturalis debilis dissolvere nequit: præsertim cum calore extrinsecus, vel motu non adjuvatur. Vnde propter multam superfluitatem frigidam contractam, & calorem naturalem debilem, tempore frigido pigescunt: quiete nque desiderantia latitant. Et si in quibusdam eorum calor adeo fortis extiterit, ut superfluitates illas consumere, ac dissolvere possit toto illo absconsoni, tunc posse; tunc illa animalia attenuari, ac debilitati est necesse: si vero adeo debilis fuerit ut non valeat plenè eas decoquere: tunc indecoctæ frigiditate intestino um coagulantur; & efficiuntur per id temporis magis pinguia. Et prout calor naturalis citius, vel tardius hoc perficere potest; longiori, vel breviori tempore latitant. Nec inconveniens est ut idem in hominibus accidat, & præcipue in mulieribus, cum valde oueri indulgent: quemadmodum Patavina quædam puella fuit per quadraginta dies à cibis abstinuisse penitus.

ARTICULUS QUINTUS.

De termino ipsius nutritionis; quomodo nimirum ad partialem substantiam viventis, seu partes substantiae terminetur?

22 **P**rima concl. terminus formalis nutritionis est pars materiæ, sive substantiæ, prout accipit actu esse & formam viventis, & sit per se causa ipso alito, ratione cuius actu inchoativo, & potestate formalis est distincta pars, dicens tamen beatitudinem ad quantitatem prout ad formam substantialem viventis consequitur. Probatur hæc conclusio ratione: istæ potentiarum per actus distinguuntur, actus autem per objecta, & terminos: sed augmentati ad quantitatem per se primo terminantur,

Articulus V.

naturativa autem ad acquisitionem novi esse, quod non erat: ergo ipsa nutritiva non nisi ad partialē instantiam terminari potest, prout accipit esse actū sub forma viventis, ac per consequens habitudinem dicit aī quantitatem, quæ ad eam con'equitur.

23 Sed difficultas non modica exurgit in explicando modo, quo fiat nutriens unum cum ipso nutritio: & quomodo sit sub quantitate nutriti.

24 Supponendum, partes similares primo & per se nutriti, & augeri: organicas autem medianibus similaribus, ex quibus componuntur. Inter quas hæc est differentia quod organicæ constant ex suis partibus in actū, & secundum determinatam rationem v. g. caput constat ex ossibus, carne, nervis &c. quæ sunt actū in ipso, similares vero habent suas partes in potestate, & non in actū, sicut supra de continuo asseruimus. Haec autem partes duplíciter dicuntur, & secundum speciem, & secundum numerum: ut diximus tom. 2. q. 6. a. 1. §. 1.

25 Secunda concl. partes, quæ per nutritionem acquirentur, si sumantur ut sunt partes materiae, cum præcedentibus nutriti partibus non sunt unum per identitatem, sed per continuationem, quatenus sub uno esse viventis continuantur cum illis; v. g. ut continuantur sub esse carnis, quod in omni carne idem est, seu ejusdem rationis. Si autem sumantur secundum speciem sunt quodammodo unum per identitatem; quia, quæ sunt, ejusdem speciei, eadem inter se dicuntur. Nec ut sic separantur: remanet enim semper eadem secundum speciem, & formam caro: bene vero prout sunt partes materiae & individui: sic enim fluunt, & restituunt. Si autem pars per nutritionem adveniens sumatur ut est pars organicæ partis, est una per colligationem cum aliis partibus similaribus, quæ organicam constituant v. g. caro cum ossibus nervorum, & iuncturarum beneficio, & ope.

26 Et hoc pacto terminus ipsius nutritionis est pars quodammodo actū, & quodammodo in potentia: quia quod est potestate in aliquo, est quodammodo actū, & quodammodo in potentia, ut ex S. D. docuimus lib. 6. Phys. q. de continuo. Est quidem potentia si sumatur secundum præcisam materiae rationem, quæ est hujus trans-

268 *Quæst. VIII. De potentia nutritiva.*

curationis subjectum : hoc enim pacto, scilicet potest tantum, competit materiae secundum se habere partes. Est autem quodammodo actu, quatenus stat sub forma Speciei reducente ad unitatem, & fundante habitudinem ad quantitatem, seu naturalem ejus proprietatem. Fit autem complete in actu, ut perficitur ultimo quantitate distingueente in ratione integralis ab aliis partibus integralibus actu in ipso vivente existentibus.

27 Tertia concl. si pars, quæ per nutritionem acquiritur, sumatur præcisè secundum rationem materiæ, quæ indivisibilis est, et tota in toto, & tota in qualibet parte nutriti: non vero prout stat sub forma determinata rationis, & speciei: nec enim materia qua nutritur os, est in carne, vel è contra, sed longè diversam, ac distinctam rationem habet: sub habitudine tamen ad quantitatem, & diversam sigillationem. Nec D. Th. contrarium in loco citato docet: ut aperte colligitur ex eodem 3. p. q. 76. a. 1. ad 2. ubi ait: *Ad secundum dicendum quod ex vi Sacramenti sub hoc Sacramento continetur non solum caro, sed totum Corpus Christi, scilicet ossa, nervi, & alia hujusmodi &c.* Hæ autem sunt partes secundum speciem. Vide quæ diximus tom. 2. q. 6. ar. 1. S. 1.

ARTICULUS SEXTVS

*Vtrum in omnibus partibus materiæ possit fieri deperi-
tio, & restauratio.*

28 **S**ciendum est substantiam corporis humani, cuiuslibet alterius animalis duplice humido co-
stare, scilicet humido seminali seu ~~separati~~ quodam-
tantum est materiale organorum, sed etiam factivum
seu formativum ipsorum: & ex eo principaliter sunt ra-
dicalia membra, seu substantia illa, in qua est prima
corporis organisatio: & humido nutrimentali, quod hu-
midum seminale ad se attrahit veluti cibum, per ipsum
que augmentum suscipit: & ideo nutrimentale dictum
est. Non tamen ita conveniens est ad corporis, seu or-
ga-

ganorum formationem, sicut seminale: unde vi
animales in corpore animato operantes per ipsum habe-
tuntur. D. Alb. M. loc. cit. q. 11. a. 5.

29 Concl. deperditio humidi radicalis restaurationem
non suscipit per aliud humidum similis nominis, & ra-
tionis. Licet enim membra radicalia augmentum & nu-
trimentum à cibo, seu humido nutrimentali suscipiant:
nunquam tamen humidum nutrimentale adeo conveniens
esse potest, ut radicale efficiatur. Et ideo consumpto uni-
versaliter humido radicali, vel in tantum ut corpori ani-
mato non sufficiat, mors necessariò inducitur. Ne autem
absumatur penitus, continua infusione humidi nutrimenta-
lis ei succurritur. Humidum enim seminale in ipsis
membris radicalibus imbibitum est veluti quoddam vas,
& instrumentum naturale, in quo virtutes animae, in ipsis
organis existentes, humidum nutrimentale attractum
in membra, in ipsorum membrorum complexionem con-
vertunt: & sine illo hoc præstare non possunt, sicut nec
artifex absque instrumento operari valet.

30 Ex quibus sequitur, quod si humidum penes locum,
in quo ipsum reperire est, sumatur, triplex erit: nimi-
rum radicale, quod est intra membra radicalia imbibitum,
& quoceu instrumento natura animalis in humili-
dum cibi operatur: & humidum nutrimentale, quod est
jam ad membra attractum: tertium est nutrimentale à
venis semper infusibile, quæ sunt via nutrimenti. Exem-
plum tritum est in oleo lucernæ: cuius quedam pars in-
tra lycnum est imbibita: quedam pars ipsum lycnum
undique attingit, & alia circumnatat: et, cum appo-
nitur ignis, agit quidem immediate in humidum, quod
est intra lycnum imbibitum, continuè, & paulatim,
attrahendo continuè oleum, quod ipsum lycnum cir-
cuist. Sed ne subito humidum primum, & imbibiti
n consumere valeat olei circumnatantis auxilio, &
infusione continua impeditur. Eodem pacto calor natura-
lis continuè agit in humidum radicale partem ejus absu-
mendo: sed ne subito consumere possit à continua infu-
sione humili nutrimentalis impeditur. D. Alb. M. ibid.

31 In omnibus itaque partibus materiae, seu in utro-
que humido deperditio fieri potest. Omnia enim mem-
bra,

27. Quæst. VIII. De potentia nutritiva.

ra, etiam radicalia, ex contrariis adinvicem repugnantes coalescunt: in his autem continuam fieri deperditionem est necessarium. Unde calor naturalis, ut est virtus ipsius ignis, consumptivus est; agit autem tam in parte radicalibus, quam in alias: unde in omnibus illis deperditionem fieri oportet: licet enim virtus vegetativa, quæ est in alimento, calorem dirigat, tamen per modum naturæ dirigit; & non ad modum deliberantis: unde ipsis necessariò agit in omne id, quod ei vicinum est: ac per consequens in membra etiam radicalia.

32 Dices: si in omnibus corporis animati partibus deperditio fieret, cras aliquas ex eis non est habiturum, sed alias per restorationem, & deinceps alias: unde continget ipsum habiturum alias omnino partes materiae in toto corpore: & idecirco non erit idem omnino individuum, & una, eademque numero forma in distinctis individualibus successivè esse poterit. Deinde: quia nutritiva est virtus in ipsis organis operans: ergo ad operationem illius organorum substantiam salvam manere necessarium est; & non continuam subiecte jacturam, seu deperditionem. Tandem, cum in omnibus membris restauratio fieri non possit, membra enim radicalia absissa non restaurantur; quomodo in eis poterit fieri deperditio: cum deperditio partium in nutritio tanta fieri nequeat, nisi quanta per nutrimentum restaurari potest: ut salvum, & incolumem fiat.

33 Resp. ex D. Alb. M. ibid. In omnibus partibus; etiam radicalibus, secundum materiam fieri deperditionem, ac restorationem: diverso tamen plane modo. Licet enim ex humido nutrimentali caro restituatur, tamen hujusmodi caro non erit instrumentum, & vas naturæ, potens aliam carnem operari: quemadmodum caro illa, quæ fit ex humido radicali. Et licet partes nutritae fluant, & refluant: tamen species, & forma sua caderi, unde manet idem numero individuum. Ad 2. resp. sustentiam organorum, in quibus nutritiva operatur, ex humido radicali fieri, unde quandiu istud diffusum per organa perseverat per virtutem animæ convertens in ipsum humidum nutrimentale in quod agit, tandem nutritiva permanet. Nec obstat si dixeris implicare quod me-

vens , & mobile sint idem: unde per virtutem nutritivam
affixam organis agere , & pati ipsa organa , seu mem-
bra organa nequeunt . Non , inquam obstat : licet enim
moyens , & mobile unum in essentia esse non possint, be-
tamen unum compositum : ut anima & corpus unum
compositum efficiunt , & anima est moyens corpus . Eo-
dem modo corpus , seu membrum animatum secundum
materiam est ut motum : vis nutritiva est ut moyens .
Resp. ad 3. ex dictis in solut. ad 1.

34. Dubitabis quomodo in nutritione dicantur fluere,
& resiliuerē, seu deperdi, ac restaurari partes secundūm
materiam, quantum verò ad speciem , & formam ma-
tre , ratione cuius tota nutritionis tempore idem nutri-
tum numero , seu individuum permanet ? Hujus rei gra-
ta recole id , quod ex D. Alb. M. supra q. 2. notavimus,
scil. in composito triplex esse partium genus: nimirum fe-
condūm speciem tantūm , & formam , ut manus, pes,
caput , & alia membra organica : secundūm materiam
tantūm , ut humores , & aliæ partes , quæ ex commixtio-
ne materierum elementarium viciniūs resultant : & aliæ
sunt mediae , quæ sunt partes secundum speciem , seu for-
mam , & materiam simul , ut caro &c. Prima abscissæ
non reviviscunt : v. g. manus abscissa non repullulat . Se-
cundæ continuò reparantur ; scil. sanguis , & alii humo-
res . Mediae autem , quatenus juxta materiam se tenent ,
ex humido nutrimentali continuam partium generatio-
nem , seu restorationem , & deperditionem suscipiunt.
Quatenus verò ex primo radicali generata partes organi-
cas componunt , dicuntur partes speciei , & manent du-
rante vita : v. g. manet species ossis , species carnis , spe-
cies nervi. Et illud quod advenit semper efficitur ejusdem
speciei , scil. carnis , ossis &c. Et hoc modo nutritum idem
perseverat .

FAC. DE FILOSOFIA - LVI



272
QUÆSTIO IX.

De potentia augmentativa , &
augmentatione, ac diminutione .

ARTICULUS PRIMUS

*Quid sint potentia augmentativa , augmentatio ,
diminutio .*

1 **A**ugmentativa ex D. Alb. M. sum. de hom. tr. i. q. 12. a. 1. dupliciter sumitur: primo largè , & improprie , qua ratione est vis quælibet activa consumptiva substantiarum sibi appositarum , & generativa suæ speciei in ipsis ac perinde suum subjectum augens : hoc pacto vis caloris ignei dicitur vis augmentativa , per quam ignis ipse augetur , quemadmodum & alitar . Imò inter elementa secundum Empedoclem solus ignis alitur , & augetur , aqua autem sola alit , & auget ; ut sumitur etiam ex Phil. lib. 2. de anim. t. 43. Cujus rationem assignat D. Alb. M. ibid. quia in aucto necessum est esse virtutem activam transmutatiyam corporis in se , naturam rari porosi , ac materiam siccii terminantis illud quod receptum est . Quæ in nullo elemento , nisi igne , reperiuntur . In augente vero oportet esse naturam humidi subtilis penetrativi , quod est impletivum : quia ad terminum alterius corporis bene terminabile est . Deinde oportet ut sit incorporale aucto : quæ nonnisi aquæ inter elementa , competit ; humidum enim aëreum est spiritus & non incorporeale aucto .

2 Vis autem augmentativa propriè est vis majorē efficiens quantitatē ex aliquo extrinseco , quod in rei augmentatæ substantiam convertitur , ita ut res aucta in sua specie , & forma remaneat , & res augens eandem numero cum illa speciem , & formam suscipiat . Per quæ differt ab augmentatione impropriè dicta , in

ipia enim non manet eadem species , v. g. ignis in mai-
jori quanto ; sed potius nova species ignis à materia à
qua generatur , quam generationem major quantitas
consegitur . Neque augens sic igni aucto additur , ut
quamlibet partem ignis subintret , sed sufficit ei in una
parte addi . Cuius contrarium in augmento proprié-
tate contingit . Et isto modo augeri solis viventibus
competit ; unde eis solis propriè convenit potentia aug-
mentativa , & augmentum .

3 Prima concl. augmentativa ex Avicenna lib. 6.na-
tural. bene definitur : Vis animæ vegetabilis augens cor-
pus in quo est , ex corpore quod ipsa assimilat ipsi aug-
mento proportionabili in omnibus dimensionibus suis ,
quæ sunt longitudo , latitudo , & spissitudo , seu pro-
funditas , ut perducat rem ad perfectionem : *Augens*
corpus &c. proprium virtutis augmentativæ actum ex-
primit : qui habito sine quiescit : nimurum , cum ipsum
vivens deduxerit ad perfectionem secundum magnitu-
dinem , & figuram organorum virtuti animæ propor-
tionatam : *Corpus in quo est* , explicat ejus materiam
circa quam , & in qua operatur ipsum augmentum :
ex corpore quod ipsa assimilat illi , materiam designat
ex qua illud augmentum operatur . Finis ejus duplex ,
scil. operis , qui est ipsa forma in quam terminatur ac-
tus , nimurum major quantitas addita cum aumento
proportionabili in omnibus dimensionibus suis , scil.
longitudine latitudine , ac spissitudine : motus enim
augmentativus terminatur ad magnitudinem sic propor-
tionatam , secundum longum , latum , & spissum . Fi-
nis autem intentionis est rem ad perfectionem deducere ; scil. secundum magnitudinem , & figuram organorum , virtuti animæ proportionatam . D. Alb. Mag.
ibid. a. 2.

4 Secunda concl. bene definitur augmentatio à Phi-
l. Sypho i. de gen. t. 24. Transmutatio viventis à con-
trario in contrarium secundum quantitatem . Et rursum
5. Phys. t. 28. definitur : motus ad imperfectam magnitu-
dinem ad perfectam magnitudinem : seu motus à mino-
ri ad maiorem quantitatem . *Transmutatio* locum ha-
bet generis , per eam enim convenit augmentatio cum

generatione , alteratione , & motu locali , quæ sunt transmutationes quædam . Per hoc quod dicitur , à contrario in contrarium secundum quantitatem , seu ab imperfecta & minori quantitate ad perfectam & maiorem magnitudinem , differt primo à generatione , quæ non est motus inter contraria existens , sed mutatio quædam à non esse ad esse , & ad substantiam terminatur , cui nihil est contrarium . Differt præterea ab alteratione , quæ est à contrario in contrarium secundum qualitatem ; & à motu locali , qui ad ubi terminatur . Dicitur viventis : quia augmentatio , quemadmodum nutritio propriè in solis viventibus reperiuntur . Quomodo autem à nutritione differat , supra insinuatum est ; & art. seq. latius explicabitur . Diminutio è contra est motus à majori ad minorem magnitudinem .

Solvuntur Argumenta .

5 Arg. 1. quantitati nihil est contrarium : ergo incongruè definitur augmentatio , motus viventis à contrario in contrarium secundum quantitatem . Conf. 2. in rarefactione etiam corpus ex minus quanto sit magis quantum : ergo hujusmodi definitio rarefactioni competit . Conf. 2. generatio etiam ad quantitatem terminari potest , ut cùm materia ex potentia quanta efficitur actu quanta .

6 Resp. ad arg. cùm D. Th. quòd quantitati nihil est contrarium secundum communem quantitatis rationem bene verò prout habet esse in determinata specie , seu subjecto ; v. g. animali , vel plantæ : augmentatio autem quantitatem respicit ut habet esse in vivente secundum rationem perfecti , & imperfecti secundum figuram , & perfectionem debitam corpori animali , ut alibi explicuimus : quapropter si sic bene potest forth contrarium . Resp. ad 1. conf. ex dictis lib. 2. q. gen. q. 3. a. 3. quòd rarefactio non respicit maiorem quantitatem absolute & simpliciter , sicut augmentatio : sed secundum proportionem ad partes , & ad totum . Deinde quia rarefactio propriè est non viventium , augmentatio autem viventium . Tandem augmentatio quanti-

titatis extrinsecus advenientis additionem exigit: at illa rarefactione non advenit nova quantitas, sed praecedens sit major. D. Th. i. de gen. lect. 24.

7 Resp. ad 2. ex eodem S. D. ibid. lect. 13. quod augmentatio non respicit quantitatem quomodoquinque, sed secundum additionem ad magnitudinem, quam in subjecto praexistentem supponit, diminutio autem minorationem eiusdem: sed generatio est transmutatio à non quanto, seu potentia quanto ad esse quantum actu, & simpliciter. Eapropter dispar est ratio.

8 Pro pleniori horum intelligentia sciendum est ex S.D. ibid. l. 11. & i. de Cœli lect. 7. ad augmentationem propriè dictam multa concurrere. Primo exigitur motus localis: quia motus secundum quantitatem ipsi locato commensuratur: quotiescumque ergo locati magnitudo crescit, ac mutatur, necessum est fieri transmutationem secundum locum. Non ita evenit in transmutatione secundum substantiam, aut qualitatem, seu in generatione, & alteratione: quia locus non commensuratur locato penes substantiam, aut qualitatem. Differt ramen à motu locali: quia secundum rotum, aut partes non mutat locum, sed solum per extensionem: pura metallum per malleationem dilatatur.

9 Secundo exigitur alteratio, quia vivens cibum alterat: ac proinde generatio quedam, qua alimentum formam cibi deperdit, & formam carnis, vel ossis suscipit. Cum enim caro augeatur, oportet id, ex quo augmentum suscipit, esse potentia carnem, & fieri aetu carnem. Unde requiritur prioris corruptio, & sequentis generatio. Sed neque in his mutationibus consistit: cum alteratio ad qualitatem, generatio ad substantiam, augmentatio vero ad quantitatem teratur.

10 Tertio requiritur additio cibi in carnem conversi ad ipsam carnem, quæ auget. Verum neque in tali mutatione formaliter consistit, licet eam presupponat. Tum quia cibus in carnem conversus eatenus illum, cui additur, auget, quatenus est in potentia ad majorem quantitatem: sed est in potentia ad majorem quantitatem, prout calor naturalis animalis, qui est

virtus speciei , illum majorcm in quantitatem , quam
fuerit deperdita , extendit : ergo &c. Tum etiam , quia
verè talis conversio reperitur sine augmentatione viventis ;
quod semper nutritur , nec tamen semper augetur .
Itaque non sufficit ad augmentationem illa quantitas ,
quam cibus per conversionem in substantiam viventis
consequitur , hæc enim per generationem acquiritur ,
& non per augmentationem , unde est terminus gene-
rationis . Et ut plurimum non est major illa , quæ fuit
deperdita , nisi calor naturalis , qui est virtus speciei .
cibum illum conversum in majorem quantitatem ex-
tendat ad operationes viventis perfectius exercendas .
Unde illa conversio fit in instanti , sed augmentatio
successivæ .

11 Tandem requiritur extensio , tum carnis , tum
cibi in carnem conversi , ad majorem quantitatem , &
in hac mutatione ultima consistit formaliter augmenta-
tio : unde dicitur morus , seu mutatio à minori ad ma-
jorem , seu ab imperfecta ad perfectam quantitatem .
In hac enim tria concurrunt ad augmentationem à Phi-
losophis requisita . Primum est , quod vivens idem ma-
neat , dum augetur , acquirendo tamen quantitatem
majorem : eo planè modo , quo metallum malleatione
extensum , idem manens , quantitatem suscipit majo-
rem . Secundum est , quod ibi adveniat aliquid de no-
vo ; quia extensio illa supponit additam carni carnem
ac per consequens extensiō extensiō . Tandem
quælibet pars sensibilis ejus , quod augetur , secundum
speciem sumpta , & non secundum materiam , in aug-
mento major efficitur , quatenus in majorem quantita-
tem , per virtutem naturalem extenditur .



ARTICULUS SECUNDUS

Utrum augmentatio, & nutritio sint motus continui, ac successivi, à tempore, quo animal nutriri incipit?

12 **C**eterum est augmentationem non esse motum continuum in eo sensu, quo continuum regularem proportionem dicit, ita ut si aliquid tantum in tanto tempore augeatur, necessum sit proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeri; sicut in motu locali contingit. Nam per aliquod tempus natura operatur ad augmentum disponens, & nihil actu auger; & postmodum ad effectum perducit id, ad quod disposuerat augendo ipsum vivens in actu. Et tunc difficultas est utrum formaliter illa extensio, in qua diximus augmentationem consistere, fiat in tempore continuo, & successivo, an in unico instanti, vel pluribus discretis. Eadem de nutritione difficultas procedit.

13 Nutritionem esse motum continuum, & successivum negant lib. 1. de gener. quæst. 11. Pomponatius lib. de nut. & augment. cap. 19. & alij. Affirmant vero M. à S. Thom. de gen. quæst. 7. art. 4. PP. Complut. disp. 5. & alii quamplures quos ibid. referunt. De augmentatione autem penè omnes Philosophi affirmant.

14 Prima concl. augmentatio formaliter sumpta pro extensione illa, tum carnis, tum cibi in carnem conversi, formaliter est motus continuus, & successivus: ex parte autem ipsius additionis, vel additionum cibi in carnem ~~converti~~, ad carnem viventis, est mutatio ~~in~~ tantanea. Ita D. Thom. 1. de gener. lect. 11. & p. q. 33. art. 1. ubi ait: Similiter & tertium, id est, augmentum, oportet esse successivum: tum quia augmentum non est sine motu locali; tum etiam, quia procedit ex virtute animæ jam in corpore formato operantis, quæ non operatur nisi in tempore. Quoad 2. p. etiam ~~etiam~~ illam docet 1. 2. q. 52. a. 3. ubi ait: Non

quodlibet alimentum assumptum actu auget animal ; sicut nec qualibet gutta cavit lapidem , sed multiplicato alimento tandem sit augmentum : sed hæc multipli catio , & additio guttarum non sit continua : ergo neque augmentum sumptum pro additione illa .

15 Prob. prima pars concl. ex eodem S. D. augmentatione , tam ex parte termini , quam ex parte modi transmutandi , in suo motu continuatem , ac divisibilitatem exigit : ergo est motus continuus , ac successivus . Prob. ant. quoad 1. partem: termini augmentationis sunt perfecta , & imperfecta magnitudo in comparatione ad vires organorum : sed inter hos terminos est contrarietas , & maxima distantia : ergo & motus successivus . Quoad 2. partem etiam prob. quod augetur , modo suæ transmutationis , ita perfectam quantitatatem acquirit , ut ad illam acquirendam extendatur eo modo quo metallum per malleationem extenditur ad majorem quantitatem consequendam : sed hic modus transmutationis necessario continuatem exigit : cum in tali modo successivè acquirat id quod augetur , majorem locum , ac per consequens moveatur localiter , quod nonnisi in tempore fieri potest : ergo ex parte modi augmentationis est motus successivus .

16 Secunda concl. nutritio sumpta pro ipsa conversione , & mutatione substanciali alimenti in substancialitatem , recepta in ipso nutritio , non est motus successivus : bene verò prout operatur in corpore restauracionem deperditi , vel inservit augmentativæ . Prima pars prob. tum quia nutritio pro ipsa conversione & mutatione fit per generationem quandam novæ carnis ex materia alimenti : sed generatio & qualibet alia mutatione substancialis in instanti fieri debet : ergo sub hac ratione nutritio nequit esse motus successivus . Min patet ex dictis lib. 6. Phyl quia nimirum omnis substantia incipit per primum esse : ergo in instanti .

17 Dices equidem formam substancialem in generatione substanciali , & simpliciter hoc pacto incipere , scilicet per primum esse , oppositam vero desinere per primum non esse : at verò in aggregatione substantiarum partialium nihil prohibet quominus incipiat ad modum motus .

motus, & per ultimum non esse, ex juxta modum divisibilitatis.

18 Contra; in motu continuo subjectum divisibile,
& quantum esse oportet: sed illius mutationis subjectum est materia, quæ transit de forma alimenti ad esse vivum, & de potentia carne ad actu carpe: ergo cum materia secundum se sit indivisibilis, etiam in hac aggeneratione partialis substantia non potest esse continua, & incepio modo successivo.

19 Dices: equidem materiam in generatione totali esse actu indivisibilem; non vero in ista mutatione, in qua nova pars substantiae acquiritur non sine nova parte quantitatis, de cuius ratione est divisibilitas. Contra: illa mutatio secundum se ad substantiam terminatur partiale, & per eam non resultat quantitas, nisi quatenus ista, seu proprietas, ad totam substantiam consequitur, quæ prout in tali genere, vel specie viventis talem figuram, & extensionem organorum, ac membrorum perit, ad recte exercendas vitæ operationes: ergo in illo priori quo præcisè substantia alimenti intelligitur mutari de non esse vivo ad esse vivum, formaliter divisibilitatem non habet, sed eam consequitur ex ipsa quantitate, quæ ad esse naturale formæ viventis consequitur: ergo mutatio illa non potest esse sucesiva, sed instantanea. Præterea, quia etiam, dum generatur simpliciter substantia, & transit de non esse ad esse, pariter consequitur quantitas, & multò potiori jure substantia totalis divisibilitatis rationem ab ea præfert, quam partialis, quæ in nutritione acquiritur.

20 Secunda pars concl. declaratur supponendo, quod equidem primo convertitur cibus in nutritum, & fit additio eius ad substantiam nutriti, per talem mutationem, ad quam naturaliter consequitur quantitas partialis, sicut in generatione impliciter quantitas totalis: sed totum hoc fit in instanti, quia per naturalem resultantiam pullebat, & non actio media; sicut in eodem instanti temporis generatur homo & esse risibile. Dein calor naturalis illam substantiam alimenti jam convertam, & additam, quatenus ad majorem quantitatem,

titatem, extendit, agens in ipso jam animatum, seu corpus animatum: & hoc dupliciter, primo ita ut sic extensio in majorem quantitatem, quam fuerit deperdita: secundo ita ut non sit major, immo fortasse minor quam fuerit deperdita: quia nimis calor naturalis, seu virtus speciei impeditur, ne cibum conversum in aliis substantiam possit in majorem quantitatem extenderet, quam antea, ad perfectius operationes vitae exercendas. Primo modo extensio in majorem quantitatem formaliter constituit: & nutritiva, ut ei deserviens dubio procul successore agit in corpore animato: secundo autem modo nutritionem terminat: & prout sic virtus nutritiva est virtus agens in corpore animato: ergo successore. Quia virtus corporea in instanti non agit: ut ex S. D. supra citato edociti sumus. Et hoc modo currit communis ratio Thomistarum.

ARTICULUS TERTIUS

Vtrum omni vita tempore vivens augentur?

21 **C**oncl. necesse est augmentum tandem aliquando stare, & non durare toto vita tempore, Ita Arist. lib. 3. de anim. t. 59. D. Th. ibid. Et lib. 1. de gen. t. 41. & D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. 1. q. 14. a. 4. & communiter Philosophi. Prob. ex eisdem: omne instrumentum virtutis corporeæ ex nimia frequentatione operationis hebetatur & reunditur: sed calor naturalis est instrumentum corporeæ virtutis limitum: ergo ex nimia frequentatione operationis, praesertim in extendendis membris radicalibus, tandem aliquando retunditur: quia hujusmodi extensio propter duritatem eorum maxima difficultas est.

22 Prob. 2. licet materia membrorum radicalium per humidum nutrimentale possit fieri additio, tamen ipsa non est extensibilis ultra debitam speciei quantitatem. Tandem quia quæcunque contraria nata sunt circa

ca idem fieri , necesse est unum quandoque quiescere ; ut aliud insit : augmentum autem , & diminutio sunt contraria nata fieri circa idem : ergo ut tandem aliquando sit diminutio , augmentum stare oportet .

23 Arg. i. per nutritionem continuè additur cibus corporeus & quantus , fitque in corpore animato continua dissolutio , & restauratio substantiæ : ergo sicut nutritiva continuè ingerit substantiam : ita & augmentum debet ingerere quantum , seu restorationem quanti : unde augmentum non stabit sicut neque nutritio .

24 Conf. omnis virtus crescit , & fortior efficitur ad multiplicationem materiæ propriæ ; sicut patet in calore , qui in majori igne est major , & in minori minor : ergo in animato , quanto plus crescit , tanto fortior efficitur calor naturalis in ipso : sed quanto plus nutrimenti ingeritur , tanto major est materia : ergo tanto major erit calor : sed calor est instrumentum virtutis augmentativæ : ergo tanto magis augmentabit .

25 Resp. ad arg. ex D. Alb. M. loc. cit. finem nutritivæ esse individui salutem , ac conservationem : & hunc finem assequi non valet , nisi continuè nutriendo : cum fiat continua dissolutio , seu deperditio . Finis autem augmentativæ est perfectio secundum figuram , & magnitudinem organorum : ideoque ipso adepto quiescit , quia supervacuum esset ultra movere . Omnis enim virtus in suo fine quiescit , quando ipsum perfectè assequitur .

26 Resp. ad conf. virtutem crescere in multiplicatione materiæ propriæ , sed non alienæ . Propria autem caloris naturalis materia est radicalium membrorum substantia . Etenim humidi nutrimentalis substantia ab extrinsecis ingeritur : uide simpliciter non est propria . Quapropter calor remittitur in illo , quanto magis multiplicatur .

27 Dices , ex hoc sequi puerum , cum primo nascitur , vigorosiorum calorem naturalem habere , quam dum ad juventutem vel adolescentiam pervenerit ; cum habeat tunc materiam perfectius ad ipscentem naturam speciei , nec permixtam cum ext.anea materia : sed hoc

hoc aperte faliū est , quandoquidem ex eo quod calore exiguo vigeat , solido cibo non alitur , sed lacte palcitur : ergo calor naturalis non solum crescit in materia propria , sed etiam aliena .

28 Resp. calorem naturalem duplice posse dici fortiorē : primō essentialiter & secundū se , seu intensive : secundō accidentaliter & secundū majorem diffusioneM h̄aque extensionem ejas in membris radicalibus , in ordine ad operationes corum . Primo modo calor major est in puerō , majoremque vim habet formandi membra radicalia : secundo modo est fortior in adolescentē , & juvēne : unde vegetiores sunt ad operationes organorum exercendas . Hinc est quod pueri non possunt congruē alī solido cibo : quia , cūm calor corum naturalis sit maximē occupatus in formatione , & consolidatione membrorum radicalium , & nondum perfectè diffusus seu explicatus , facile à materiae multitudine , & grossitie obrueretur .

29 Arg. 2. cūm animal pervenerit ad decrementi statum , sicut fit calor ejus naturalis debilior , minus de alimento convertens , ita & minus de humido assunit : ergo poterit tantum , imò & plus restaurare , quam deperdatur , ac consequenter augmentum ex debilitate caloris naturalis stare debere non convincitur .

30 Conf. 1. re ipsa quidem experientia docemur , quod tunc temporis animalia incrassantur , pinguiscent ac dilatantur , quod ad augmentum spectat .

31 Conf. cūm pervenerit animal ad id temporis , in quo augmentum stare putatur , poterit sustentari cibo facilis digestionis , & tunc facillime convertet plus de alimenti substantia , quam de propria dissolvatur : ergo poterit augeri .

32 Resp. ad arg. quod tunc temporis calor naturalis minus de humido nutrimentū , & extraneo absunit : supponit tamē plus de radicali consumpsisse . Et inde emanat ut non possit tantum restaurare quantum deperdat : quia humido nutrimentali magis multiplicatio habeatur calor , cūm astiat in extranea materia .

33 Resp. ad 1. conf. ex D. Alb. M. quod nutritivæ augmentatiæ deserit ministrando prius de nutrimento ion-

longitudini, quam latitudini, vel spissitudini: quia secundum longitudinem propriè sumitur augmentum: capropter tunc incipiunt magis inspissari membra, & dilatari ex majori fluxu nutrimenti ad dimensiones illas. Sed hoc non est propriè augeri.

34 Resp. ad 2. conf. quemlibet cibum, etiam delicatissimum, esse impurum respectu caloris naturalis, & materiam extraneam: unde agendo, & reagendo calor naturalis in ea hebetatur, nec potest plus restaurare, quam deperdat.

35 Circa tempus augmenti, status, vel decrementi, nihil universaliter in omnibus viventibus statui potest. In homine status augmenti ut plurimum solet porrigi usque ad vigesimum primum annum, ut docet D. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 2. Et in quinto ætatis anno medietatem magnitudinis illius assequitur, quam assecuturus est in fine augmenti, ut docet Arist. 1. de gener. animal. c. 19. Tempus vero status seu conservationis est à vigesimo primo usque ad 42. vel 40. ut alii volunt: incipit tunc homo decrescere usque ad finem vitæ.

ARTICULUS QUARTUS

Utrum vivens idem numero maneat ante, & post augmentationem, seu toto vita decursu.

36 **C**oncl. est affirmativa. Eam docent Arist. I. 1. de gen. t. 23. & 24. D. Th. D. Alb. M. ibid. & communiter Philosophi. Et prob. ex eodem S. D. finis augmentationis est quantitas perfecta, qui nullatenus haberi posset, nisi maneret idem numero vivens in toto vita tempore: sed potentia, seu virtus non potest penitus fine suo privari, alias nostra esset: ergo necessariò debet idem numero vivens manere. Seq. prob. quia tunc non perduceretur idem numero subjectum ab uno termino in aliud, sed ipsum corrumperetur, & aliud adveniret; atque adeo perfectum non esset in quantitate: quia non fieret tunc additio ad quantitatem præexistentem, sed generato subjecto nova quantitas pullularet; quæ ad per-

perfectionem per augmentum deduci deberet. Unde Philosophus asserit augmentationem esse quandam extensionem ad instar extensionis metalli per malleationem, ubi fit major quantitas manente metallo eodem numero.

37 Quo autem pacto fieri possit, ut semper idem numero maneat, varie explicant Philosophi. S. D. asserit idem numero remanere, quia remanet eadem species, & forma singularum partium toto vitæ decursu, licet materia singularum partium per actionem caloris naturalis resolvatur, & de novo per conversionem alimenti adveniat. Nunquam enim contingit omnes partes præexistentes dissolvi, & abscedere, sed semper manet aliquid; cum quo illud, quod evenit, unum quid efficitur, quod in resurrectione explicatur. Dicitur enim idem numero homo resurgere, quia licet quidquid materialiter fuit in homine toto vitæ curriculo non resurgat, resumitur tamen ex eo, quantum ad complementum debitæ quantitatis sufficit: & præcipue illud, quod perfectius fuit sub forma, & specie humanitatis consistens. Si quid vero ad complementum debitæ quantitatis defuit, aliunde hoc divina potentia supplebit. Eadem ratione in opere naturæ idem homo numero manet, licet aliunde ei superaddatur aliquid, quod à pucro non habuit, ut ad perfectam ætatem provehatur.

38 Objicies: ubi est alia materia, & alia forma numero, ibi nequit idem numero compositum permanere: sed in toto vitæ decursu non manet eadem materia, cum hæc fluat & refluat, nec eadem forma, quia nulla forma materialis potest suam materiam deserere, & de subiecto in subiectum migrare: ergo ante, & post augmentum non remanet idem numero vivens. Maj. patet: nam hoc compositum ex unione hujus numero ~~formæ~~, & hujus materiae coalescere debet.

39 Conf. ex Arist. lib. 1. de gen. t. 36. ubi docet eodem modo vivens in toto vitæ decursu idem numero manere, sicut eadem aqua in vase manere dicitur, si ex illo, cum plenum est, aqua guttarum effluat, & semper guttam infundatur: & eo planè modo, quo fluvius idem manere dicitur, quia aqua continuè fluit in ipso: sed in

nullo ex his casibus manet semper eadem numero aqua , sed semper est alia , & alia numero : ergo cum materia continet fluat , & refluat , non poterit vivens idem numero toto illo tempore manere .

40 Confirm. 2. unitas numerica partium , & totius dependet à materia & quantitate ipsius , ut à principio individuationis : ergo cum materiæ partes abeant , non poterit idem numero vivens remanere . Tandem , quia in plantis , & animalibus imperfectis cum nova parte materiæ nova pars formæ advenit : ergo saltem in ista non remanebunt eadem numero toto vitæ spatio .

41 Resp. ad arg. ex S. D. quod si sit alia materia simpliciter , taliter quod penitus amittat speciem & formam præexistentem , equidem necesse est aliud compositum esse : sed si sit tantum alia secundum quid , non mutatur compositum , sed simpliciter idem numero remanet . Materia autem quæ additur non est simpliciter alia , quia unitur præexistenti & recipit eandem formam ac speciem , in determinato situ , & figura , & virtute . Neque destruitur forma quæ est species ; sed quæ est materia speciei . Unde simpliciter remanet idem numero vivens .

42 Resp. ad 1. conf. ex eodem S. D. de motu animali . 1. 8. maximum intercedere discrimen inter identitatem fluvii aut vasis , & identitatem numericam viventis : nam in fluvio & vase non manet aliquid idem secundum numerum : aqua enim adveniens non cedit in eandem substantiam numero , cum ea cui advenit , sed est extra ipsam , quamvis continua : in partibus autem viventium , quæ nutriuntur , id quod advenit in illud transmutatur cui advenit , & unum numero cum illo efficitur , ita ut nihil unius sit extra aliquid alterius , & ideo manent actu eadem ; numero : quamvis aliquid dissolvatur , & aliquid adveniat . Unde hoc exemplum appositum non tenet in omnibus .

43 Ad 3. conf. dico unitatem numericam sumi à materia sigillata quantitate in viventibus , non prout præcisè materia est , sed ut accedit ad formam speciei , & est conveniens organorum materia : hæc autem non deperditur , ut diximus , sicut neque quantitas . Ad ultimum patet ex dictis in solut , argum .

ARTICULUS QUINTUS

Utrum vivens secundum omnes partes augeatur.

44 **P**rima conclus. in augmento generali, quod est secundum quamcunque quantitatem, quælibet pars viventis secundum speciem, & non quælibet secundum materiam augetur proportionabiliter: ita ut fiat additione cuilibet particulae proportionatae, majori membro plus, & minori minus. In augmento autem speciali, quod perducit corpus animatum ad perfectam quantitatem & figuram, plus additur longitudini quam latitudini, & profunditati, seu spissitudini: unde non sit proportionatae quoad dimensiones, licet fiat proportionatae quoad membra, ita ut majori plus addatur, quam minori. Concl. est D. Tho. lib. 1. de gener. l. 15. D. Aib. M. loc. cit. q. 15. art. 2, & communis Philosophorum.

45 Prob. ex eodem S. D. de ratione ejus quod augeatur, est ut idem permanens in majorem quantitatem extendatur, per additionem magnitudinis ad magnitudinem: sed quælibet pars secundum formam & speciem considerata permanet, & cuilibet parti sic considerata additur aliquid: ergo quælibet pars secundum formam & speciem augetur. Non autem omnes partes secundum materiam augentur: quia sicut omnes non permanent, ita nec augeri possunt.

46 Secunda concl. solæ partes aliquotæ augentur, non autem proportionales. Ita sumitur ex D. Th. ibid. lib. 1. lect. 15. Prob. de ratione augmenti est, quod sensibilis magnitudinis fiat additio ad magnitudinem præexistentem, transitusque de imperfecto ad perfectum: sed partes proportionales sunt communicantes, & indesignatae; & una non addit super alteram aliquid sensibile: ergo partes proportionales non augentur, sed aliquotæ.

47 Conf. augmentum viventium est continui physice sumpti, & prout sequitur ad formam naturalem: sed sub hac ratione non habet partes proportionales in infinitum divisibles, sed aliquotas, quæ divisione fini-

finiri possunt ; ita ut dari possit minima ; ultra quam
forma & species naturalis non salvetur , ut supra dixi-
mus : ergo augmentum non sit secundum partes propo-
tionales , sed aliquotas . Etsi enim proportionales con-
tineantur in aliquotis absolute sumptis , non tamen hoc
modo , quo aliquotæ ad formam naturalem consequin-
tur , scil. modo certo .

48 Arg. 1. contra 1. pars quæ additur , v. g. caro non
augeur , sed tantum illa , cui cibus in carnem conver-
sus additur : sed utraque caro est pars totius viventis :
ergo non augetur secundum omnes partes .

49 Resp. ex S. D. ibid. quod si sumatur augmentum
materialiter , & pro mutatione illa qua sit additio quan-
titatis , sola caro præexistens , cui additur cibus in car-
nem conversus , augeri dicitur , cibus vero est augens ,
ut docet Philos. ibid. t. 39. Si autem formaliter conside-
retur , & secundum rationem formalis extensionis , utra-
que augetur . Nam ex utraque unum vivens constitui-
tur , cujus quælibet pars secundum formam augetur per
extensionem ad majorem quantitatem .

50 Arg. 2. si quælibet pars augetur , debet cuilibet
addi aliquid : ergo corporeum , vel incorporeum : sed
non incorporeum , quia non esset quantum in actu , unde
majorem extensionem non præberet : neque corpo-
reum , quia sequeretur duo corpora penetrari & esse
simul in eodem loco , nimimum augens & actum : non
enim scorsim ponuntur , cum oporteat additionem fieri
cuilibet parti ejus , quod augetur : ergo quælibet pars
viventis non augetur .

51 Conf. si cuilibet parti addatur etiam minimæ , in
quohibet augmento vivens crescat in duplo : quod ipsi-
fissimis oculis falsum esse deprehenditur . Nec valet di-
cere calorem naturalem in minora dividere alimentum ,
quam nutritum : tum quia calor naturalis in minora ,
quam potest , nutrimentum & nutritum dividit . Multi-
tudo minus dici potest in nutritio continuam fieri deper-
ditionem : & id , quod additur , illud deperditum res-
taurare cogitur : unde non est necesse in duplum cres-
cere . Nam ei quod deperditur nulla sit additio , sed ei ,
quod manet : sed additur cuicunque particula manen-

is: ergo nec etum erit in duplum crescere.

52 Resp. ad arg. cùm D. Th. loc. cit. & D. Alb. M. ibid. q. 15. a. 1. quod augens est potentia pars aucta, quæ est caro vel os vel utrumque; & etiam potentia quanta & corporea, non tamen actu. Cùm enim deperdit propriam formam; & acquirit esse viventis, deperdit quoque accidentia propria, ac per consequens quantitatem actualem, & solum remanet in potentia quanta; & sit actu quanta, cùm suscipit actum corporeitatis in ipso aucto. Illud autem sufficit, ut faciat quantum & majus. Licet enim cibus secum non deferait quantitatem actualem, cùm tamen cibato seu nutritio additur, efficitur major nutriti quantitas. Quantitas enim est mensura substantiæ secundum partes materiæ: ideo multiplicatis materiæ partibus per additionem substantiæ cibi necessaria est eam extendi: & huiusmodi partibus dissolutis ac deperditis minuit ac decrescere: dummodo illæ partes eodem modo in situ se habeant: ita ut per rarefactionem una non distet ab alia, nec per inspissationem contrahatur. Nec tamen sequitur duo corpora esse in eodem loco: quia materiæ non debetur locus. Sed post conversionem sicut sit actu quanta, & eadem in esse viventis, ita & acquirit eundem locum.

53 Resp. ad conf. ex eodem D. Alb. M. ibid. q. 14.a. 2. calorem naturalem in minima dividere, solum nutritiens, tunc nutritum: subinducit enim undique cibum in corpus nutritum. Et nihil prohibet quin pars cibi tantæ sit dimensionis, quanta est pars cibati ante additionem. Sed quia cibus non additur cibato manens cum propria forma substanciali cibi, sed ipsa deperdita accipit formam quæ est in nutrito; ideo etiam non additur manens in quantitate, quam habebat, sed quantitatem nutriti suscipit, qualitatem subi; unde non oportet in duplo augeri; sed secundum virtutem caloris naturalis agentis in substanciali, ut stantem sub quantitate imperfecta, quam ad perfectam extendere intendit.

54 Si autem queratur, quomodo tunc augmentum fiat? Resp. D. Alb. M. ibid. fieri per calorem naturalem extendentem membra radicalia in omnem dimensionem.

sionem , plus tamen in longum . Quapropter cum ratio caloris naturalis fortior extiterit , quam partium additarum multitudo inspissare possit , erit corpus nufitum subtile , & rarum ; ut corpora puerorum . Quando autem utrumque proportionatum est utriusque , corpus medio modo se habet , ut in juvenibus videre licet . Quando vero stat extensio , & nihilominus ingeruntur partes materiae per conversionem cibi , tunc necesse est corpora inspissari , & fieri solida propter humidi consumptionem , ut evenit in corporibus senum .

55 Quæres utrum sit ejusdem virtutis diminuere , cuius est augmentare ? Resp. D. Alb. M. ibid. quæst. 14. art. 3. quod diminutio propriè sumpta , & prout reperitur in animato , formaliter non provenit ab eadem virtute , atqui augmentum . Augmentum enim à vi augmentativa provenit prout habet rationem virtutis naturalis & potentiae , propter victoriam formæ super materiam : diminutio autem à defectu illius , unde provenit à virtute animæ deficiente , & habente se per modum naturalis impotentiae . Ideo differunt principia illarum , quemadmodum naturalis potentia , & naturalis impotentia , quæ ponuntur esse diversæ qualitatis species .

ARTICULUS SEXTVS

Vtrum dictæ potentiae animæ vegetabilis realiter ab invicem distinguantur ?

56 **C**onclusio est affirmativa . Prob. ratione desumpta ex D. Th. I. p. qu. 78. a. 2. potentiae distinguuntur per actus & objecta formaliter sumpta , seu in esse objecti considerata . Sed hujusmodi potentiae habent actus & objecta in esse objecti simpliciter diversa : ergo realiter different . Maj. fuisse probata manet supra . Min. vero prob. ex dictis : omnes istæ potentiae habent pro objecto corpus potentia vivens per animam , ut dictum est : sed ad hujusmodi corpus diversam formaliter rationem dicunt , & diversis operationibus respi-

ciunt ipsum: ergo habent actus & objecta in esse obiecti simpliciter diversa. Prob. min. corpus prout est potentia animatum, quod est alimentum, dum converatur in corpus vivens, non est necessariò sub majori quantitate, quam fuerit priùs: & prout est potentia tantum corpus organicum, non respicit ipsum ut addibile quid alii corpori, sed sub præcisa ratione corporis organici: sed potentia generativa respicit alimentum, ceu potentia corpus sub præcisa ratione corporis animati-organic, & non ut addibile alteri, vel ut exigens sub majori quantitate existere; potest enim contingere quod ante additionem moriatur: nutritiva autem, prout est addibile alteri, quod est in actu, non tamen sub majori quantitate exigens necessariò existere; alias totæ tempore augmentum perduraret, sicut & nutritio: & tandem augmentativa respicit ipsum secundum extensionem formalem ad majorem quantitatem: ergo diversas rationes formales objectivas habent, primarias, & substantiales, non verò solùm accidentales: ergo realiter differunt.

57 Prima conseq. prob. in potentiis & habitibus differentiæ, quæ sumuntur ab objecto & fine primario, sunt essentiales: sed istæ differentiæ ita se habent: ergo sunt essentiales. Min. prob. finis primarius nutritivæ est salvare corpus animatum; augmentativa autem deducere ipsum ad perfectam figuram, & magnitudinem organorum; & tandem finis generativæ est formatio corporis organici & diffusio similitudinis generantis in ipso: sed nutritiva hoc facit per additionem seu incorporationem ipsius alimenti: augmentativa per extensionem formalem membrorum radicalium: generativa autem per virtutem formativam in semine residentem, tanquam in instrumento: ergo hæc rationes sunt desumptæ ex objecto & fine primario: ac per consequens sunt substantiales & facientes essentialiter differre. Quod autem habeant diversas operationes, & actus ex dictis patet.

58 Confirm. potentia secundum diversam rationem formalem objectorum realiter distinguuntur: sed licet alimentum idem sit secundum substantiam materiæ tamen

tamen necessariò est diversum secundum speciei rationem; prout respicitur a potentia generativa, nutritiva, & augmentativa: ergo secundum diversas istas rationes sunt diverse realiter potentiae istae. Probatur min. diversæ rationes formales in objectis potentiarum sunt penes diversos fines, ad quos illæ potentiae primo, & per se ordinantur, præsertim in potentiis activis, quales sunt potentiae animæ vegetativæ: sed alimento inest diversa virtus ad generandum, nutriendum, & augendum, seu ad organisandum primo corpus, salvandum ipsum, & extendendum secundum perfectam magnitudinem, quæ sunt fines hujusmodi potentiarum: ergo alimentum, prout respicitur à generativa, nutritiva, & augmentativa, necessariò habet diversas rationes formales, licet materialiter unum sit. Prob. min. alimentum, ut supra diximus, virtutem generativam accipit in vasis seminariis: nutritivam ab hepate vel corde, ubi ultimò perficitur sanguis: augmentativam autem à fonte caloris naturalis facta in corde; non enim calor qui sufficit ad perficiendum nutrimentum, ut habeat virtutem nutriendi, sufficit ad communican-dum ei virtutem ad extendendum membra radicalia: cùm explero augmento fiat perfecta nutritio, non tamen ipsa extenduntur: ergo ad istos fines, & operatio-nes diversis virtutibus indiget alimentum, seu potentia corpus animalm. D. Alb. M. ibid.

59 Dices operationes illas, finesque, seu rationes objectivas esse inadæquatas & subordinatas; ea propter non valent realiter distinguere potentias.

60 Contra: in potentiis, & habitibus non sufficit quælibet subordinatio actuum, & operationum, sed requiri-tur quòd sub formali ratione, quā attingunt objectum suum, sit subordinatio, & in eodem genere causæ formalis extrinsecæ, & motivæ, seu determinativæ ipsarum operationum, seu actuum: sed operationes, & actus hujusmodi potentiarum non subordinantur sub formali ratione, qua attingunt objectum, & in eodem genere causæ formalis extrinsecæ, seu determinativæ ipsarum: ergo hujusmodi subordinatio non tollit quin realiter distinguantur. Maj. prob. ex dictis quæst. præ-

292 Quæst. IX. De potentia augmentativa:
ced, ubi ostendimus potentias animæ inter se subordi-
nari; & operationes potentiarum animæ vegetativæ ei-
se priores ordine generationis operationibus potentia-
rum sensitivarum; licet ordine perfectionis sit è contra-
cum tamen realiter ab invicem different. Min. etiam pa-
tet ex dictis in argumento.

Solvuntur Argumenta.

61. Arg. 1. Arist. 2. de anim. t. 42. expressè asse-
rit nutritivam à generativa non distingui, di-
cens: *Quoniam autem eadem potentia animæ est vege-
tativa, & generativa &c. vel ut habet alia versio:
cum autem eadem sit animæ potentia nutritiva & ge-
nerativa &c.* Et profectò ratio id suadet: quia ex eo-
dem i. de gen. t. 39. actus utriusque est idem: in nutritio-
ne enim fit generatio carnis, & corruptio alimenti: er-
go potentia nutritiva est etiam generativa. Et confirm.
istæ potentiaæ habent idem objectum, scil. alimentum,
quod est potentia corpus animatum: ergo non distin-
guuntur realiter.

62 Resp. ex S. D. ibid. lect. 9. quòd dicuntur eadem
potentia non inter se, sed in vegetativo, in quo conti-
nentur sicut partes potestativæ in suo toto: supra enim
determinaverat de anima vegetativa secundum opera-
tiones suas, & quia ejusdem est agere in toto, & par-
tibus, prout istæ sunt quodammodo ipsum totum: &
quatenus distinguuntur ab aliis potentiais animæ sensiti-
væ, & intellectivæ per ordinem ad alimentum, ideo
de illis ut de uno agit. Ad id quod additur dico nutritio-
nem formaliter non esse generationem, quia suppon-
nit actu formam in subjecto, cui additur nutrimentum,
ut diximus, licet aggeneratio quædam sit, alimenti
corruptionem supponens. Resp. ad conf. quod alimen-
tum secundum substantiam materiæ equidem est unum,
& idem, diversum tamen secundum rationem sp-
ciei, seu diversas rationes formales objectivas, ut di-
ximus.

63 Arg. 2. si nutritiva, realiter differret ab au-
gmentativa, maxime ex parte terminorum, quia nimirum

rum nutritio terminatur ad partialem substantiam; augmentatione vero ad quantitatem: sed hoc ad earum distinctionem realem non sufficit: ergo non distinguuntur realiter. Prob. min. non minus distinguitur substantia totalis à tota quantitate, quam major quantitas à maiori substantia vel parte substantiae: sed eadem actione, qua generatur substantia totalis, producitur ejus quantitas: ergo etiam eadem virtus nutritiva, quæ convertit alimentum in substantiam aliti, causat quantitatem ipsius: eapropter non est necesse duas potentias distinguere.

64 Resp. non ideo præcise nutritionem ab augmentatione distingui, quia ad partialem substantiam terminatur, sed quia ad ipsam terminatur, ut ordinatam ad salvandum individuum, augmentatione vero ad quantitatem, non quidem sub præcisa ratione quantitatis, sed ut habet transire de perfecta ad perfectam propter perfectionem organorum, quæ sunt rationes formaliter diversæ objectorum. Ad prob. dico non minus distingui substantiam totalem à tota quantitate, quam partialem à partiali, si sumatur quantitas prout sequitur abolutè ad rationem substantiae seu primum accidens illius: sed non est sub hac ratione terminus augmentationis, sed quatenus vi caloris naturalis transit de imperfecta ad perfectam, ut supra cum S. D. explicuimus. Itaque etiam in nutritione, cum additur pars substantiae partibus nutriti, additur etiam quantitas, ut proprietas consequens totum; sicut cum generatur totalis substantia resultat totalis quantitas: sed tamen ex hoc non ponitur augmentatione, sed cum dein vi caloris naturalis transit de imperfecta ad perfectam: quæ sunt diversæ rationes formales constituentes distinctas potentias.

65 Dices: magis & minus non diversificant potentiam; eadem enim potentia visiva respicit magis, & minus album: sed nutritiva, & augmentativa solùm differunt penes magis & minus; quia nutritiva solùm convertit alimentum in substantiam aliti, augmentativa autem est, cum convertitur plus alimenti, quam deperditum fuerat de substantia viventis: ergo hoc,

294 Quæst. IX. De potentia augmentativa.
non sufficit ad distinguendum hujusmodi potentias.

66 Resp. quod nutritiva per se non respicit quantitatem sub ratione majoris vel minoris, hoc enim ei accidit, quatenus est potentia subordinata augmentativa, cuius est deducere vivens ad perfectam rationem organorum in esse naturali, & operativo. Hoc autem per se respicitur ab augmentatione.

QUÆSTIO X.

DE ANIMA SENSITIVA, sensibusque externis in communi sumptis.

Post disputationem de anima vegetativa, ejusque partibus potestatibus differendum supereft de anima sensitiva. Cæterum quia hæc innotescit atibus, objectis, suarumque cognitione virtutum ac potentiarum. Ideo nobis occurrit impræsentiarum sermo de sensibus ipsis, & primò quidem in communi, dein in particulari.

ARTICULUS PRIMUS

Utrum sensus sint potentiae passivæ, & in quo consistat sensatio?

I **V**ariæ sunt Philosophorum de hac re sententiaz. Quidam existimant duplicem esse sensum, quemadmodum & intellectum, scilicet agentem, & patientem: illum dicunt esse potentiam activam, istum vero passivam. Ita Apollin. lib. 2. de anim. q. 13. Iandunus q. 18. & alii. Quidam vero asserunt esse simpliciter potentias passivas. Ita Aegidius, & alii apud M. Prado lib. 2. de anim. q. 21. §. 1. Tandem alii existimant

mant sensus esse quidem potentias passivas , quia à sui monstrantur objectis : tamen operativas esse . Ita communiter DD. quorum plurimi adducuntur à dicto M: Prado ibid.

2 Notandum est ex S. D. quòd proprie loquendo aliud est actio , aliud operatio in naturalibus . Nam actio est operatio , ut transiens in effectum : seu fluxus ab agente , per quem in id quod subjicitur agit : passio vero est illatio , effectusque illius actionis in eo quod subjicitur , secundum hanc illationem actionis quedam simpliciter patiuntur , & per physicam transmutationem sui esse , vel substantiae . Alia patiuntur sine physica- sui transmutatione secundum substantiam , vel esse ; per solam immutationem intentionalem , & receptionem speciei intentionalis . Operatio vero dicitur proprie , quæ non significatur ut procedens in aliquem effectum , sed magis secundum quòd est aliquid in ipso agente immanens : quod prout recipitur in ipso , dicitur passio : actio vero consequens conjunctum ex recepto & recipiente , dicitur operatio : quia operatio semper est perfecti . Ab actione potentia denominatur activa : quæ est principium transmutationis in aliud , secundum quòd est aliud , quod est passivum . A passione autem passiva dicitur : & est principium transmutationis ex alio , quod est activum transmutans ipsum patiens . Ab operatione autem propriæ dicitur potentia operativa : quatenus ex aliquo recepto in se operatur , & elicit actum .

3 Nota 2. ex D. Alb. M. sum. de hom. tr. i. q. 33. a. 1. quòd sicut potentia sciendi tripliciter consideratur , primo sicut in puer , in quo est possiblitas naturæ tantum ad sciendum : quæ potentia remota , materialis , imperfecta , & indisposita est : secundo prout in discente , seu discipulo , nondum habente habitum , cognoscente tamen jam propositiones proprias : & hæc est potentia disposita , & propinqua : tertio prout habitu est completa perfectè illa potentia , ratione cuius dicitur in actu sciens : similiter de sensu philosophandum est , qui est animæ potentia , prout est actus conjuncti : quando enim potentia animæ cum organis conjugitur , tunc est potentia prima ad sensum , remota ,

& indisposita. Cùm autem per harmoniam organi, calorem naturalem, & spiritum animalem est continuè disposita, tunc est potentia proxima: quando vero habet speciem sensibilem tunc est potentia completa per actum: & sicut potentia completa per habitum scientiæ, seu actum elicit ipsum scire in actu secundo, & operatur actum habitus, ita potentia sensitiva completa per ipsam speciem sensibilem operatur ipsum sentire.

4 Certum est sensus non esse potentias passivas, quia physicæ transmutationis sint principia, seu physicè transmutentur ab agente physico. Sed difficultas est an recipiant aliquid quo intentionaliter immutentur, & ut sunt jam potentiaz proximæ & dispositæ per harmoniam organi &c. indigeant ulteriori determinatione, & motio ne ab alio facta, ut eliciant sensationem: & an ipsa sensatio sit sola receptio ipsius speciei complentis potentiam, vel aliqua operatio activa proveniens ab ipsa potentia completa actu per speciem, seu à coniuncto ex utraque; ratione cujus ipse sensus dici possit potentia activa, seu potius operativa.

5 Concl. sensus simpliciter est potentia passiva, activa autem seu operativa, non absolute, sed sit completa per actum seu speciem. Ita D. Th. 3. d. 14. q. 1. a. quæst. 2. in c. ubi ait: *Nulla potentia passiva potest in actu exire, nisi completa per formam activi, per quam fit in actu: quia nihil operatur nisi secundum quod est in actu. Impressiones autem activorum possunt esse in activis dupliciter: uno modo per modum passionis: dum seilicet potentia passiva est in transmutari: alio modo per modum qualitatis, & formæ: quando impressio activi jam facta est comaturalis ipsi passivo: sensus autem potentia passiva est: quia non potest esse in actu omnium, ad quæ se extendit sua operatio per naturam potentiaz: non enim potest esse aliquid quod actu habeat omnes colores, & sic patiendo à coloribus fit in actu, & eis assimilatur, & cognoscit eos: unde nec sensus, nec intellectus operari possunt, nisi per sua actiones perficiantur, & moveantur. Idem docet D. Alb. M. loc. cit.*

6 Prima pars prob. omnis potentia, quæ sit in actu per iusceptionem formæ alicuius agentis in ipsam, est passiva: sed sensus est potentia hujusmodi: ergo est potentia passiva. Maj. patet ex definitione potentia passiva: nimurum principium transmutationis ex alio, quod est actuum. Min. verò prob. sensus sine sensibili in actu non sentit; v. g. visus sine colorato non videt: sed ex se sensus non est omne sensibile in actu; v. g. visus non est omnis calor, aut compositus ex omni calore: ergo recipit ipsum aliunde, nimurum per speciem suam: ergo jam ab eo patitur: quia non sine sui immutatione intentionaliter recipit, cum ad præsentiam sensibilis actu sentiat, & ante non sentiebat. Min. prob. si sensus esset actu omne sensibile; v. g. oculus omne coloratum, jam sine colore actum visionis elicere posset; quia potentia, quæ est per actum completa, operatur, cum vult: sed hoc absurdum est: ergo sensus ex se non est. Conf. sensus nihil transmutat, sed potius ipse ab objecto transmutatur: ergo sensus est potentia passiva. Prob. antec. nec enim paries physicè immutatur in suo esse vel substantia, dum in eum conicio, & deinde deos: intentionaliter autem immutari nequit, quia hæc immutatio est cognoscentium propria: ergo sensus nullo modo transmutat objectum, sed ab illo intentionaliter transmutatur.

7 Secunda pars concl. prob. tum quia sentire est actio vitalis: nec enim inanimata sentiunt: ergo est à principio intrinseco efficiente illam; & non ab exteriori agente: licet illud principium hujusmodi operationem non eliciat nisi ut completum per speciem objecti. Tum etiam,, quia ex Arist. 3. de anim. t. 28. motus ille, quo sensus alteratur à sensibili recipiendo ab ipso speciem, sensibilem est actus imperfecti: motus autem, quo sensus jam factus in actu per speciem suam operatur, est actus perfecti: quia non est actus existentis in potentia, sed in actu, nec enim potentia sentit, nisi sit completa per actum: ergo sensatio non consistit in sola receptione, sed in aliqua operatione elicita à potentia completa per actum: ergo est potentia operativa. Prima pars antec. patet: quia omne, quod est in po-

tentia, in quantum hujusmodi, est imperfectum: potentia autem sensitiva est in potentia ad speciem sensibilis, à qua alterari dicitur: ergo illa receptio est actus imperfecti.

Solvuntur Argumenta.

8 Arg. i. mulier menstruata obtytu oculorum,

A suorum speculum inficit: & basiliscus videnti hominem interficit: ergo visus est potentia activa cum sit transmutativa alterius secundum substantiam & esse. Conf. omne agens ex Philosopho est nobilior patiente: sed potentiae vegetativae sunt activae: ergo si sensus sint potentiae passivae, erunt ignobiliores vegetativis, quod absurdum est.

9 Resp. ad arg. cum D. Th. q. 26. de verit. a. 3. ad 4. sensibile quidem aliquando à sensu transmutari per accidens tamen, in quantum ipsum organum sensus qualitate aliqua præditum est, per quam natum est aliquid corpus immutare. Unde inficiatio illa, quā mulier menstruata speculum inficit, vel qua basiliscus videnti hominem ei mortem infert, ad visionem nihil conseruant.

Quare responde
 explicat Ferrara 3. cont. gent. c. 103. ad 4. dicit, quod mulier menstruata inficit aërem, non per viam aut visionem, sed quia ex organo quidam vapores procuti, subtile, & nocivi à sanguine menstruo resoluti exspirant, & speculum inficiunt. Ex oculis autem basilisci quidam vapores subtile, ac venenosos evaporant, & homini vitam adimunt.

10 Resp. ad conf. ex eodem S. D. i. p. p. 79. a. 2. ad 3. hoc esse verum, si sint ejusmodi sphæræ, ordinis, & uniuersalitatis in agendo, & patiendo. Nobilitas enim potentiarum simpliciter ex majori extensione virtuosæ carum, & uniuersaliori operatione desumitur: unde potentiae in Deo sunt nobilissimæ, quia ad plura se extendunt, & nobiliorem modum operandi habent. Potentiae autem sensitivæ ad plura se extendunt, quam vegetativæ, & habent plures differentias, altiorenamque operandi modum: unde simpliciter sunt nobiliores, passivæ.

11 Arg. 1. sensibile est quid materiale, sensatio autem, & potentia sensitiva est quodammodo immaterialis & elevata supra conditionem materiae, cum sit in ordine cognoscientium, & nata recipere formas aliorum intentionaliter: sed nihil agit ultra suam sphæram: ergo potentia sensitiva non completur per speciem objecti sensibilis ad agendum, sed scipsa agit, & activa est.

12 Resp. ex D. Th. q. 5. de pot. a. 8. quod sensibile secundum proprietatem corporis, & quatenus agit per motum physicum seu naturalem cum transmutatione materiae, ut motum movens, est extra sphæram potentiarum cognoscitivarum, nec illas movere potest: si autem sumatur secundum quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, & participat aliquid de modo ipsarum, tunc agit sine transmutatione materiae, per quandam diffusionem similitudinis suae formae in medio secundum similitudinem spiritualis intentionis; & sic non est extra spharam illarum, sed in eodem ordine, & ut receptum movere potest; quia quidquid movet, movet secundum potestatem recipientis.

13 Hæc doctrina S. D. perdifficilis visa est P. Suarez lib. 3. anim. c. 9. unde contra eam arguit sic: non intelligitur, quid, qualisve sit participatio hæc naturæ superioris: aut enim est participatio alicuius entitatis perfectionis quæ sit intrinseca naturæ illorum objectorum, quæ species diffundunt, vel superaddita naturæ illorum? Si primum, tunc ipsa objecta per propriam naturam poterunt causare illam speciem, inutilisque redditur illa distinctio allata. Ponere autem esse perfectionem superadditam, omnino fictitium est, cum non possit satis explicari quid sit: ergo &c.

14 Resp. ex D. Alb. M. lib. 2. de anim. tr. 3. c. 6. quod sensibile secundum essentiam suam habet proportionem quasi in actu primo cum potentia, proportionem, inquam secundum rationem agendi, & patiendi: per actum autem suum, seu per similitudinem suæ formæ, quam producit in medio, redditur in actu secundo & complete proportionata. Si autem quæras à quo reducitur illa potentia in actum? Dico cum eodem, quod per se ipsam quatenus agit in virtute causæ superioris, cuius est lumen par-

participatum, & occumbens: licet enim id quo [est in potentia materiali non reducatur in actum nisi ab aliquo extrinseco; tamen quod est in potentia secundum esse formale, sine extrinseco se reducit in actum, salvata tamen subordinatione ad influxum causæ superioris, à qua in agendo dependet.

15 Hujus rei gratia notandum est ex S. D. loc. cit. quod cum omne agens agat secundum quod est actu, secundum ordinem caifarum in actualitate, oportet ordinem earum in causando accipere. Corpora autem inferiora minus habent de actualitate, quam superiora, & ista minus quam substantiae separatae, à quibus moventur, quae sunt ut formæ illarum: & hæc deficiunt ab actualitate Dei, qui est suum esse. Corpora ergo inferiora agunt ut mota à superioribus, superiora ut mota ab Angelis, & ista ut mota à Deo, cuius motui cuncta subordinantur. Alter autem agit Cœlum motum secundum proprietatem corporis; quia agit per motum, & transmutando materiam istorum inferiorum in quæ agit; ut elementorum, ac cæterarum rerum corporearum vicissitudo continua satis superque ostendit. Alter vero agit forma, seu potius id quod se habet ut forma illius, nempe Intelligentiæ, i.e. Substantia separata; agit enim per diffusionem virtutis suæ in ipso mobili & spiritualiter, ut supra ostensum est in libris de Cœlo. Et quia omne agens imprimis quodammodo similitudinem suam in mobili, ideo omnia inferiora imitantur in agendo Cœlum & prout agit secundum proprietatem corporis; & ut agit ut forma seu actione formæ. Omnia ergo sensibilia inquantum agunt secundum proprietatem corporis, & ut mota per motum suum, & actionem transmutant ipsa mobilia physicè; quia primum corpus, cuius in agendo similitudinem habent, secundum proprietatem corporis agendo, ita habet agere; v. g. calidum agens secundum proprietatem corporis, & per motum immutat physicè ipsum calefactibile. At vero cum ipsum sensibile agit secundum proprietatem suæ essentiae, & formæ, seu actione formæ, quæ est quidam radius Primiæ Intelligentiæ, & lumen obumbratum, tunc modo illius agit, nimirum spiritualiter, & per diffusio-nem suæ virtutis in ipso mobili. Et hoc modo dicitur

quo-

quodammodo attingere ad ordinem substantiarum separatarum , & participare aliquid de modo ipsarum , nimirum modo agendi . Lege D. Th. attente , & facile digneſces esse genuinam illius mentem .

16 Et quod res ita se habeat : planè demonstrat ratio L. 5. h. nimirum quod naturæ inferiores consueverunt aliquid participare de proprietate naturæ superioris , quia natura inferioris nil aliud est , quam forma superioris ut cadens , & deficiens à plena , & perfecta ratione illius : quod elegantissimè probat D. Alb. M. in aureo illo opusculo de processu Universi , quod habetur tom.. 5. operum ipsius . Deus est ut suprema natura in genere cognoscibilium ; dein substantia separata est ut cadens : quia in ea intelligere non est ipsum esse , quemadmodum in ipso Deo : homo secundum intellectum est cadens à plena ratione intellectualitatis Angeli , quia ad phantasmatæ conversionem dicit ; & potentia sensitivæ , sunt quædam participationes deficientes intellectualitatis . Ubi manifestè conspicitur naturam omnem inferiorem aliquid de superiori participare . Si ergo in genere moyentium formarum est ipsum sensibile agens actione formæ aliquid inveniatur oportet ut subordinetur formæ primæ agenti in genere corporalium , quæ est substantia separata ; haec autem non igit actione formæ per transmutationem materiæ , sed per diffusionem suæ virtutis : ergo etiam ipsum sensibile hoc modo aget in sensum . Vide modò prudens Lector , an difficultatem patiatur haec doctrina planè angelica Angelici nostri Doctoris , ut eam P. Suarez perdifficilem reputet , & impugnet ? Certè si omnia , quæ captui nostro perdifficia sunt , non essent vera , sed arguenda , quod in scientiis elevatissimum , & certissimum est deberemus impugnare , & rejicere .



ARTICULUS SECUNDUS.

*Utrum sensibile rectè dividatur in commune, proprium,
et per accidens.*

17 **C**oncl. est affirmativa, & communis. Eam docet Philosophus lib. 2. de anim. t. 63. D. Tho. ibid. l. 13. & in 4. d. 46. q. 2. D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 32. a. 2. Prob. sensibile dicitur quidquid sensui passionem infert: sed tantum tripliciter sensui passionem inferri contingit: ergo tantummodo est triplex sensibile. Prob. min. quidquid passionem sensui infert, vel semper se immutat sensum, & in ipsa passione sensus differentiam efficit: vel ut conjunctum alteri, nullam circa ipsam sensus immutationem inferens differentiam? Si secundum, est sensibile per accidens: si autem primum, vel differentiam efficit quantum ad speciem agentem, & infert passionem sensui ut hic sensus est: & hoc est sensibile per se, proprium nimirum quatenus hoc est color, illud autem sonus, istud album &c. vel differentiam efficit in transmutatione sensuum, non quoad speciem agentis, sed quoad modum actionis, & sic est sensibile quod pluribus sensibus commune est: ergo tripliciter duntaxa sensibile sensui passionem infert. Ut aliquid dicatur sensibile per accidens ex S.D. duo exiguntur: primum est, quod accidat ei, quod per se est sensibile, quemadmodum albo accidit hominem esse, vel dulcedine affici. Secundum ut non lateat sentientem, sed ab eo apprehendatur: non quidem per se à sensu externo, sed intellectu, vel cogitativa, aut estimativa. Unde dulcedo in albo non est propriè sensibile per accidens, quia ab alio sensu externo, nimirum gustu, per se attingitur, quamvis per accidens à visu percipiatur. Si quod proprio sensu non cognoscitur, statim ad occursum rei sensatæ apprehendatur sub aliquo praedicato universali, percipitur ab intellectu; quemadmodum ubi primum percipio hominem loquentem, aut moventem se, statim atque discerno cum vivere, & per intellectum vitam illius apprehendo: unde video eum vivere ut quoddam visibile per accidens. Si vero id, quod sensu

sensu extero per se non attingitur , eo occurrente statim ab alio sensu apprehendatur in singulari : v. g. videndo coloratum in eo, hunc hominem , ut Petrum apprehendo , vel hoc animal &c. apprehenditur per virtutem cogitativam , quæ ratio particularis nuncupatur , eð quod sit intentionum particularium collativa : sicut ratio est collativa universalium .

19 Sensibile commune est quintuplex , nimirum magnitudo , numerus , figura , motus , & quies . Ita D. Thom. 2. de anim. lib. 13. t. 63. Alb. M. ibid. & communiter Philosophi . Prob. quia omnia ista sensus immutationem per se efficiunt quoad modum immutandi corporaliter ac situaliter , prout sunt in majori vel minori corpore , vel diverso situ , propinquo vel remoto cetera omnia ad hæc reducuntur . Asperum enim , & lene ad figuram attinent : acutum autem & obtusum ad dispositiones figurarum angulos habentium spectant : unum ad multiudinem reducitur : æquale etiam , & inæquale ad magnitudinem pertinent : simile , & dissimile per se non immutant sensum nisi ut conjunguntur cum aliquo sensibili proprio , vel communi , vel cum illius que: nam si sint in albedine similia cum hac involvitur figura , vel magnitudo ; unde visus albedinem seu proprium sensibile , cogitativa similitudinem per collationem intentionum percipit . Idem dic de pulchritudine , quæ sensibile commune cum proprio conjungit .

20 Sensibilis proprii tres conditiones assignantur . Prima est ut non sentiatur aliquo alio sensu præter proprium , v. g. visus colorum est , quos non contingit per se auditu , vel olfactu sentiri . Secunda est , ut substantia organi sensus proprii nata sit per se pati à tali sensibili proprio , & non ab alio ; organum enim visus v. g. non nisi à colore per se immutatur , quia solus color habet proportionem agentis ad illud organum seu proprium passivum . Tertia est , ut circa ipsum proprium sensibile secundum essentiam suam non contingat errare v. g. visus circa colorem . Hæc conditio art. seq. excludetur .

21 Dubium esse potest quodnam sit divisum in hac divi-

divisione? Respondent communiter DD. quod divisum hujusmodi est ipsum sensibile, non quidem absolute & in communi prout omne objectum sensuum, tam interiorum, quam externorum complectitur; sed solum ipsum sensibile externum: quia sentiri non dicuntur nisi quæ aliquo sensu externo percipimus. Ego quidem fateor primo & per se seu principaliter importari sensibile externum; non tamen secundum solum habitudinem activi ad sensus proprios, sed etiam prout importat modum movendi, & agendi, & ei aliquid coniungi accedit, quod proprie sensibile non est. Alias divisionem cum membro dividenti coincideret. Vnde haec divisio est analoga.

22 Arg. argumento quod proponit D. Thom. lib. 2. de anim. lect. 13. ubi ait: *Sicut sensibilia per accidens non apprehenduntur, nisi in quantum sensibilia propria apprehenduntur, ita nec sensibilia communia; numquam enim visus apprehendit magnitudinem, aut figuram, nisi in quantum apprehendit coloratum; videtur ergo quod sensibilia communia, sint etiam sensibilia per accidens.*

23 Conf. 1. sensibilia communia sunt etiam per accidens conjuncta cum propriis; v. g. motus cum albo: ergo &c. Ant. prob. quia sensibilia propria non forent magis sensibilia quam communia nisi ista per accidens coniungerentur: quemadmodum enim sensibilia communia nequeunt sine propriis attingi, ita neque propria sine communibus.

24 Conf. 2. sensibilia communia sunt extra latitudinem objecti adaequati sensus, non minus quam sensibilia per accidens; v. g. substantia: ergo utraque per accidens attingentur. Prob. ant objectum adaequatum, auditus v. g. solus est sonus; visus autem color &c. quæ à sensibilibus communibus distinguuntur.

25 Resp. ex D. Thom. i.p.q. 78. ar. 3. & D. Alb. M. loc. cit. dist. ant. sensibilia communia non apprehendantur, nisi apprehendantur propria, taliter quod propria praebant eis omnem rationem immutandi sensum, nego: ita ut ex propria forma etiam immutent sensum, licet mediate, concedo. Vnde sunt sensibilia

per

per se , quia id per sensibile dici meretur , quod ex propria forma sensum immutat . Id autem non co-
nvenit sensibili per accidens . Tota enim immutatio à pro-
prio sensibili provenit , vel communi quoad modum
immutandi , ut diximus . Non est tamen negandum quin
amplio modo sensibile commune , quod est quasi me-
dium inter sensibile proprium , & per accidens , dica-
tur etiam aliquo modo sensibile per accidens : non qui-
dem , prout per accidens opponitur ei quod est substancialiter , & per se movere , sed prout opponitur im-
mediate .

26 Resp. ad 1. conf. quòd sensibilia communia se-
cundùm esse materiale sunt euidem accidentaliter con-
juncta cum propriis : non verò secundum rationem
movendi , ut modi & determinationes quædam objecti
proprii sensibilis , ut agit in sensum . Nec tamen existi-
mandum est , omnia sensibilia communia debere ab
omnibus sensibus attingi , sed sufficit à pluribus per-
cipi .

27 Resp. ad 2. conf. neg. ant. ad prob. dist. ant. ob-
jectum auditus est solus sonus , quantum ad rationem
immediatam movendi per se auditum , con-
cedo : quantum ad modum movendi , & immutandi ip-
sum , & me liatè , nego . Cætera argumenta facile solven-
tur ex dictis .

28 Quæres an substantia sit sensibilis per se , vel so-
lùm per accidens ? Resp. sensus exteriores per se non-
ni si accidentia exteriora posse sentire , non verò substi-
tantiam : eapropter hanc solummodo esse sensibilem
per accidens . Ita D. Thom. 1. par. quæst. 67. ar. 3.
quia per se passionem sensui nequit inferre ; hoc enim
sola passibilis qualitas præstare potest . Attamen quia
per se sensibile ipsi accidit , nimirum passibilis qual-
itas , ideo per accidens dicitur sentiri . Vnde non
solum panis colorem videmus , sed & substantiam
percipimus , atque nivem , prout albedine affecta
est .

ARTICULUS TERTIUS

*Vtrum circa proprium sensibile in sensu proprio
error, & deceptio contingere posse?*

29 **L**equimur de errore apprehensionis & quasi materiali, quo judicatur unum ut aliud; g. cum apprehenditur cuprum ut aurum, propter colorem auri, qui in ipso relucet. Et est sermo de sensu recte disposito, vel habente rectam organi dispositionem. Si etenim indispositum fuerit, convenienter formam sensibilem non suscipiens, nihil prohibet ipsos deficere posse: quemadmodum & cætera passiva ob suam indispositionem agentium impressionem deficienter suscipiunt. Hinc propter indispositionem linguae infirmi dulcia reputant amara. Dixi, circa sensibile proprium: etenim circa sensibile commune, & per accidens sensus etiam recte dispositus errare potest; v. g. visus circa magnitudinem, dum à remotis corpus aliquod aspicit: quia non directe & primò respicit illa, sed consequenter, aut per accidens. D. Mon. p. q. 85. 6.

30 Notandum est quoddam sensibile duplicitate sumi potest. Primò secundum essentiam formæ causantis sensationem, & diffundentis speciem; v. g. coloratum. secundum rationem colorati, quæ est color ipse ut motivus, & diffusivus suæ speciei in medio. Secundò prout habet esse materiale in subjecto; v. g. auro, homine &c. cum quo componitur, vel à quo dividitur; sicut, dum apprehenditur hoc coloratum rubeum esse cuprum, vel non esse aurum. Et in hac compositione & divisione certum est errorum accidere posse: etenim cuprum saepè reputatur aurum propter colorem fulvum, & fel creditur melius colorem citrinum. Sed hic actus non est sensus proprii, scil. visus, sed ipsius sensus communis, ut notat D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 32. art. 2. Tota ergo difficultas est de sensibili proprio prout per speciem suam, & formæ diffusionem mover sensum.

31 Concl. sensus circa sensibile proprium per se errare non potest. Prob. ex D. Thom. ad sensibile proprium, & ad æquatum unaquæque potentia per se ordinatur: sed quod convenit alicui secundum quod ipsum, necessariò & semper convenit, ut dictum est illud. Post. ergo sensus semper eodem modo se habet circa proprium sensibile, & subinde per se non decipitur circa illud; quia decipi est apprehendere rem aliter quam sit. Maj. patet: quia sensus à sensibili specificatur, & intrinsecè respicit ipsum ut passivum suum actium, & proprium perficiens.

32 Conf. ex eodem S. D. quemadmodum res habet esse per propriam formam, ita virtus seu potentia cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitæ: sed res naturalis non deficit ab esse, quod ei secundum propriam formam competit, licet in aliquibus accidentibus, vel consequentibus deficere possit; v. g. homo potest non habere duos pedes, vel oculos: non tamen esse potest non rationalis: ergo neque virtus cognoscitiva deficere potest respectu illius rei, cuius specie, vel similitudine informatur; quia hæc se habet ut ratione dans ultimò esse cognoscitivum, quod est esse potentiae secundum actum completum: alias à proprio, & primo sui esse deficeret: ergo non errat circa proprium sensibile, etiam in particulari, sumendo ipsum secundum propriam sensibilis rationem, secundum quam abstrahit ab esse subjecti &c. licet secundum esse illi conjungatur: v. g. album judicat album, abstrahendo albedinem ab omni eo quod ipsi accidit, vel consequitur.

33 Arg. quotiescumque sensus recipit speciem eo modo, quo sensibile eam imprimit, non fallitur; sed est verus: siquidem natus est tantummodo per speciem à sensibili impressam judicare: sed cum sensus sentit, semper speciem suscipit eo modo, quo sensibile eam imprimit: ergo sensus nec circa sensibile proprium, neque circa sensibile per accidens decipi potest. Min. patet: etenim passum formam ab agente non suscipit, nisi eo modo, quo agens eam inducit.

34 Conf. ex D. August. lib. de vera Relig. cap. 33.

Y 2 dicente:

dicente: *Si omnes corporis sensus ita nuntiant, ut afficiuntur, quid amplius ab eis exigere debeamus, ignoramus.* Et profectò semel abrogata sensuum fide, nulla sit in scientiis certitudo: quoniam scientiæ in principiis, principia autem in experimento, & existimatione sensuum innituntur.

35 Resp. ad arg. quodcumque, cum agens in passo secundum potestatem patientis recipiatur (ut passim docent S. D. & D. Alb. M.) quamvis sensibile per sui præsentiam & speciem à se immissam naturaliter sensum moveat, & natum sit inducere perfectam, & veram cognitionem in ipso circa sensibile, attamen non semper contingit cognoscere sensibile, prout est in se; quia non semper suscipitur species, prout à sensibili naturaliter emittitur: vel propter indispositionem organi, vel imparitatem medii &c. Non contingit ergo in sensu error, nisi propter indebitam applicationem, vel susceptionem, & non ex parte speciei, quæ naturaliter repræsentat proprium sensibile præfens. Et quia ad sensibile per accidens requiritur applicatio, & compositionis sensibilis proprii cum ipso, vel discretio unitus ab alio, ideo circa ipsum, & frequentius, & magis de per se contingit error, non quidem formalis, sicut in cognoscente veritatem, sed quasi materialis; quia nimis cognitio non conformatur rei cognitæ, seu quia cognitio illius non est vera: ut docet D. Thom. p. q. 17. a. 3. c.

36 Ad autorit. D. August. resp. S. D. 1. p. qu. 17. a. 2. ad 1. quodcumque sensum affici, est ipsum ejus sentire. Vnde per hoc quodcumque sensus ita nuntiant, sicut afficiuntur, sequitur nos in eo iudicio non decipi, quo iudicamus nos sentire aliquid, sed ex eo quod sensus aliter afficitur interdum, quam res sit, sequitur quodcumque nobis rem aliter, quam sit, nuntiet. Et ex hoc circa rem ipsam fallimur, non tamen circa ipsum sentire. Quia vero id, quod per accidens est, ut in paucioribus est, id vero quod est ut per se, est ut in pluribus, & sensus circa propria sensibilia per se non decipiuntur, sed per accidens, optimè ex pluribus experimentis, sine erroris periculo, in scientiis certitudo accipi potest.

ARTICULUS QUARTUS

Vtrum sint necessariae species sensibiles ad actum sentiendi distinctae à qualitatibus sensibilibus ;
 Et an ipse sensu percipientur.

37 **N**omen speciei secundum vulgarem & usitatum loquendi modum sumitur pro uniuscujusque rei forma. Species ergo sensibiles formæ sensibilium nominantur, quibus in ipsos sensus agunt, illos immutando : est enim forma agendi principium. Hujusmodi formæ, ex S. D. 2. de anim. l. 24. duplex esse habent, unum in materia, quod est eorum esse naturale seu materiale : aliud intentionale. Ex eo quod qualibet forma, sive accidentalis, sive substantialis, in materia suscipitur, habet esse materiale ac naturale. Et sub hac ratione induit rationem speciei : species enim nominat formam sine materia ; unde species dicitur forma, & quidditas rei. Formæ autem sensibilium ut sunt sine materia in qua, & à qua esse materiale ac naturale suscipiant, dicuntur species, seu formæ intentionales. Exemplum apponit Philosophus in sigillo, quod suam formam diffundit & imprimit in cera ; non tamen communicat suum esse materiale ac naturale, pura esse aureum vel argenteum. Hinc in Sacramento Eucharistiae formæ accidentium sensibilium à materia separata post Consecrationem dicuntur Species Sacra mentales, quia non sunt ibi secundum esse materiale, & naturale, quod prius habebant ; sed secundum esse formæ, quæ eit ut per se.

38 Hinc nobis aperitur via ad percipiendum quid sit habere esse intentionale : quia si forma per materiam habet esse materiale ; dum sine materia suscipitur, modum essendi habet immaterialē ; quia habet modum proprium essentiæ, & formæ, quæ se diffundendo communicat per modum lucis, ac per consequens spiritu aliter quodammodo, quia omnis essentia immaterialis est in ratione essentiæ ; alias necessaria, ac perpetua non esset : omnia enim materialia caduca sunt, sub

materialitate sua remanentia , cùm materia sit corruptionis fœcunda mater . Et generatio secundum formam spiritualis est . Hinc in divinis generatio est spiritualis , quia secundum formam est , nullum esse in materia habentem . Et quia forma , ut formæ habet modum a materia abstractæ , quodammodo est ut per se , a genere intentionalí species illæ sunt ut per se : unde ut moveant medium quidem exigunt per quod deferanter , & in quo sint ut in deferente impressionem moventis , sed non ut in subjecto inhæsionis , & causa sui esse : in organo autem sunt ut motivum in mobili , quod est esse per modum efficientis , & virtutis determinativæ ipsius sensus ; prout est potentia passiva . Cùm enim potentia spiritualis sit , spirituali modo activum suum suscipit ; modus autem spiritualis est modus ut per se . D. Alb. M. lib. 2. de anim. tr. 3. c. 6. & seq.

39 Dices : illæ species accidentia sunt : ergo recipi in subjecto , & ipsi inhærere debent ; quia hoc omni accidenti proprium est .

40 Resp. species illas accidentia esse secundum suum esse materiale , quod habent in sensibili , seu causa & ratione hujus in subjecto esse , in quo ipsum sensibile est : secundum verò esse intentionale sunt ab objecto sensibili , sed non in illo ; in medio autem sunt ut deferente ; in sensibus ut activum in suo mobili per diffusione suæ virtutis in illo , & modo formæ spiritualis , non verò ut inhærentes illi : quia si secundum suum esse materiale & naturale advenirent , ratione cuius habent inhærere , sine immutatione physica non advenirent , quæ ibi non est . Nec enim omne quod recipitur petit inhærere , sed cùm recipitur ut participans esse ab illo , species autem non habet esse ab oculo , sed à sensibili , cùm actum oculi præcedat . Unde sensus à Philosopho definitur , quod sit susceptivus specierum sine materia .

41 Etenim licet commune sit omni patienti , quod recipiat formam ab agente ; in modo tamen recipiendi non modica est differentia . Si enim patiens eandem dispositionem habeat ad formam , quam habet ipsum agens , eodem modo recipitur forma in agente , sicut & in passo , unde recipitur cum materia ; v.g. lignum

ad formam calidi eandem dispositionem habet , quam habet ipsum calcfaciens : quia calor non est sine materia in calefaciente , neque recipitur sine materia in Regno , sed secundum esse materiale . At vero quando latiens alium modum essendi habet quam agens , nec haec et similem dispositionem ad recipiendum , non recipit secundum esse materiale , sed secundum modum proprium , quia unumquodque recipitur ad modum recipientis . Et quia modus essendi potentiarum cognoscitivarum est spiritualis , & quodammodo immaterialis propter accessum , quem habent ad ordinem substantiarum separatarum: ideo species recipiunt sine materia , seu modo spirituali , & intentionali .

42 Impræsentiarum ergo est difficultas an in omni sensu , ut operationem suam eliciat , exigatur necessariò aliqua species sensibilis intentionaliter movens potentiam , an vero sufficiat ipsum sensibile secundum esse reale , & naturale , quod habet ; & an hujusmodi species sint aliquid præter ipsas qualitates sensibiles; v.g. siccum , & humidum , frigidum , & calidum ; colorē , saporem &c.

43 Præma concl. in omni sensu , tam interno quam externo necessariò requiritur species sensibilis ab objecto in sensu externo producta . Ita D. Thom. I. p. q. 17. a. 3. c. D. Alb. M. loc. cit. q. 32. a. 3. & communiter Philosophi . Prob. tum ex natura cognitionis sensitivæ , quæ etiam ex natura sua per assimilationem , seu objecti similitudinem fieri postulat : sed forma illa , secundum quam similitudo , vel assimilatio pensatur , est species sensibilis : ergo &c. Prob. major exterior , & transiens semper est secundum aliquam formam , quæ est similitudo objecti actionis ipsius : v. g. calor calefaciens est calefacti similitudo : ergo potiori iure actio immanens erit secundum aliquam formam , quæ sit similitudo objecti : & cum non sit forma prout est in se ; quia lapis non potest secundum formam suam substantialiter sumptam esse in oculo , requiritur quod sit similitudo formæ , quæ species illius vocatur . Tum etiam , quia objectum sensibile verè agit in sensum , ipsumque immutat , seu proprium passi-

vum, ut diximus: sed movens & motum simul esse debent: ergo necessarium est objectum sensibile simul esse eum sensu, quem immutat: sed nequit esse simul realiter, & secundum suam substantiam, quia sensibile immediate positum supra sensum sensationem non deficit, ut dicemus art. seq. ergo per suam speciem à magnitudinem. Quod præcipue manifestum est in ipsis sensibus internis, qui absentibus sensibilibus, ipsa tanquam præsentia cognoscunt.

44 Secunda concl. licet sensibilia communia per se sentiantur & per se secundo moveant sensum, atque ab eo percipiantur, tamen non habent speciem à specie sensibilis proprij distinctam, ut unam speciem ab alia entitativè.

45 Prima pars prob. ex S. D. i. p. q. 78. a. 3. tum quia sensibilia communia per se primo non movent, & immutant sensum, sed ratione sensibilis proprii, alias sine sensibili proprio movere & cognosci possent; cum essent sufficiens principium activum, & motivum reducens sensum de potentia in actum: sed cum plura in una ratione objecti convenient, & in ea subordinantur, unica species sufficit, ut sæpius diximus: ergo non requiritur distincta species ad cognitionem sensibilis proprii & communis, sed unica sufficit, licet diversimodè attingens sensibile proprium & commune, nam istud solum attingit ut modificans sensibile proprium. Tum etiam, quia sensus non percipit qualitates sensibiles spiritualiter, & in abstracto, seu per modum essentiæ, & formæ; sed in concreto, & corporaliter: non enim visus percipit albedinem, sed album: imo neque album, sed hoc, vel illud album: ergo sensibile commune necessariò accipit, quatenus est coniunctum cum particulari; quia corporaliter unum non dividitur ab alio, v. g. coloratum à magnitudine, licet abstractivè designata separantur. Ant. patet, quia sensus sunt singularium, ac per consequens magnitudinem, ac cæteras conditiones singularisantes per se attingere debent, ut conjunctas cum proprio sensibili, quod singulariter determinant, & afficiunt.

46 Tertia concl. species sensibiles in esse sensibili, & in-

intentionali formaliter & quoad modum movendi & immutandi, sunt diversæ speciei à qualitatibus sensibilibus. Ita D. Th. q. 2. de verit. a. 3. & q. 8. a. 1. & 11. Prob. ex dictis: tum quia sensus non est capax formæ i. e. sensibilis secundum illius esse naturale; cùm non habeat dispositionem materialem similem dispositioni materiali rei sensibilis: sed sensus est capax speciei sensibilis: ergo species sensibilis non est ejusdem rationis cum qualitate sensibili. Tum quia qualitates sensibiles sunt contrariae; v. g. albedo & nigredo, secundum esse naturale: si ergo secundum istud esse in sensu suscipiuntur, & non secundum species alterius rationis, duo contraria eidem inesse contingere; cùm in eodem sensu visus sit similitudo albi, & nigri simul. D. Th. I. de sensu lect. 15. & 2. de anim. lect. 24.

47 Quarta concl. sensus externus nequit reflecti supra sensationem propriam, ita ut sensatio, seu ipsa species sensibilis sit objectum alterius sensationis ab ipsomet sensu elicite. Ita D. Th. cum Arist. lib. de sensu c. 2. & 4. Metaphys. lect. 14. D. Alb. M. ibid. & communiter Philosophi. Prob. 1. ex eodem S. D. ibid. & 1. p. q. 87. a. 3. sensus externus sentit secundum immutationem materialis organi ex sensibili exteriori: sed nihil materiale immutat seipsum, sed unum immutatur ab alio: ergo nec actus sensationis, qui est actus organi corporalis, nec species quæ est in organo, à sensu extero directe percipi potest. Prob. min. quia nihil immutat nisi secundum quod est actu: illud autem, quod est materiale, prout tale, non est in actu per seipsum; cùm esse materialis necessariò involvat potentialitatem ad actum: ergo nihil materiale immutat seipsum. Et hoc est discriumen, notandum inter sensum, & intellectum: quod, cùm intellectus sit potentia spiritualis, non affixa organo corporeo, supra se reflectitur, actumque suum, & ea que in se sunt, percipit. Unde intelligens se dicitur ad se redire redditio completa. Sed sensus minimè reddit ad redditio completa; sed ad summum incompleta, & imperfecta: quatenus scil. particularis sensus, ut conjunctus cùm sensu communi sensationem suam percipit quoad an est, aquia cognoscit se ab objecto immutari.

Vel, ut alii docent, sensus externi percipiunt proprium sensationis actum, seu speciem sensibilem indirecte, eodem et actu exercito, quo vitaliter percipiunt immutationem in sensu factam à sensibili. Vide M. Martine de Prado lib. 2. de anim. q. 23, §. 2.

48 Licet autem sensus ad se non redeat reditione completa, cognoscendo essentiam suam; tamen in acta exercito inter sua propria, & peculiaria sensibilia discernit ac dijudicat, ut docet S.D. 1. q. 78. a. 2. dicens: *Sensus proprius iudicat de sensibili proprio discernendo ipsum ab aliis, quæ cadunt sub eodem sensu; sicut discernendo album à nigro, vel à viridi.* Sed discernere album à dulci non potest, neque visus, neque gustus. Quia oportet, quod, qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat.

Solvuntur Argumenta.

49 Arg. 1. contra 1. ex Philos. 3. de anim. t. 6. dicente solam animam intellectivam esse locum specierum: ergo in ipsis sensibus species esse nequeunt. Et profectò rationes quamplurimæ id suadent. Et primò quidem, quia abeuntibus sensibilibus species illæ remanere possent; ideoque sensus externi rite rem absentem cognoscere possent: sed hoc esse falsum infra ostendetur: ergo in sensibus species non resident, quia species illæ nequeunt esse rationis ejusdem cum ipsis objectis, seu qualitatibus sensibilibus: sed nihil potest aliud repræsentare, nisi sit ejusdem rationis cum illo, seu similitudo illius: ergo non dantur: quia si darentur, ad nihil aliud deservirent, nisi ad repræsentationem objectorum sensibilium. Tertio quia illæ species, aut essent divisibles aut indivisibles: non indivisibles; quia ipsæ in corpore divisibili subjectantur: neque divisibles: quia ex omni parte medii, in quo esse dicuntur, objectum percipi non posset: ergo nuliatenus in sensu reperiri possunt. Quartò quia forma sensibilis est inferioris gradus, quam quælibet species producta in potentia cognoscitiva, cum ista spiritualis esse debeat: ergo nequit sui speciem in sensu imprimere.

50 Conf. Illæ species ad actum sentiendi non exiguntur,

tur, neque esse medium: quia sufficiens medium videndi oculo, v.g. est lumen intrinsecum: neque, ut objectum cum potentia uniant: quia inter objectum sensibilem, et ipsum sensum necessariò requiritur distantia localis: sensibile enim supra sensum immediate constitutum non sentitur: neque ut potentiam ad sentiendum determinent: quia vires sensitivæ ex se ad actus suos determinatae sunt: neque exiguntur ad producendum sensationis actum; quia, cum hic sit vitalis, sufficienter à potentia vitali cognoscitiva elicetur. Tandem neque ad representandum ipsum objectum: quia sensus non agit producendo aliquam objecti similitudinem, vel simulachrum, in quo rem exteriorem, seu ad extra cognoscat: sicut præstant sensus interni, atque intellectus.

51 Resp. ex eodem S. D. sensum non dici locum specierum; quia illas non sine organo recipit, intellectus autem absque organo.

52 Ad 1. rationem dico cum eodem S. D. 1. p. q. 78. a. 4. sensum externum per speciem ab objecto sibi impressam non sentire rem absentem, istam tamen à sensu interiori percipi: vel quatenus similitudo objecti abeunte sensibili remanet; vel quatenus species sensibilis se multiplicat, aliam in sensu interno speciem producendo, quæ deinde remanet, & est sensus interni objectum.

53 Ad 2. dico illas species in esse intentionalis, & repræsentativo esse ejusdem rationis cum objecto, quod sufficit.

54 Ad 3. dico species sensibiles per accidens esse divisibles: nimirum ad divisionem subjecti, in quo recipiuntur, puta organi & medii: indivisibles autem secundum propriam rationem, & per se: quia in quacunque parte medii est species ad repræsentationem.

55 Ad 4. dico, quod sensibile, ut agit actione propriæ formæ, & ut participat de proprietate naturæ superioris, nimirum substantiarum separatarum, non est ignobilis sensu, sed proportionatum cum illo; unde speciem suam in illo valet imprimere.

56 Resp. ad conf. cum eodem S. D. in 4. d. 49. q. 2. a. 1. speciem sensibilem esse necessariam ad actum sentienti ut medium quo. Triplex enim est medium in visione cor-

corporali, & intellectuali. Primum medium est sub quo videtur, quod perficit visum ad videndum in generali, & hoc scilicet lumen respectu visus corporalis. Secundum est medium quo videtur, & hoc est species, seu forma visibilis, qua determinatur visus ad speciale objectum. Tertium est medium, in quo res videtur; v.g. speculum, ad cuius inspectionem res in eo representata cognoscitur. Praeterea species requiritur ut objectum cum potentia uniat in esse representativo, & intentionalis, cum in esse naturæ sit distans. Tandem est forma, qua cognoscens cognoscit; quemadmodum enim res habet esse naturale per formam; ita virtus cognoscitiva ipsum cognoscere per speciem, seu formam illam, & similitudinem rei cognitæ.

57 Arg. 2. cont. 2. ex Philos. 7. Metaphys. t. 10. assertente omnia ab univoco fieri: ergo species, quæ est in anima, est ejusdem rationis, & speciei cum forma sensibili naturali, à qua producitur.

58 Confirm. similitudo inter sensibile, & speciem illam intercedere debet: similia autem sunt, quorum est una, & eadem qualitas: ergo &c.

59 Confirm. 2. species est principium cognoscendi objectum secundum eam rationem, qua convenit cum illa: sed species producit cognitionem rei secundum rationem istius specificam: ergo est ejusdem rationis & speciei cum ipsa.

60 Conf. 3. ideo essentia divina per nullam speciem creatam videri potest, quia nulla species creata esse vallet ejusdem speciei & rationis cum essentia divina: ergo omnis species debet esse ejusdem rationis, & speciei cum objecto representato.

61 Resp. ad arg. cum S. D. ibid. 1. 8. speciem illam eam tenus ab univoco quodammodo produci, quia est similitudo secundum formam, sed non secundum eundem modum essendi formæ, ut dictum est supra.

62 Resp. ad conf. inter speciem, & objectum solum esse similitudinem secundum representationem, & non secundum esse formæ: unde non requiritur quod sit eadem naturalis qualitas, & species.

63 Resp. ad 2. speciem cum natura sensibili eam tenus com-

communicare, quia utraque est forma; differre tamen in esse, seu modo essendi, quia forma in objecto habet esse naturale ac materiale; in sensu vero intentionale, ac spirituale.

64 Resp. ad 3. ideo essentiam divinam per nullam speciem creatam videri posse, quia simpliciter est diversi ordinis, etiam in esse representativo; cum sit actus purus & ordinis divini, species autem creata est quid potentiale & ordinis limitata. At vero objectum sensibile & species, saltem in esse representativo, sunt ejusdem ordinis & rationis.

65 Arg. 4. cont. 3. species sensibiles ex Philos. 2. de anim. t. 121. sunt quædam figuræ, & picturæ ipsius sensus: sed figura & pictura à potentia cognoscitiva attingitur, ut ducens in cognitionem ipsius rei representatæ. ergo species sensibiles à sensu attingi queunt.

66 Conf. 1. propter species sensibiles objecta videntur: ergo multò magis ipsæ videri debent, attingique, quia propter quod unumquodque tale, & ipsum magis.

67 Conf. 2. oculus in speculo percipit imaginem suam; illa autem imago nil aliud est, quam species: ergo &c.

68 Conf. 3. phantasma ex Philosop. de mem. c. 2. non modo secundum suum esse, sed etiam quatenus representativum est, percipi potest: quemadmodum animal pictum potest videri, non solum quia animal, sed etiam quia pictum est, seu quatenus imago: sed phantasma nil aliud est quam species sensibilis, qua abeunte sensibili remanere potest: ergo species sensibilis videri potest.

69 Resp. ad arg. species sensibiles respectu sensus interni esse veluti picturas, & imagines per modum objecti representati: at respectu sensus proprii esse medium quo, & formam cognoscendi, ut docet D. Th. de mem. l. 3. & subinde non percipi per se à sensu.

70 Ad 1. conf. resp. neg. conseq. quia non sunt ejusdem ordinis, & in uno genere causæ. Unde locum hic non habet illud axioma: Propter quod unumquodque tale &c.

71 Ad 2. resp. cum S. D. de sensu l. 4. oculum in speculo non videre imaginem vel speciem sui; sed per illam refle-

reflexam à speculo ad seipsum , videre se . Quia ima-
go , & species rei visæ non est in speculo , ut forma
ab iuncte in subjecto quiescens , sed ex reverberatione
gignitur . Quapropter , quandiu unica speculi superfi-
cies remanet , unica duntaxat fit reverberatio : unica
& imago resultat . Fracto autem speculo quemadmodum dum
superficies ibi multæ , ita & reflexiones , imagineisque
multæ resultant . Resp. ad 3. phantasma relictum esse
objectum sensus interni , non autem externi .

72 Ex dictis colliges quod sensus communis sùm-
utatur sensibus particularibus sicut organis & instru-
mentis , ideo eorum omnium operationes , nonnun-
quam ipsi sensui communi , ceu principali agenti actio-
nes instrumentorum , attribuuntur . Hac de causa sen-
sus visus abeunte sensibili etiamnum videre dicitur à
Philosopho de somniis cap. 2. quia in illa operatione
sensus communis utitur visu ut instrumento , quod sibi
continuatur , & cuius operationem terminat .

ARTICULUS QUINTUS

*Utrum sensibile positum supra sensorium sensationem
efficiat ? Et an omnes sensus externi egeant
medio ?*

73 **S**ENSUS tituli est utrum sensibile absque medio ,
per suasmet qualitates sensibiles contigè appo-
situm organo sensus , sensationem producere possit aut
sentiri , vel saltē producere sui speciem ac similitudi-
nem , per quam sentiatur , quemadmodum illam pro-
ducit , dum est distans localiter , & non omnino con-
tignum . Concl. sensibile immediate positum supra sen-
sum non sentitur . Duplex communiter ad id proban-
dum ratio adduci solet . Prob. ex S. D. 1. p. q. 55. a. 2.
de extremo ad extremum non pervenitur nisi per me-
dium : sed esse , quod habet forma sensibilis in re seu
in subjecto in quo est , est esse materiale ac corporeum ;
esse autem quod habet in sensu est esse spirituale : ergo
ad illud esse , & ultimam proportionem , quam habere
de .

debet cum sensu , ut immutet ipsum , requiritur quod in medio proportionetur , mediante specie . *Conseq.*
 prob. esse naturale seu materiale , & esse spirituale iunt
 duo modi essendi extremè distantes : ergo , ut ex uno ad
 alium fiat transitus , & immutatio , deber sensibile pro-
 portionari diffundendo se in medio per suam speciem .
 Nam quandiu ipsum sensibile per contactum corpo-
 reum in aliud agit , agit actione physica : ac consequen-
 ter per transmutationem materiae ; v. g. quandiu ignis
 in aliqd cœpus agit per contactum corporeum , com-
 burit , ac transmutat illud physicè ; iste autem modus
 immutandi omnino repugnat potentiis sensitivis .

74 Dices 1. speciem , quæ est in medio , esse ejusdem speciei cum ea quæ est in organo ; ac subinde ejusdem immaterialitatis : sed species illa , quæ est in medio , procedit ab ipso objecto : ergo objectum erit sufficientis immaterialitatis , ut potentiam sensitivam movere possit . Dices 2. medium non tribuere spiritualitatem speciebus quin potius eas infirmare in ratione movendi : unde per distantiam medijs attenuantur , & imperfectiores efficiuntur . Deinde , quia objecta à parva distantia percipiuntur : non apparet autem quomodo in illa majorem spiritualitatem suscipere possint . Tandem : quia , si species illa , immediatè in oculo constitueretur à Deo , sufficienter potentia per illam sentiret , absque illa proportione facienda in medio .

75 Profectò omnes istæ objectiones nullius sunt momenti , si ratio adducta in legitimo sensu intelligatur . Omnes enim illæ in eo nituntur , quod medium spiritualitatem nequit præbere speciei , cœu causa : quod ingenuè fateor : hoc enim esse immateriale est ab ipsa forma sensibili , & potentia ut suscipiente : attamen forma sensibilis non præbet illud esse immateriale , nisi ut agit actione formæ , & non actione corporis : sed quandiu agit sensibile per contactum immediatum , agit actione corporis , & non actione formæ : quia non nisi corporea se tangunt necessario , ut agant : ergo ut possit agere actione formæ debet agere , non per contactum sui cum potentia , vel organo , sed per diffusionem : non est autem diffusio formæ nisi per medium , alias esset per con-

tactum: ergo necessariò requiritur medium, ut fuscivens diffusionem formæ in illo, ad hoc ut actione formæ agere possit. Vide D. Alb. M. lib. 2. de anim. t. 3. c. 14. l. 73.

76 Omnes igitur sensus exteriores ad sensationem medio indigent, non tamen omnes eodem modo, ut fusè explicat S. D. lib. 2. de anim. lect. 15. Visus, tactus, & odoratus necessariò indigent aliquo medio extrinseco: visus quidem, nam de ratione coloris est, quod sit motivus diaphani: si autem immediatè con�igeret oculum, nullum diaphanum in actu ibi intercederet. Auditus vero; quia, ut generetur sonus, oportet fieri percussionem duorum corporum solidorum adinvicem, & ad aërem: sed aër, qui est organum auditus, est omnino immobilis, alioquin non possent sonorum differentiationes certò percipi: ergo inter sonum, & organum auditus debet necessariò mediare aër: quia corpus solidum sonans, cum non habeat sonum in actu, necessariò indiget aere, ut actu sonus ad auditum perveniat. Odoratus etiam medium aërem exigit, vel aquam: quibus mediis tali odore affectis immutetur. In gustu etiam, & tactu requiritur medium, non tamen extrinsecum, sed intrinsecum, & conjunctum, quod est pars animalis sentientis: & hoc est caro in tactu; in gustu autem non est caro linguae, sed medium intrinsecum distinctum. Et ita venit intelligendus S. D. asserens, quod quædam sensibilia contingunt organum secundum suum esse materiale, sicut in gustu, & tactu: quia nimis excludunt medium externum, non tamen internum. Sed de his infra.

77 Objicies ex Philos. de sensu cap. 3. oculus motus fulgorem in se existentem percipit. Præterea lingua infirmi cholericò, & amaro infecta humore illum amarorem perfentit: & ratione illius dulcia illi sapiunt, ac si amara essent. Insuper caro sentit qualitatem superpositam, ipsa autem est sensorium tactus. Sonus quoque vehemens prope aures realiter illabitur usque ad auditum. Evaporatio denique odorifera aliquando ad cerebrum usque pertingit. Et tandem aëreum percipiendum requiritur humiditas, ut gustabile humescat,

scat, & poros linguae subingrediatur vapor saporem, deferens ergo ponori jure ipsummet organum immutabit, si ipsum contigerit immediate. Vnde & mutus percipitur sapidum, cum realiter ad gustum pertinet.

78 Confirm. ad sentiendum requiritur objecti applicatio, ut specierum interventu sensum immutet: hæc autem immutatio non impeditur, etsi objectum organo contiguum sit: ergo sensibile positum immediate supra sensum non impedit sensationem.

79 Resp. ad 1. ex S. D. lib. de sensu lib. 3. oculi fulgorem moto ipso, non autem quiescente apparere. Per motum enim pupilla fulgens, & videns, quæ subjecto unum sunt, quodammodo dividuntur. Quatenus est fulgens, extra projicit fulgorem, ipsumq; cognoscit. Cum enim celeriter movetur nigrum oculi, ad locum transfertur exteriorem, in quem pupilla splendorem suum emittebat: unde ipsum fulgorem visus extra percipit, & non ut suprapositum sibi immediatè. Resp. ad 2. ex S. D. 2. de anim. lect. 21. quòd lingua, & caro non sunt organum sed solum medium internum illius; ideoque humor linguae suprapositus sentiri potest, quia à suo sensorio distat, non quidem per medium extrinsecum, sed intrinsecum. Idem dic de carne sentiente calorem suprapositum; ut amplius infra patebit. Ad 3. resp. ex eodem S. D. ibid. lect. 17. illum sonum non sine medio aère immobili, qui est in concavitatibus aurium, pervenire, & illabi usque ad auditum. Ad 4. dico ex eodem S. D. ibid. lect. 20. quod aliquando sumosa evaporatio, & odorifera ad organum pervenit: nec tamen immediate tangit, sed mediate, intercedente nimirum parte aëris: si enim poneretur intus in naso, non sentiretur, nisi homo respiraret aërem attrahendo. Resp. ad 5. conjunctionem illam in gusto habere ex parte medijs, non verò ipsius organi.

So Resp. ad conf. neg. min. quia, ut inquit S. D. 1. p. quæst. 77. art. 3. *Ad immutationem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quam intentio formæ sensitibilis fit in organo sensus.* Alioquin si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora na-

322 Quæst. X. De anima sensitiva,
natura sentirent, dum alterantur. Quapropter objec-
tum sensibile per ipsum, & secundum suum esse na-
turaliter, ac materiale applicatum ipsi sensationem im-
pediret.

ARTICULUS SEXTVS

Vtrum sensibile vehemens, seu excellens
sensem corrumpat?

81 **S**ciendum est ex S. D. quæst. de anim. art. 19, c.
excellens sensibile, ac vehemens considerari
posse, tum per ordinem ad sensus, & organa sensuum:
tum per habitudinem ad ipsum animal quod est sen-
tiens, seu sensationem exercens. Si primo modo lo-
quamur: sciendum est accidentis dupliciter corrupti:
uno modo à suo contrario, sicut frigidum à calido:
alio modo per ipsius corruptionem subjecti. Et hoc
pacto destruuntur quæcunque formæ accidentales, quæ
contrarium, à quo destruantur, non habent. Manife-
stum est autem ipsis animæ potentissimis nihil esse contra-
rium propriè: eapropter sola subjecti corruptione de-
strui, ac corrupti queunt. Organum autem est im-
mediatum ipsius potentia cognoscitivæ susceptivum,
ideo ad corruptionem organi destrui debent, si cor-
rupti quandoque eveniat; quemadmodum & turbato
organo, aut læso, turbatur ac præpeditur sensus ope-
ratio.

82 Corrupti autem quandoque sensum à vehementi
sensibili experientia didicimus: testaturque communis
Philosophorum consensus cum Arist. 2. de anim. t.
123. & 143. D. Thom. ibid. lect. 24. & prob. à simili.
In organis enim sensuum, ut sentire valeant, propor-
tio quædam exigitur, ratione cuius & ipse sensus dici-
tur quædam harmonia, & symphonia: patet autem,
quod si motus sensibilis fuerit fortior, quam natum sit
pati organum, proportionem corrupti, ac proinde
sensem destrui: quemadmodum, cum quis for...chor-
das percutit, symphonia solviatur, & instrumenti so-
nus

nus in quadam proportione consistens.

83 Difficultas ergo est , aa ad destruendum organum sufficiat actio intentionalis , qua sensibile organum intentionaliter agat , aut necessariò requiratur realis actio , & alteratio physica , seu naturalis , per quam naturaliter , & physice immutet organum illud. Differunt in hac re inter se Thomistæ.

84 Prima concl. si excellens sensibile sumatur per comparationem ad sensorium , seu organum , omnes sensus ab excellenti sensibili corrumpi possunt , non solum per imputationem naturalem , sed etiam intentionalem ; præter visum , qui cum spiritualiter duntaxat suum sensibile recipiat , ex parte organi solummodo potest intentionaliter ab eo immutari , & corrumpi . Ita D. Th. apud Alamannum hic q. 62. a. 2. Prob. potest sensibile speciem excedentem , & improportionatam ipsi organo immittere , & ejus interventu organum afficere : sed tunc destruetur sensus , qui in quadam proportione consistit : ergo intentionaliter agendo potest excellens sensibile sensum corrumpere . Min. patet nam quemadmodum sensibilia ad proportionatam mixtionem deducta efficiuntur delectabilia ; ita si excedant , aut superabundent , est necessum , quod contristent , ac laedant , seu corrumpant sensus ipsos , si vehementer improportionata sunt . Major autem prob. nam esto , quod objectum connaturale , & intensivum , seu quoad rationem specificam capacitatem potentiae non excedat : tamen extensivè , & secundum rationem individui optimè potest excedere , ut patet de omnibus veritatibus collective sumptis , quæ intellectivam potentiam extensivè & secundum individuum excedunt : ergo potest sensibile aliquod in individuo speciem improportionatam , & excellentem immittere , quæ proportionem organi intentionaliter immutet ac corrumpat . Unde excellens & fortiter fuigidum corrumpit visum ; qui nonnisi spiritualiter , & intentionaliter à suo sensibili immutari potest . Excellens grave & acutum corrumpit auditum , cum solum intentionaliter , seu actione formæ in ipsum auditum agat .

85 Dices ab excellenti specie proportionem secun-
dam

Iam destrui in sensu, qua consistit in amingendo obiectum cognoscitive: non vero proportionem primam, qua consistit in temperamento primarum qualitatuum & spirituum animalium. Hinc est quod fortiter fulgur oenlos ipsos ratione actionis naturalis laedat, & est calefactionis; etenim lux est eminenter alterativa, unde nimium oculos calefaciendo, spiritus, qui subtilissimi sunt, dissipat: hinc visum laedit, ac corruptit. Quia corruptio organi, quoad temperamentum illud, est corruptio naturalis, non intentionalis: caro propter naturali actione, vel qualitate fieri delicit, & non a sola intentionali. Nam, ut inquit S. D. 1. p. q. 67. a. 1. c. *Intentiones non causant transmutationes naturales*. Et ex hoc probat lumen non habere duotaxat esse intentionale, sed etiam naturale: quia effectum in natura sortitur: per radios enim Solis calefunt corpora.

86 Contra: cum inter sensibilem speciem, & ipsum organum, in quo suscipi debet, necessario exigatur proportio, haec formaliter in genere cognoscitivo esse debet, licet presupponat esse naturale & materiale, nempe temperamentum primarum qualitatuum, sed species in genere cognoscitivo formaliter in organum agere potest: ergo & illam proportionem per se primo destruere: indirecte autem illud ex quo resultat. Nam destructa proportione organi, ut est susceptivum speciei sensibilis, eò ipso perit ratio formalis organi potentiae; qua consistit in apta dispositione ad agendum, ut diximus supra q. 3. Et esto haec proportio quodammodo secunda dici possit, prout genus cognoscibilium radicatur in genere naturae: tamen primo & per se in genere cognoscitivo spectat ad ipsum organum potentiae, ut natum est suscipere speciem, & ea suscepta operari sensationem.

87 Illud autem, quod ex S. D. adducitur, nimirum, *quod intentiones non causant transmutationes naturales*; equidem verissimum est, si solummodo habeant esse intentionale: ut asserebant illi de lumine: cui nullum aliud esse tribuebant, nisi intentionem, ut patet ex eodem S. D. ibid. vel si agant ne intentiones sunt;

Articulus VI.

lunt; attamen si agant ut instrumenta ipsius sensibilis, cuius forma naturalis est, optimè causare possunt naturalem immitationem: non quidem in ratione speciei sensibilis, sed propter excellentiam, & virtutem proportionatam.

88 Quod autem sensibile agens etiam actione naturali la dat, ac corrumptat sensum patet: ingens enim sonus destruit auditum ratione vehementis percussionis aeris; & motus ipsius, qui simul cum sono organum percutit, & transmutat. Immo vehementi sono deperit animal, & saxa disrumpuntur. Idem dic de aliis sensibus, excepto visu, objectum enim tactus, ipsum materialiter immutat calefaciendo, atque infrigidando &c. Solum objectum visus intentionaliter ipsum immutat organum; quia sicut pupilla non nisi speciem coloris spiritualiter recipit, ita non nisi intentionaliter à tali specie contristatur, aut lreditur.

89 Secunda concl. si sumatur excellens sensibile, non solum secundam habitudinem ad organa, verum etiam ad ipsum animal: nullum excellens sensibile per se destruit, & corruptit animal, sed solum per accidens, excepto sensibili tactivo. Ita D. Th. hic. Prob. corruptis sensibus seu organis sensuum visus, auditus, odoratus, & gustus, per excellentia sensibilia, ipsum animal remanere potest: ergo si destruatur, id per accidentem se habet: quatecum felicit accidit, ut interfur etiam passio ab aliquibus tangilibus corruptentibus; utpote si sonum comitetur ictus & depulsio, ut in rotundo accidit, unde interdum animalibus mortem interficit.

90 Conf. aliqua visa mortem inducent videnti, non quatenus visibilia, sed quia aërem inficiunt. Idem dic de odoribus quibus quandoque aeris adjungitur corruptio: sicut & sapido admiscetur nonnunquam nociva quedam qualitas tangibilis. Secus est de sensu tactus, qui cum sit omnium sensuum fundamentum, in eo præfertim animalis vita consistere dicitur; ita ut eo durante animal perseveret: unde excellens tangibile non solum corruptum sensum tactus, sed & animal ipsum destruit.

Solvuntur Argumenta.

91 **O** Bjicies læso seu corruptio organi est passio naturalis, sed actio intentionalis, sed intentionis passionem, & effectum naturalem inferre nequit: ut docet S. D. t. p. q. 67. a. 1. c. quia nihil agit ultra suam speciem: ergo excellens sensibile, per se immutationem intentionalem, sensum, seu organum, sensus corrumpere nequit. Maj. patet, quia per illam passionem ipsa temperies organi physica dissolvitur: non enim corrumperetur si temperamentum ejus physicum permaneret.

92 Confirm. Ex improportione excellentis sensibilis supra sensum solum sequitur quod non possit sensus percipere, & intentionaliter moveri ab illo objecto, in esse intentionalis, improportionato: non tamen sequitur, quod dissolvatur temperamentum organi ab illa intentionalis motione: ergo ex præcisa motione intentionalis qualitates naturales organi non laeduntur, nec destruuntur. Prob. ant. nam temperamentum organi, ex qualitatibus naturalibus constat: ergo non nisi per contrarias qualitates dissolvi potest: sed qualitates intentionales illis qualitatibus non contrariantur: cum solum sint representativa, non autem naturaliter alterativa: ergo ad physicam laesionem, vel destructionem organi opus est physica qualitate, ipsum organum naturaliter immutante; & non sufficit intentionalis immutatio.

93 Resp. ad arg. supponendo, quod cum tactus sit communis, ac generalis quidam sensus, omniumque sensuum fundamentum; quodlibet alterius sensus organum aliquid de communi organo tactus immixtum habet. De organo, inquam, proximo, & primo extrinseco, quod est caro, & quælibet pars corporis secundum æqualitatem mixta: ut sumitur ex D. Th. de sensu lec. 5. Hoc supposito dico, quod læsio, seu passio organi, ut quidam tactus est, est passio naturalis: & distinguo min. actio, seu immutatio intentionalis non potest inferre effectum naturalem, prius & per se, seu directè, transcat: (loquendo de immutatione inten-

tentionali præcisè sumpta) indirectè & secundariò, nego. Ergo excellens sensibile nequit organum sensus per se primo corrumpere , ut est organum sensus formaliter , nego : ut est quoddam sensorium tactus , translat : v. g. fulgur aufert visum , propter excellentiam fulgoris, remanet organum in ratione cuiusdam sentientis tactus : sed non in ratione organi visus ; quod in proportione ad visibile consistit . Nam , cùm sit ejusdem ordinis , & proportionis , optimè objectum per speciem suam , & agendo actione formæ in sensum agere potest , ut est susceptivum proprium , & passivum suum . Quod habet visus formaliter , ut visus est , & non ut quidam tactus est ; unde per immutationem intentionalem verè lreditur , aut corrumpitur in ratione sensus visivi , sed non in ratione tactus . Ad hoc enim requiritur naturalis immutatio .

94 Resp. ad conf. quod , si excellens sensibile sit improportionatum intra sphærām objecti proprii illius sensus , verè sequitur , non quod sensus non possit moveri ab illo objecto , sed quod moveatur improportionatè , ac per consequens cum tristitia , & læsione . Nam quodlibet sensibile proprium præsens natūrā est sensum movere , cùm intrinsecè sit activum respectu illius : sed quia excellens est , non movet in individuo nisi cum tristitia , & læsione . Quia verè intra sphærām illius est : & non sicut sensibile extraneum . Unde neg. conseq. Ad prob. antec. dico quod organum , prout admixtum habet communis tactus sensorium , & præsuppositivè , dicit illud temperamentum ; formaliter autem consistit in proportione ad proprium sensibile : & ista per excellens sensibile immutari potest: quod sicut , inquantum sensibile non contrarietur illi , benter tamen secundum excellentiam , & excessum ; sicut qualitas , quæ est terminus intensionis , secundum modum insinandi perfectè dicitur contrariari qualitatib[us] remissas .

ARTICULUS SEPTIMUS

Vtrum sensus externi sint tantum quinque?

95 **C**oncl. sensus externi sunt tantum quinque. Hanc conclusionem communiter amplectuntur SS. PP. & Ecclesiæ Doctores, quorum plurimos adducit M. Martinez de Prado hic lib. 2. q. 26. n. 1. & in Scholis Philosophorum, ac Theologorum se inducere recipitur. Eam docet Arist. 2. de anim. 128. D. Th. ibid. D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 32. a. 4. Prob. ex D. Th. secundum formalem objectorum distinctionem potentiarum diversificari debent: sed sensibile, prout est immutativum sensus, est objectum formale illius: ergo secundum diversa genera immutationum ipsius sensus à sensibili, diversos sensus constituere oportet: sed quinque modis sensus à sensibili immutatur: ergo quinque sensus constituendi sunt. Minor prima patet, nam sensus est quædam potentia passiva, quæ ab ipso sensibili immutari nata est: sed omne passivum à suo activo recipit esse, seu specificam distinctionem, sicut & omnis potentia à suo actu: ergo sensibile prout est motivum, ac immutativum sensus est proprium ac formale illius objectum specificans, ac distinguens. 1. p. q. 78. a. 3.

96 Secunda autem min. prob. vel sensus à sensibili fine medio per contactum immutatur, vel cum medio? si primum, sic est sensus tactus, qui est discretivus eorum, ex quibus constat animal: & sensus gustus, qui est perceptivus qualitatum, quæ designant convenientiam nutrimenti, quo conservatur corpus animalis. Si vero immutatur sensus per medium, aut hæc immutatio est cum alteratione ipsius sensibilis, & hoc pacto odor sensum odoratus immutat cum aliqua resolutione odorabilis: aut cum aliquo motu locali, ut in fono, qui est objectum auditus: hic enim ex percussione, & aeris commotione causatur: aut tandem est sine immutatione sensibili, per solam immutationem spiritualem medii, & organi, & hoc pacto color immutatur: ergo secundum hos quinque diversos immutandi modos quinque

que sensus constituendi veniunt: scilicet visus, auditus, odoratus, gustus & tactus.

97 Conf. ex S. D. loc. cit. immutatio spiritualis, seu intentionalis in sensu necessariò requiritur, per quam intentio formæ sensibilis fiat in organo sensus, & non sufficit sola naturalis immutatio ad sensationem; alias omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur: vel ergo ad sensationem exigitur sola immutatio spiritualis; veretiam præter spiritualem est aliqua immutatio naturalis? si primum: propter hunc immutationis modum constituenda est aliqua potentia, quæ spiritu-
liter duntaxat immutetur, & hæc est potentia visiva, seu visus. Si secundum? aut præter immutationem spiritualem est immutatio naturalis ex parte ipsius sensibilis, vel ex parte organi? si ex parte sensibilis objecti, vel est transmutatio naturalis secundum locum, ut in sono, qui ex percussione causatur, aërisque commotione; & propter hunc immutandi modum constituitur potentia auditiva, seu auditus: vel est immutatio secundum alterationem quandam ipsius sensibilis, ut in odore; sensibile enim odoriferum per calidum aliquo modo alterari debet, ut odorem spiret. Vel immutatio naturalis est ex parte organi: & secundum duos hujusmodi immutationis modos constituantur alii duo sensus: nimirum gustus, & tactus: qui per medium extrinsecum, non immutantur, sed intrinsecum, ut diximus: nam, & manus tangens calida calefacit, & lingua per humiditatem saporum humectatur. In organis autem aliorum sensuum naturalis immutatio non nisi per accidens esse potest.

98 Nota quod hæc ratio D. Thomæ ex aliquo supposito, & per experientiam noto procedit, nimirum esse quinque sensus: & hoc supposito optime cedit ad declarandam convenientiam, & distinctionem numeri dictorum sensuum. Nam supposito quod sint quinque exteriores, cum sensus sint in genere cognoscitive infimi, oportet quod supremus illorum, & perfectior quodammodo attingat ad modum immutationis, quo potentia cognoscitive interiores, & præsertim intellectivæ, immutantur, quia supremum infimi est infimum

320. Quæst. X. De Anima sensitiva.

supremi : sed potentia cognoscitivæ interiores non nisi intentionaliter , seu spiritualiter à suo objecto immutantur : ergo hic modus immutationis supremo inter sensus exteriores competere debet , qui est ipse visus . licet cum quadam deficientia ; quia inferior perfectio semper est casus superioris : nam potentia cognoscitivæ interiores , etiam abeunte sensibili à speciebus in eis remanentibus immutantur , ac proinde magis ad naturam intellectivam accedunt , quam visus ipsi , qui solum præsentia attingere valet .

99 Cæteri autem sensus exteriores , cùm sint cadentes à perfectione visus , necessariò habent annexam quandam immutationem naturalem , per quam accedunt jam ad naturam corporeorum , & non cognoscendum , licet ab ipsis differant ; quia ista non nisi naturaliter immutari possunt : sensus autem isti ratione potentia cognoscitivæ necessariò exigunt intentionaliter immutari ; licet immutationi intentionalí etiam conjuncta sit immutatio naturalis , sive ex parte objecti , sive ex parte sensibilis , propter majorem recessum à potentia intellectivis , & pure spiritualibus ; atque accidit ad res corporeas , & agentes actione corporis , quæ est per transmutationem . Sumitur hæc doctrina ex S. D. q. unica de anim. a. 13. c.

Solvuntur Argumenta , & ostenditur quis inter hos sensus nobilitate præstet .

100 **O**bijicies contra hanc rationem S. D. immutatio naturalis non pertinet propriè , & per se ad sensum , sed intentionalis : sed distinctio formalis sensuum exteriorum desumenda venit ab eo , quod primò & per se ad ipsos sensus pertinet : ergo penes hujusmodi immutations diversas nequit sufficienter accipi sensuum exteriorum distinctio .

101 Conf. i. sicut constituitur quædam immutatio naturalis penes sensibile , & altera penes organum , pari jure constitui potest tam ex parte objecti sensibilis , quam organi , seu potentia , idem dic de motu loco : ego si distinctio sensuum penes illos diuersos immutandi

modos desumti debet, plures quam quinque sensus exteriores constituendi erunt.

102 Conf. 2. immutatio illa ex parte objecti est accidentalis: accidit enim sono, quod cum tali immutatione naturali fiat, ut auditum movere possit: ergo non potest per se distinctionem sensuum efficere.

103 1. esp. ad arg. immutationem naturalem non pertinere pr. nō & per se ad sensum sub ratione sensus, seu quatenus est potentia cognoscitiva, vel in linea cognoscientium: bene vero prout immutatio naturalis limitat ipsam intentionalem; & coarctat perfectionem illius, propter majorem accessum ad non cognoscenda, & recessum à cognoscitivis pure spiritualibus. Hoc enim modo per se pertinet ad differentiam specificam sensuum, prout differentia sumitur ex minori, vel majori participatione perfectionis & actus in ipso subiecto. Quia cognoscencia à non cognoscentibus differunt per hoc, quod eorum actio super materia elevertur: & secundum diversum modum majoris, vel minoris elevationis, diversæ cognoscientium species accipiuntur. Ex extrinseca ergo ratione limitantur potentiae cognoscitivæ, praesertim inferiores, quales sunt sensitivæ, cum limitantur ex minori, vel majori elevatione materiae in agendo, seu cognoscendo: hi autem immutationum modi ita procedunt: unde per eos ab intrinseco ipsæ potentiae sensitivæ distinguntur.

104 Resp. ad 1. conf. non posse constitui immutationem naturalem ex parte organi, & ex parte objecti sensibilis simul; quia una impediret aliam, & sensatio non fieret, saltem debito modo, & proportionaliter; quo pacto fieri debet ad sensuum delectationem, & ut congrue moveantur, atque immutentur.

105 Resp. ad 3. quod si sumatur sensibile absolute, & ut est objectum proportionatum in genere cognoscibilium, equidem immutatio naturalis accedit ei, & potentiae; non vero prout habet immutare potentiam tales, quæ est in ultimo cognoscientium gradu, & maximè accidentem ad naturam corpororum, quæ sic immutari postulant, nec nullam mutationem intentionalem subbeant.

106 Quæres, quisnam inter hos sensus sit nobilior, atque perfectior? Resp. cum S. D. quod inter omnes sensus **externos** visus est nobilior, & perfectior, nobisque charior quam reliqui sensus; atque faciens magis scire. Est quidem nobilior, & perfectior: quia magis spiritualis, & subtilior: tum ratione objecti, visus enim ipsum visibile attingit, prout lucidum; lux autem est qualitas communis etiam corporibus cœlestibus, ac maxime spiritualis: tum etiam ex parte immutacionis; alia, ut diximus, per se spiritualiter duntaxat immutacionem: ceteri autem etiam naturaliter immutacionem subeunt, sive ex parte organi, sive ex parte objecti sensibilis. Tandem, quia est potentia magis universalis; cum nobis præstet plura cognoscere, quam reliqui sensus: tum quia visus attingit etiam qualitates illas sensibiles, quæ corporibus cœlestibus convenient, nimirum lucem: ceteri autem sensus illas solas qualitates, quæ inferioribus competunt, ut frigidum, humidum, siccum &c. Tum etiam quia plures rerum differentias percipit: omnia enim sensibilia corpora, præcipue nobis per visum, & tactum innotescunt: sed per visum adhuc perfectius: quia in cognoscendo majori virtute pollet, utpote spiritualior. Et ex hoc enascitur, quod visum præ ceteribus sensibus magis, ac unicè diligamus, ut patet per Philosoph. I. Metaph. Iec. I. Vbi de his plura.

107 Post visum auditus nobilitate præstat: qui magis inter ceteros prudentiæ, & intellectui deservit: ut patet per Philosoph. lib. de sens. c. 2. ubi docet cœcos à nativitate sapientiores esse, quam surdos, aut mutos; qui etiam à nativitate auditu carent. Nec tamen eapropter nobilior est visu per se, sed solum per accidens: quia nimirum per doctrinam, & disciplinam plura addiscuntur: quam per propriam inventionem: ad inventionem autem visus deservit; sed auditus ad doctrinam ac disciplinam. Dein odoratus, quia non qualitates primas, sed commixtionem earum percipit, & magis intentionaliter immutatur, quam gustus, & tactus. Gustus dein est nobilior, quia etsi per medium intrinsecum percipiat suum sensibile, tamen primarum qualitatum permixtionem perficit. Insimilis est tactus, certior tamen ceteris sensibus in nobis est

est tum ratione complexionis, tum ratione temperaturæ.
Hinc homines ex bonitate tactus ingeniosi esse dignoscuntur, & è contra. Cum enim tactus sit aliorum omnium nostrorum fundamentum, per totum corpus ejus organum diffunditur, & quodlibet instrumentum alterius cuiuscunquam sensus est etiam instrumentum tactus: unde illud ex quo aliquid sensitivum esse prohibetur, est sensus ipse tactus. Capropter si quis optimo sensu tactus fuerit praeditus, menteorem naturam sensitivam consequetur: ac proinde melioris erit intellectus. Nam bonitas sensus ad bonitatem intellectus, seu dispositio, confert. Præterea, qui meliori tactu praeditus est, cæteris paribus est melioris, ac nobilioris temperamenti, & complexionis: unde cum omnis forma sit materiae suæ proportionata, inde consequitur, quod nobilioris sit intellectus, & mensis perspicacioris, qui nobiliori tactu ornatus fuerit. D. Th. 2. de anim. lec. 19.

QUÆSTIO XI. DE VISU, SEU POTENTIA Visiva.

Qvia, ut diximus, inter sensus exteriores visus dignitate præstat, estque omnium sensuum primus: capropter nobis prius de ipso differendum occurrit.



ARTICULUS PRIMUS

De obiecto visus, seu potentiae visivæ.

CAPUT PRIMUM.

De natura luminis ac lucis.

Quemadmodum lucis, seu ipsius luminis natura
stantissima est: ita & maxime hominum captum
fugiens, cum tamen semper oculis spectandam
se præbeat. Empedocles, ut refert Philos. hic lib. 2. t.
70. existimavit lucem esse corpus, quod est substantia
solis, ex quo fluenter multa corporicula radioſa, in aërem
& terram descendentia, quaे illuminarent. Christopherus
à Vega lib. 2. de arte medendi ex mente Galeni, &
aliorum Antiquorum asserit lumen esse substantiam spi-
rituale; advenientem corpori, quod illuminatur abſ-
que corruptione alicuius formæ in diaphano; quemadmo-
dum anima corpori advenit sine corporis corruptela. Alii
arbitrati sunt lumen esse substantialem formam illius in-
quo est. Alii dixerunt ipsam non nisi manifestationem
colorum esse. Tandem alii dixerunt lumen esse accidens,
nimirum qualitatem, per modum habitus ipsius diapha-
ni. Ita Arist. lib. 2. de anim. t. 64. D. Th. ibid. lec. 14.
& 1. p. q. 67. a. 1. ibidem illius Interpretates. D. Alb. M.
loc. cit. de anim. & sum. de hom. tract. 1. q. 20. a. 1. &
communiter Philosophi.

2 Prima concl. lumen sine lux non est corpus. Pro-
batur 1. ex D. Thom. loc. citat. nullum corpus naturaliter
movetur ad diversa loca: sed lumen movetur ad di-
versa loca: quia immutat sursum, & deorsum, ad late-
ra, & circumquaque: ergo lumen non est corpus. Maj.
pater, quia cuiuslibet corpori naturaliter debetur locus, qui
sit salvatorius illius, ad quem naturaliter feratur, ac per-
inde semper ac necessario, dum agit actiones corporis;
sicut omne corpus grave, agens actionem, & motu cor-
poris proprio semper deorsum fertur: quod enim alio
motu in animantibus moveatur, non competit, quia
cor-

corpus est , sed in quantum est animæ instrumentum: unde de motu proprio corporis animantia ipsa deorsum gravitate innata feruntur .

3 Prob. 2. implicat duo corpora esse simul : sed lumen autem est simul cum corpore diaphano ; nec enim solummodo ipsum , quoad superficiem exteriorem illuminat , quo vacto corpora opaca irradiat , sed etiam interiora illius pervadit : ergo lumen non est corpus . Conf. illuminatio quæ est actio corporis luminosi , est in instanti & suæ pò per totum hæmispherium lux Solis diffunditur , ac se multiplicat in medio sed motus corporis proprius , vel actio ejus , quæ necessariò est cum motu conjuncta , in instanti fieri nequit : ergo &c.

4 Prob. secunda concl. lumen siue lux non est aliqua substantia spiritualis . Prob. 1. ex D. Thom. ibid. lux est extensa , habetque lumen quantitatis dimensiones : quia in tricubito aere est tricubitum , in bicubito est bicubitum : sed nulla substantia spiritualis est quantitate dimensiva mensurabilis : ergo lux non est substantia spiritualis . Prob. 2. nulla substantia spiritualis , vel alia quelibet est immediate operativa : lumen autem alterat , & immutat aerem , aliaque sensibilia : ergo non est substantia spiritualis . Tam quindea omnis substantia spiritualis hoc modo sumpta , ordinatur ad corpus ut perfectio ejus ; exigitque corpus organicum , in quo secundum organa distincta vires distinctas sortitur : lumen autem nec organa hujusmodi , nec vires distinctas habet . Vtumq; quia impossibile est aliquam naturam spiritualiem , & intelligibilem cadere sub apprehensione sensus ; qui , cùm sit virtus corporea , nonnisi corporea attingere , ac percipere valet : sensus autem percipit lumen . Quod si dixeris aliud esse lumen spirituale ab eo , quod sensus percipit : extra disputationem hanc erit quæ solùm est de lumine , quod sensu visus percipitur .

5 Prob. tertia concl. lux non est forma substantialis : non quia nulla forma substantialis est per se sensibilis : lux autem est sensibilis per se . Tum etiam quia illud quæ est forma substantialis in uno , in alio non potest esse accidens , si sit ejusdem ordinis : substantia enim

De accidens sunt diversi ordinis, & categoriarum: in ac-
re autem lumen est accidens. Tandem quia illuminatio
aeris est quadam alteratio: tum quia lumen ei inest, &
abest manenti in eodem esse, & absque corruptionem:
in coquere suscipit magis, & minus, dicitur enim aer
magis, & minus lucidus: ergo lumen non est forma
substantialis corporis, etiam cœlestis: quia stud est
in eodem ordine formarum cum corporibus inferiori-
bus, licet secundum materiam differant: ut dictum est
in lib. de cœlo. Verum est tamen quod forma substan-
tialis æquivocè dicitur lux, quia est id per quod cogno-
scitur uniuscuiusque rei natura.

6 Quarta pars prob. lux non est defluxus corporum:
tū quia si lumen esset defluxus illorum corporum, lumen
nil aliud esset, quam præsentia ignis, aut alterius hu-
jusmodi corporis in diaphano: probatum est autem
supra lumen non esse corpus: ergo neque est defluxus
corporum. Tum etiam: quia Sol corruptibilis esset, &
tandem aliquando lumen, & substantia illius minucie-
tur, per defluxum continuum infinitorum corpusculo-
rum subtilium ab illo.

7 Quinta pars prob. ex S.D.in 2.d.13. tum quia in no-
tilucis videmus lucem, & non colorem. Item in die
videmus colorem, & non ipsam lucem. Tum etiam
quia in corporibus cœlestibus non est color, ut dixi-
mus; cum tamen ibi sit lux. Nam color caufatur ex
commixtione primarum qualitatum, quæ cœlo nullaten-
tus inesse possunt. Dicendum igitur superest lucem es-
se qualitatem quandam activam, tertiae speciei, ha-
bentem tamen modum habitus, vel dispositionis. Quia
est perfectio visus, & visibilis, prout visibile est: habi-
tus autem, & dispositio sunt ut perficientes potentiam
ad actum.

8 Secunda concl. lumen est forma accidentalis, & ha-
bet esse reale non solum in corpore luminoso, eius est
qualitas activa, sed etiam in medio; & non solum
intentionale. Ita D. Thom. loc. cit. Prob. per illud
quod solummodo habet esse intentionale, non sit trans-
mutatio nisi secundum operationem animæ; ut in vi-
dendo, & audiendo: sed per illuminationem sensibili-

ter experimur naturales transmutationes fieri, quatenus ex ea consequitur calor in his inferioribus, ut declaratum est supra: ergo, præter esse intentionale, lumen in medio habet esse quoddam reale, ac naturale. Itaque non solum esse naturale, aut solum esse intentionale habet, sed utrumque, ut expressè docet S. D. lib. Meteor. lect. 6. dicens: *Lumen in medio habet esse intentionale, quia causat sensationem; sed non solum habet esse intentionale, sed etiam habet esse reale,* &c. Ia cum D. Thom. sentiunt Caiet. Bannez, Ferrara, & alii quamplures, quos citat, & sequitur M. Martinez de Prado hic lib. 2. quæst. 27. num. 31. Nam lux est immutatio sensus, ut sensus est, perficitque sensum ad actum, atque ipsum visibile, ut visibile, ac movens sensum: ergo debet etiam habere esse intentionale.

Solvuntur Argumenta.

9 Arg. i. cont. i. tam quia omnis qualitas sensibilis in subjecto permanet, etiam postquam agens absuerit; ut patet de calore in aqua: lux autem abeunte luminari non remanet. Tum quia qualitatibus cuilibet sensibili aliiquid est contrarium: luci autem nihil contrariatur, sed tenebræ sicut privatio ei opponuntur. Denique, omnis qualitas sensibilis successione quadam in materiam introducitur, ut de calore patet; illuminatio autem sit in instanti.

10 Resp. ad i. S. D. loc. cit. quod lumen non recipitur perfecte in aere ut consequens aliquam formam naturalem, à qua habeat esse firmum in illo: neque etiam secundum quandam inchoationem formæ per transmutationem materiæ, ut calor in aqua; sed per diffusionem & multiplicationem spiritualem formæ in medio, per modum habitus, vel dispositionis perfectivæ spiritualiter, & non immutativæ materiæ. Vnde abeunte luminari non manet: sicut neque abeunte causa habitus manet habitus, vel dispositio perfectiva. Verba S. D. sunt: *Ad. i. dicendum, quod, cum qualitas consequatur formam substantialiem, diversimode se habet*

subjectum ad receptionem qualitatis , sicut se habet ad receptionem formæ . Cùm enim materia perfectè recipit formam , firmiter etiam stabilitur qualitas consequens formam ; sicut , si aqua convertatur in ignem . Cùm vero forma substantialis recipitur imperfectè secundum inchoationem quandam , qualitas consequens manet quidem aliquandiu , sed non semper : sicut patet in aqua calefacta ; quæ redit ad suam naturam . Sed iluminatio non sit per aliquam transmutationem materiae ad susceptionem formæ substantialis , ut fiat natus aliquando inchoatio formæ . Et ideo lumen non remanet nisi ad præsentiam agentis .

11 Sed contra hanc solutionem argui potest : quia calor producetus à Sole remanet : etiam absente Sole : cur ergo non remanebit & lumen abeunte luminari ? Resp. S. D. 1 p. quæst. 104. a. 1. c. dicens esse plurimum discrimen : quia scilicet aér nullo modo natus est recipere lumen secundum eandem rationem , secundum quam est in Sole , id est , ut consequentem formam ejus substancialē , sive firmiter , sive secundum quandam inchoationem , & imperfectè : unde quia non habet radicem in aëre , in absentia luminaris statim recedit : attamen natus est recipere calorem secundum eandem rationem , secundum quam est in agente , ac per consequens secundum quandam inchoationem formæ : capropter abeunte Sole , qui medio lumine & motu calorem in his inferioribus causat , aliquandiu remanet calor , non tamen lumen . Vide D. Caiet . ibid . in fine articuli .

12 Resp. ad 2. lumen non habere contrarium , quia propriè non alterat , quamvis sit qualitas passibilis quia habet modum habitus , vel dispositionis perfecti vñ . Vel ideo non habet contrarium , quia secundum propriam rationem est qualitas activa primi corporis , quod contrarietatis non est susceptivum . Vnde lux , cùm ponitur ut hypostasis colorum in subjecto apto nato ad contrarietatem habet contrarium , ut in coloribus . Resp. ad 3. ex eodem S. D. successionem , quæ est in alteratione aliarum qualitatum contingere ex hoc , quod in suscipiente est qualitas contraria , quæ actioni

actioni alterantis resistit : quam successivè expelli oportet ; lux autem non habet contrarium : unde diaphanum ad præsentiam luminaris statim lumen recipit ; sicut materia disposita formam substancialē, quia huic nihil contrariatur .

13 Arg. 2. contra 2. ex D. Thom. quæst. 5. de pot. a. 1. ubi docet lumen in aëre habere esse per modum intentiōnis, sicut speciem colorum in speculo: *Quādam*, inquit, *producuntur in materia*, & secundūm imperfēctam sp̄cīem, & secundūm imperfectū esse : sicut lumen in aere à corpore lucido . Non enim lumen est in aere sicut quādam forma naturalis perfecta , prout est in corpore lucido, sed magis per modum intentiōnis. Ergo lumen in aëre non habet esse reale , sed intentionale . Conf. 1. qualitas habens esse naturale superposita organo visus visionem impedit : sed lumen receptum in organo visus visionem non impedit: ergo non est qualitas habens esse naturale . Conf. 2. sensus visus est receptivus specierum sine materia, & non recipit qualitates secundūm esse naturale , & materiale : sed sensus absque specie media lumen recipit : ergo non habet esse naturale . Tandem quia lumen præbet esse spirituale colori: ergo ipsum potiori jure habet esse intentionale .

14 Resp. ad arg. quod lumen ideo dicitur habere esse per modum intentionis, quia non habet esse permanens, & radicatum in aëre ; sed abeunte luminari abscedit , ut fuse explicuimus . Non tamen negat absolute lumen habere esse naturale , sed asserit non habere per modum formæ naturalis perfectæ ; id est, firmiter . Resp. ad 1. conf. lumen superpositum non impedire visum ; quia, cūm habeat etiam esse intentionale , per seipsum præsens est visui , & intentionaliter ipsum movens . Nec sensus visus recipit ipsum lumen secundūm esse materiale , sed secundūm esse intentionale . Resp. ad ultimum, lumen equidem habere esse intentionale , ut possit visum perficere , medium diaphanum efficiens in actu lucidi: sed præter hoc etiam habere esse naturale : quia est qualitas activa ipsius Solis, & in aliis est realiter , secundūm quod magis

cum Sole comunicant. Et hoc est discriumen inter colorē, qui habet solum esse intentionale in aere, & ipsum lumen, quod non modo intentionaliter, sed etiam naturaliter in illo suscipitur. Quia, cum virtus coloris sit imperfecta, non potest se realiter imprimere in medio disponendo ipsum ad susceptionem formae suæ: unde ad hoc indiget lumine, & mediante illo imprimit speciem suam; lumen autem est qualitas maximè activa ipsius primi corporis: & ideo tam intentionaliter quam realiter imprimere formam suam valet.

C A P U T S E C U N D U M.

De natura coloris, & illius esse: & quomodo à lumine, seu luce distinguatur? sitque objectum visus simul cum illo.

Duplicem ipsius coloris definitionem nobis tradiditam reliquit Arist. Primam docuit lib. 2. de anim. t. 67. *Color, inquit, est motivus ejus, quod secundum actum est diaphani, vel ejus quod est actu per lucidum: vel ut ait S. D. Color est motivus diaphani secundum actum.* Pro intelligentia nota quod duplex esse colori conpetit; unum materiale, quod habet in corpore spisso, seu terminato; aliud formale, prout & motivus, vel immutativus visus secundum actum. Color primo modo per se visum non immutat, aut movet alterando, quia non est qualitas activa vel passiva, licet immutare vel alterare possit actu alterius agentis, à quo materialiter causatur, nimirum calidi, vel frigidi, aut humidi vel siccii, sed visui passionem infert secundum suum esse formale, quod habet à luce, seu lumine, cuius illustratione efficitur in actu completo immutativo visus secundum actum. Ideo Arist. dicit colorē esse motivum diaphani, seu transparentis secundum actum: hoc est, per actum lumines, qui dat ei actum, & speciem ut possit intentionaliter in visum agere. Actus enim diaphani, seu lucidi lumen est. D. Tho. ibid. & D. Alb. M. sum. de hom. cit.

I Dicitur autem diaphanum seu transparens, id quod

quod caret colore proprio per quem videri possit, ~~cit tamen~~ coloris extranei suscep*tivum*, per quem visibile sit, sicut aër, aqua, vitrum, & multa alia corpora etiam solida. Unde esse diaphanum non est accidens conveniens corporibus ex qualitatibus elementorum, quia Cœlum diaphanum est, & tamen ejusmodi qualitatibus prædictum non est: sed est idem, quod suscep*tivum* esse lumen non solum in extremitate, sed etiam in profundo. Per quod ab opaco distinguitur, quod in superficie de extremitate duntaxat recipit ipsum lumen. Primo corporibus cœlestibus competit, quibus potissimum competit esse luminis suscep*tiva*; terrestribus autem per hoc quod communicant in qualitatibus cœlestium. Eapropter quod magis ad cœlestia accedunt elementa, eò in diaphanitate præstant, & excellunt. Unde ignis est magis diaphanus quam aer, aer quam aqua, & inter illa opacior est terra, quæ in infimo locata subsistit. Et quod magis corpora mixta ad ejusmodi elementorum natūram accedunt, eò sunt magis vel minus perspicua.

17 Alteram definitionem tradit Aristoteles lib. de sens. c. 2. dicens: *Color est extremitas perspicui in corpore terminato*. Pro intelligentia nota, quod sicut corporum quædam terminata, seu determinata dicuntur, quia proprii terminantur terminis, ut corpora terrestria: alia interminata, quæ propriis terminis non terminantur sed alienis, ut aqua: ita etiam duplex est perspicuum. Quoddam est interminatum ex seipso: quia nimis in se nihil habet determinatum, per quod videatur secundum propriam terminationem, ut aer: & hoc est suscep*tivum* lumen, tam in extremo quam in tote medio & profundo; simpliciterque dicitur diaphanum: quia scilicet secundum se totum perspicuum est. Aliud vero est perspicuum terminatum, quod nimis, aliquid in seipso determinatum habet, unde videatur secundum propriam terminationem, vocaturque corpus spissum, seu determinatum: & hoc suscip*t*it lumen actu non quidem in toto medio, seu profundo, sed in superficie, & extremitate, ideo color dicitur extremitas perspicui in corpore determinato. Unde corpora colorata uonni si in superficie videntur,

18 Hic color in abstracto definitur. Unde ponitur vox *perspicui* loco differentiæ, est enim subjectum coloris: cuius ratio est, quia oportet idem susceptivum est in his quæ colorantur ab intrinseco, atque in iis quæ ab exteriori colorem suscipiunt: sed in his quæ ab exteriori colorem recipiunt, perspicuum seu transparens est proprium susceptivum, ut patet in aëre & aqua; ergo etiam in corporibus determinatis, quæ ab interiori colorantur, susceptivum proprium erit *perspicuum*, non tamen secundum quamlibet sui partem, sed secundum extremam, seu illam quæ est in extremitate corporis constituta.

19 Quemadmodum autem diaphani actus est lumen, ita & perspicui in corpore determinato actus est lux incorporata in illo perspicuo, per modum hypostasis, & formæ. Idcirco lux dicitur forma, & hypostasis colorum. Et ratione hujus habet movere, & immutare visum, & diffundere sui speciem in medio facto in actu per lumen diffusum in illo: estque color per se visibilis, & causa visibilitatis, seu propriæ passionis, loquendo de colore secundum esse formale. Pervium autem, seu diaphanum dicitur esse visibile, ut subjectum tantum & non ut subjectum, & causa visibilitatis: quia visibilitatem aliunde omnino habet, nimirum à colore, & lumine exteriori, quod non est in eo incorporatum, & terminatum propriis terminis. Unde color & lumen distinguntur tanquam esse & id quod est, seu tanquam forma, & habens formam. Lumen enim seu lux est ut ut actus separatus & non habens esse in materia; sed color est ut participans talem actum in subjecto affectus qualitatibus activis & passivis, à quibus esse materiale suscipit: formale autem secundum quod est extremum perspicuum habens lucem incorporatam in se. Et quia illud quod est participatum est quodammodo in potentia ad actum secundum se, ideo lux ut incorporata in pervio terminato, in quo habet esse participatum, est quodammodo in potentia ad lumen secundum se, quod est ut actus & forma ejus. Ideo lumen perficit, & actuat ipsum colorem, non quidem illi tribuendo ut visibilis sit, quia jam ex se visibilis est; visibile enim esse est coloris.

coloris propria passio , sed præbendo ei actu exercito age-
re in medium & visum ; cum ante solum potentia ipsum
immutare posset : non quidem potentia passiva , sed po-
tentia habituata , & poterit agere actu perfectum ,
non tamen sine lumine illustrante medium , & diffun-
dente se super extremitatem perspicui , ut actum com-
pletum agere possit diffundendo se in medio usque ad
visum illi medio continuatum . In diaphano autem est
in potentia passiva , disposita tamen ad suscipiendum
actum luminis : non vero , ut potente à se immutare
visum .

20 Advertendum est tamen ex eodem D. Alb. M.
quod , cum lumen multiplicetur in loco reflexionis ,
& percussionis , plusquam in loco , ubi non reflecti-
tur , neque repercutitur , ideo lumen existens in dia-
phano , prout hujusmodi , non est actus coloris , sed
existens in extremitate illius in loco contactus ad ipsum
corpus determinatum . Quod ex eo fit manifestum ,
quod si aer medius sit lucidus , & etiam ipse oculus in
lumine existat , dummodo corpus visibile sit in tene-
bris , ita ut lumen non contingat ipsum , nec ab eo
repercutiatur , non videtur , bene vero è contra . Ea-
propter dicit Philosophus quod color sit extremitas per-
spicui in corpore terminato .

21 Ut autem facilius hujusmodi lucis incorporatio-
nem in corpore terminato percipias , adverte ulterius
cum eodem D. Alb. M. quod lumen Cœli , lumen ignis ,
& corporum elementorum non est simpliciter ejusdem
naturæ & speciei , sed solum est ejusdem proportionis
ad actum : quia quodlibet est actus diaphani , & per-
fectio coloris secundum actum . Itaque lumen Solis
secundum essentiam non manet ut habitus in coloribus ,
& coloratis ; sed in eis solum est secundum virtutem
tantum . Licet possit manere in illis secundum essen-
tiam , ut dispositio perfectiva : unde lumine Solis præ-
sente colores sunt in actu , abeunte vero sunt in poten-
tia . Sed lumen ignis manet in eis ut habitus , ut patet
in his quæ lucent in tenebris & in oculo , ubi lumen
ignis est cum humore crystallino ; non quidem se-
cundum rationem calidi & siccii , qua ratione habet

esse in elemento ignis ; sed secundum proportionem ad formam primi corporis , quæ est lumen . Nam luminis ratio communior est , ac prior quam ratio calidi , & siccii , unde bene potest in habitu remanere substantia ignis cum lumine , licet non maneat secundum rationem siccii , & calidi , seu consumentis , & ustivi .

22 Unde , cum illud , quod est in habitu , sit quodammodo in actu , & quodammodo in potentia , lux in corporibus perviis terminatis est quodammodo in actu , & quodammodo in potentia . In potentia quidem respectu luminis diffusi in extremitate perspicui , quod est proprius actus , & forma illius : est autem in actu respectu pervii , seu perspicui absolute , & secundum se sumpti , quod est potentia tam ad lucem , quam ad tenebras . Et sicut quæ sunt in habitu , non sunt æquè perfectæ , sed secundum magis , & minus in diversis subjectis : ita neque color secundum rationem æquè perfectam , vel eundem perfectionis modum habet lucem , sed secundum magis , & minus : ita ut colores quidam , ut niger , ferè non excedant potentiam pervii , ut est cum tenebris , & sine lumine : è contra vero color albus : sicut ille qui incipit addiscere , vix aliquid perfectionis , & actus habet præter potentiam cognoscitivam , quæ scientiam suscepit . Antequam autem addiscat sola est potentia susceptiva perfectionis scientiae , & hoc pacto lumen est in diaphano .

23 Dices : formæ non est forma : sed color est quædam forma & actus : ergo lux non potest esse forma & actus ipsius coloris . Resp . quod sicut inter habitus quidam sunt communes & generales , qui sunt ut forma & regula aliorum , ita ut actum perfectum elicere nequeant habitus particulares absque illis ; v . g . sine prudentia nullus habitus moralis est in actu perfecto quia omni virtutis actui modum , & formam præscribit : ita & lumen secundum se est ut dispositio , & forma communis perficiens & medium , & organum vi-
tis , nec non & colorem , ut videatur , ita ut sine ipso non videatur . Unde sicut prudentia dicitur genera-
lis virtus non secundum essentiam , quasi omnis virtus

moralis secundum essentiam sit prudentia , sed causa-
liter : ita & lumen non est color per essentiam , sed
causaliter , seu quasi causa dans esse formale : non
quasi intrinsecum & substantiale ; sicut neque pruden-
tia dat esse substantiale & intrinsecum actibus aliarum
virtutum moralium : sed potius per regulationem , &
dispositionem in loco contactus ad ipsum corpus coloratum , ut actu diffundat speciem suam , & multipli-
cat continuè usque ad visum , quem debet immutare .
Et hoc pacto respicit colorem ut materiam , circa quam
peretur per illustrationem medii in loco ipsius contac-
tus colorati , à quo fit reflexio , & repercussio .

C A P U T T E R T I U M .

*Quomodo lumen requiratur , ut aliquid sit actu
visibile .*

24 **Q**uidam affirmant lumen requiri ex parte
objecti , ut colorem constituat in esse visibi-
lis . Ita P. Suarez lib. 3. de anim. c. 16. n. 4. citans pro-
fe Avicennam , Themistium , Ægidium , Caiet . & D.
Th. 1. p. q. 67. a. 3. & alii quamplures apud M. Marti-
nez de Prado hic lib. 2. q. 29. n. 4. Moventur : tum
quia objectum nunquam nisi illuminatum videtur :
eoque perfectius videtur , quò magis lumine perfundit
ur . Tum etiam quia res lucidæ actu ex se videntur ,
absque ulterioris medii ope , ut Sol , ignis , & simillia .
Tandem absque illustratione medii , dummodo objec-
tum sit illuminatum , percipitur visu : ut experientia
patet in his , quæ noctu videntur : non ergo illumina-
tio requiritur ex parte medii , sed ex parte objecti , ut
reddatur visibile in actu .

25 Alii è contra asserunt lumen objecto nullatenus
tribuere visibilitatem seu virtutem qua sit visibilis : sed
colorem ex se visibilem esse , requiri que lumen solùm
ex parte medii . Ita Ferrara , Aquarius , Bannez , Flan-
dria , & communiter Thomistæ , aliique non pauci ,
quos citat M. Martinez loc. cit. n. 8. Adduciturque pro
hac sententia D. Th. pluribus in locis , præsertim 21 de
anim.

anim. lect. 14. & lib. 3. lect. 10. & q. unica de anim. 4. ad 4. ubi ait: *Lumen necessarium est ad videndum, in quantum perficit diaphanum faciens illud esse lucidum in actu.* Idem afferit 1. p. q. 12. a. 5. ad 1. ubi ait: *Lumen corporale necessarium est in visu exteriori, in quantum facit medium transparens in actu, ut possit moveri a calore.* Et ratio est: quia id, quod per se, & ab intrinseco est tale, non efficitur tale per formam extrinsecam, vel de foris advenientem: sed color per se, & ab intrinseco est visibilis: ergo color ponit visibilis per lumen extrinsecus adveniens. Prob. min. q. ex definitione coloris, nimirum, quod sit ex sui natura motivus diaphani: tum quia visibile est propria coloris passio, ut diximus. Et tandem quia color est proprium sensibile visus: ac per consequens debet esse per se sensibilis. Nec sufficit dicere non obstat quia color per se sit visibilis, tamen per lumen: quia virtus nutritiva per se nutrit, tamen per calorem nutrit. Tum quia sensibile per se immediate sensibile est: tum quia id quod per propriam formam convenit, intrinsecè convenit, & non per aliud. Nec instantia aliquid obstat: quia nutritiva calore solum utitur, ut instrumento. Vide PP. Complutenses, disput. 10. q.

5. S. 3.

27 Prima concl. lux concurrit tam ex parte objecti, quam ex parte medii. Prob. lux non concurrit ex parte medii, ut medium est tantum: sed ut immixta sunt superficies medii, & objecti in loco contactus, ubi diffunditur lumen, ac repercutitur: ergo facit objectum esse visibile in actu, non quantum ad substantiam visibilitatis, sed præbendo modum & formam, quibus in actu completo diffundere se possit in medio intentionaliter, & multiplicando suam formam usquequo ad visum perveniat. Sicut prudentia virtutibus moralibus præbet modum, & formam, quibus ad finem pervenire possint: licet actus quo pervenitur intrinsecè, & quoad substantiam, seu esse simpliciter sit à virtute morali. Unde quandoque S. D. afferit lumen requiri ut colores fiant visibles in actu, aliquando verò ut medium fiat actu diaphanum: quia lumen est

est ut communis habitus , seu dispositio utriusque perfectiva .

28 Secunda concl. lumen ex parte medii , seu diaphani concurrit in genere causæ formalis seu dispositio- nis perfectivæ , & non dispositionis materialis . Prob. lux præbet diaphano esse in actu perfecto lucidi , est enim lumen actus lucidi , seu diaphani , quod antea solum erat in potentia lucidum : sed hoc pertinet ad genus causæ formalis , quæ rei actu esse præbet : ergo lux ex parte medii seu diaphani concurrit in genere causæ formalis .

29 Tertia concl. lux ex parte objecti etiam concur- rit in genere causæ formalis effectivæ superioris , & præbentis ultimam proportionem , complementum que , ut agat speciem sui in medio , & mediante ea- sensum formaliter effectivè immutet . Prob. esto ob- jectum secundum se visibile sit , ac per consequens ha- beat actu virtutem immutativam diaphani facti in ac- tu , immittendo speciem sui , & mediante ea moven- di sensum , reducendo illum de potentia in actum , tamen hæc virtus est imperfecta , quia est virtus im- mixta materiae , & incorporata illi : sed omne agens inferius reducitur de potentia in actum per influxum , & virtutem superioris : ergo cum virtus illa in moven- do sit subordinata corpori cœlesti , ceu primo lumino- so , debet perfici , & fieri in actu per tale lumen diffu- sum super se in loco contractus diaphani , ut victa po- tentialitate objecti possit fieri motio diaphani , & ip- sius visus . Unde S. D. 1. p. q. 67. a. 3. ad 3. ait : *quod lumen facit coloratum visibile in actu , in quantum est qua. itas primi corporis sensibilis* . Ubi ut patet deno- tatur quædam efficientia , non tamen pura ; sed for- malis dantis complementum : ut asserit S. D. in 2. d. 20. q. 2. a. 2. dicens : *Complementum formale visibilis in quantum hujusmodi est ex parte lucis , quæ facit vi- sibile in potentia esse visibile in actu* .

30 Objicies : color est proprium sensibile ipsius vi- sus : ergo per se debet habere visibilitatem perfectam , & in actu completo , ratione cuius per se primo me- dium , & sensum movere possit : in hoc enim distingui- tur

utr sensibile proprium à sensibili communi , ac per accidentem ; quia sensibile proprium per se primo mouet tensem : ergo non requiritur lux ex parte objecti , ne complementum illius formale .

31 Resp. conced. ant. & dist. conseq. debet habere visibilitatem completam per se , prout per se excludit dependentiam ab alio sensibili inferiori , conc. debet habere visibilitatem completam per se prout per se excludit dependentiam à lumine , seu qualitate primi corporis , ac superioris agentis , scil. Celi . In causis enim subordinatis bene stat quod aliquid aliqui per se conveniat , & tamen cum dependentia à causa superiori ; sicut voluntati per se competit agere , & mouere se , non tamen sine dependentia , & influxu causæ primæ . Vnde sensibile proprium dicitur per se primo mouere , prout per se dicit exclusionem alterius sensibilis inferioris , à quo habet agere , & in hoc distinguitur à sensibili communi , & per accidentem ; non vero per se dicit exclusionem causæ superioris , à qua compleetur ultimo , & sit in actu ut agat . Quia respectu ejus est ut virtus imperfecta , & potentialis , ac per consequens ab illa perfectibilis , & reducibilis in actum .

32 Ita docet S. D. lib. 2. de anim. Iec. 14. ubi ait : *Omnis forma in quantum huicmodi est principium agendi sibi simile ; unde , cùm color sit quædam forma , ex se habet quod causet sui similitudinem in medio . Sed tamen sciendum est quod est differentia inter virtutem perfectam , & imperfectam . Nam forma , quæ est perfectæ virtutis in agendo , non solum potest inducere suam similitudinem in suo susceptibili , sed potest etiam disponere patiens , ut sit proprium ejus susceptivum , quod qualitas non potest facere , cùm fuerit imperfectæ virtutis . Dicendum igitur , quod virtus coloris est imperfecta respectu virtutis luminis . Nam color nihil aliud est quam lux quædam quodammodo obumbrata ex admixtione corporis opaci : unde non habet virtutem , ut faciat medium in illa dispositione , qua sit susceptivum coloris , quod tamen potest facere lux sua .*

33 Cum ergo dicit S. D. ibidem quod lumen non est necessarium ex parte coloris, seu ut faciat cōsiderare in actu, sed ex parte diaphani, solum intelligit non esse necesse per modum formae propriæ præbentis esse visibile, tanquam sensibile proprium: non vero intendit lumen non esse necesse per modum communis habitus, & dispositionis perfectivæ, non quidem ad essentiam, & substantiam ipsius visibilis pertinens, sed ad causalitatem ejus, & immutationem potentia, non ad seculū & quoad substantiam, sed tali modo persicendam, scilicet movendo medium factum in actu per lumen; in quo diffundit speciem suæ formæ; & se multiplicat usque ad visum. Vnde medium semper debet esse illuminatum, præcipue tamen in loco contactus specierum corporis visibilis, & luminis, & ubi immixtae sunt superficies illorum, & hinc usque ad visum continuari, per medium saltem debiliter illustratum, ut species illas deferre possit.

34 Sed hic dubium exoriri solet de quibusdam visibilibus, ut noctilucis, quæ absque lumine noctu videntur: unde lumen non esse necessarium sive ex parte obiecti, sive ex parte medijs hinc deduci videtur. Resp. quod lumen non modò in cœlestibus corporibus reperitur, sed etiam igne, & aliis inferioribus, per convenientiam ad corpus cœlestē: in hujusmodi ergo visibilibus, quæ de nocte lucent, sunt quædam partes igneæ; verum, quia igni absolutè lucere non competit, cum in propria sphæra non luceat; ulterius requiritur, quod partes sint conculcatæ, & propinquæ adinvicem, ut luceant. Id autem tripliciter contingit. Primo, ut in quibusdam corruptis, in quibus cum calido naturali partes illæ evolant exteriū, trahentes secum humidum naturale ad superficiem. Et quia humidum aqueum optimè servat lumen; capropter partes igneæ in exteriori superficie multiplicatae ab humido detinentur, ac ibi servantur; & inspissatae lucent: ut in queru putrefacta, & aliis similibus contingit. Simile quidam in gallo mortuo, & ovo gallinæ accidisse refert Avicenna. Haud secus experimur spinas interiores quorundam piscium, quæ sunt loco spondilium, noctu tul-

fulgere, cum exsiccata fuerint. In illis enim est humidum medullosum, quod ad superficiem extractum partes ignis servat. Caput signum est illa purgescere vehementer exsiccata non lucere, sed concendi in quibusdam iuri partibus, & in cineres abscedere. Quia humido ab eis extracto partes illæ ignæ dissolvuntur. D. Alb. M. sum. de hom. tract. 1. quaest. 20. art. 2.

35 Secundò id accidit in quibusdā non corruptis naturaliter frigidis, & non habentibus sanguinem, in quibus partes ignæ circa locum digestonis alimenti congregantur, ut ista compleri, ac perfici possit: & ideo ibi fulgorem emittunt; ut in quibusdam vermis noctu lucentibus, seu noctilucis accidit. Tertiò in quibusdam piscibus, in quibus ob caloris naturalis conservationem in loco frigido, & humido natura extrinsecus partes circumponit duras, terrestres, calido ipso digerente coagulatas. Et quia dura, & spissa multum & fortem calidum retinent, eapropter partes ignæ multiplicantur in illis; & ideo fulgorem emitunt, ut capita, & squammæ quorundam piscium. D. Alb. M. ibid.

36 Si autem quæratur cur putrefacta interdiu non luceant? Resp. D. Alb. M. id evenire, quia in his partes ignis sunt deficientes, retentæ in humido extracto ad superficiem: ideoque in lumine expositæ sunt debiles. Eapropter lux huiusmodi, cœn albedini immixta conspicitur. In aliis vero, quæ putrefacta non sunt, lumen est in partibus ignis caloris multiplicati circa locum digestoris, & ideo in illuminando fortius, eapropter etiam diu conspiciuntur lucere. Eadem de causa ignis inter lucentia diu magis lucet: quia illius lumen est fortius, magisque cum cœlesti lumine communicans, unde ad lumen Solis non absumitur penitus: expositus tamen ipse ignis radius Solis albus apparet: quia fortius lumen vincit debilius, & tangendo ipsum colorem album efficit. Ideoque in carbonibus ignitis ad radios Solis expositis quasi alba favilla cooperiens illos animadvertisit.

37 Ex his omnibus colligitur 1. quòd color propriè est

est visibilis , & id quod videtur, tanquam ratio formalis quaē movens visum . Lux vero , seu lumen est ratio formalis quaē tenens se ex parte medij . Ita S. D. quæst. 8. de verit. art. 14. *Lumen , inquit , est quo videtur color: unde se habet ad colorem , quasi formale .* Probatur : color est sensibile proprium , & per se visus , ipseque attingitur : & lumen non est nisi ut ratio videndi illum: ergo color. Hinc est ratio objectiva quaē S. D. ipsum colorem dicit objectum materiale visus , non quia per accidens , aut materialiter sit motivus visus ; sed quia non movet nisi ut perficiatur , & moveatur à lumine disponente medium: unde se habet quodammodo ut quid materiale respectu luminis complentis ipsum in ratione immutativi , ut diximus supra ex eodem S. D.

38 Colligitur 2. colorem & lumen eadem specie percipi , & unum visibile efficere; quia cū plura sunt inter se subordinata , & unum se habet ut ratio alterius eadem prorsus specie attinguntur , quia formaliter se habent ut unum. Colligitur 3. quod licet colores materialiter specie distinguantur , tamen in ratione visibilis formaliter sunt unum , quia habent eundem modum immutandi potentiam spiritualiter medio lumine disponente medium , & efficiente in actu lucidum . Unde ab eadem specie potentia formaliter attinguntur . Colligitur 4. quod color equidem dicit secundum se potentiam activam & motivam , tamen cum aliqua determinatione , id est , secundum actum lucidi; secundum quam quodammodo quid passivum est , & formabile à lumine . Sequitur ultimò quod color principaliter movet visum , & medium propter visum . Tamen hoc non est ei substantiale : quia medium movere potest non moto visu . Et erit color in actu per solam mediæ motionem . D. Alb. M. loc. cit. art. 3. partic. 1.

CAPUT TERTIUM.

De colorum diversorum generatione.

39 C Olores generari possunt, vel in corpore terminato, vel in corpore perspicuo, ut nubibus, aut vapore. In corpore terminato generantur dupliciter, scilicet per mixturam, & supernatationem: in perspicuo vero per lucis immixtionem duntaxat. Ut autem percipere valeamus quomodo per mixturam diversimode colores in corpore terminato generentur, notandum est duplex esse generans: unum per se; v. gr. calidum per se generat, & efficit calidum; alterum generans per aliud quemadmodum lumen & motus calorem generant; non quidem per se, sed quia frigidum dissolvunt, & partem à parte disgregant, quod est calidi proprium munus. Et hoc pacto qualitates primæ ad generationem colorum in corpore determinato concurrent dicuntur. Si enim per se concurrerent; calidum nonnisi calidum præstaret &c. Omnis enim generatio per se est in similitudinem speciei, vel formæ generi cum generante. D. Alb. M. ibid.

40 Notandum est præterea quod contraria tripliciter ad invicem activa, & passiva sunt. Quædam ita ad invicem transmittant se, ut aliquid materiae unius non subingrediatur materiam alterius, sed virtus duntaxat unius afficit alterius substantiam. Hoc pacto ad invicem agunt calidum, & frigidum: nec enim substantia ignis materiam aquæ subintrat, sed virtus ejus, scilicet calor. Alia sunt, quæ nunquam transmutantur, nisi materia unius substantiam alterius subintret, & hoc pacto humidum, & siccum ad invicem se transmutant. Quædam denique transmutant se, sed non prima actione propria, vel sub ingressu proprio virtutis, & substantiae unius in substantiam alterius; sed per actionem & transmutationem aliorum agentium, quæ supponunt. Et hoc modo album, & nigrum; dulce & amarum ad invicem agunt, & transmutant se per actiones calidi & frigidi,

humidum

humidi & siccii: miscenturque per illorum actiones & mixtiones.

41 Per calidum igitur adurens partes terrestres nigredo in corpore determinato generatur. Partes enim terrestres adusta per segregationem aerei, & aquei, quæ prius inerant ipsi, comprimuntur in se, porique obstruuntur; prohibentque ne illis lux immisceri possit: eò quod evolaverint præfatæ partes aquei & aerei, quæ diaphanæ sunt, ac lucis susceptivæ: ac proinde obscuræ, & nigræ remanent. Et hoc pacto dicitur nigrum esse, quod parùm de luce habet. Quatenus autem calidum est dissolvens, albedinem in corpore terminato efficit. Rarificando enim partes materiae aërum introducit, quod, cum sit diaphanum, abundantis luminis est perceptivum: unde album dicitur, quod plurimum lumen admixtum habet. Quatenus autem ipsum calidum est extractivum humidi aerei, & coagulativum grossi aquei cum subtili terrestri sibi commixto, etiam causat albedinem in eo, quod prius fuit diaphanum habens multas partes aëris cum partibus terræ commixtas, distantes tamen ab invicem. Hoc modo albumen ovi coctum efficitur album, cum antea esset diaphanum, & transparens.

42 Est etiam calidum extractivum humidi continuantis, ac per consequens rarefactivum, disaggregativumque partium materiarum: & hoc pacto in rarefactis, & dissolutis albedinem efficit; ut in calce. Quatenus autem calidum est digerens grossum, & commiscens ipsum terreum cum subtili aquo continuante, albedinem etiam producit; ut in ossibus. Calidum autem prout fugat ipsam frigidum, & in profundum abire compellit, cuius proprium est partes inspissare, tunc nigrum generat, quia frigore inspissatis partibus prohibetur lumen ad superficiem recedere.

43 A frigido autem non minus generantur. Etenim frigidum per se inducens aqueum, cum quo symbolisat, albedinem producit: quia aquum diaphanum est, & multi luminis susceptivum. Pari modo albedinem efficit prout calidum fugat, & ad superficiem secedere compellit, in quo secessu etiam humidum ad superficiem

trahit. Cum verò frigidum partes terrestres coagulat, & congelat, expellens lumen, producit nigrum. Pariter cùm frigidum in profundum abire compellit ipsum calidum, quod ibi multiplicatum inflammat, & incendit humidum, quo exhalato partes terrestres exutit, relinquitur color niger; ut contingit in floribus quos pruina invaserit. Calidum enim naturale intrinsecus se recipiens inflammat humidum. Ea de causa subius apparet flos primo rubeus; dein, postquam humidum evolaverit, niger videtur. Quia tunc non nisi terrestre adustum relinquitur. His planè modis colores extremi in corpore terminato generantur. D. Alb. M. ibid.

44 Ex his patet quodd albedo & nigredo per se primò non sunt qualitates activæ, & passivæ, licet per actionem earum in corpore determinato resultant. Sed agunt in visum mediante lumine in eis immixto, & recepto. Si enim essent qualitates activæ, & passivæ, album & nigrum juxta se posita adinvicem agerent, & se transmutarent, quod experientia falsum esse comprobat.

45 Ad contrarietatem ipsorum intelligendam nota ex D. Alb. M. lib. de sens. tr. 2. c. 5. quod diaphanum est in inferioribus ex convenientia cum corpore cœlesti. Et inest secundum magis, & minus, & prius naturaliter, quam primæ qualitates, cum quibus nullam penitus contrarietatem habet. Non consistit autem ejus natura in raritate, sicut neque opacum in densitate: quædam enim spissa, ut Sol, & Sidera, luminosa sunt: & si opacum rarefiat, etiam in ipso opacitas remanet. Cùm ergo elementa adinvicem commiscentur, partes perspicuas cum opacis immixtas habere debent. Et cùm perspicuitas non habeat contrarium, inalterata à qualitatibus activis, & passivis ejus natura manet. Dum tamen perspicuum intercipitur opaco, ei que componitur, lumen, quod est in perspicuo terminato, in illius extremitate dilatur, ac diffunditur; & hoc esse luminis incorporati, & in extremitate perspicui diffusi, est ipsum esse formale coloris. Si profundetur etiam lumen, res efficitur alba: si non profundetur remanet nigra. Unde nigredo opacitatem habet ut causam. Et quia opacitas perspicuitati contrarie opponitur, ratione hujus nigredor

do albedini contrariatur: Nec tamen lumen habet contrarium; quia non est ipsum perspicuum, sed ipsius perspicui actus; & ratione hujus opponitur nigredo albedini sicut privatio habitui: quia nigredo privationem luminis dicit, non absolutè; sed illius, quod natum est albedinem producere in subiecto per dilatationem, & diffusionem plurimam sui, tam in superficie, quam in profundo. Undenigredo contrarie opponitur albedini secundum id, quod est materiale in illa: sed privative secundum suum esse formale.

46 Medii autem colores horum mixtione diversa, seu perspicui cum opaco resultant: & secundum diversos hujusmodi cummixtionis modos diversæ illorum species prodeunt. Fit autem hæc mixtio aut secundum proportionem Arithmeticam, vel Musicam, seu per numeros proportionales & non proportionales: seu absque proportione per excessum unius coloris in superficie, & defectum alterius. Primi colores vocantur communiter symetri, quasi commensurabiles; & hi visui sunt detectabiles, sicut in consonantiis delectabilibus lineæ sunt symphonie, in quibus servatur proportio numerorum in vocibus, & tonis. Alii vero dicuntur asyntomi, quali sine mensura; & hi sunt visui injucundi.

47 In his proportionibus resultant solummodo colores septem. Non sunt enim nisi tria proportionum genera: Prima nimirum extremi ad extremum; & sic tres colores resultant, scil. duo extremi, & unus æquidistans: altera extremi unius ad medium æquidistans: & hoc pacto resultant duo: unus qui est vicinior extremo in una parte; alter, qui est vicinior extremo in parte altera. Tertia proportio est medij æquidistantis ad medium non æquidistans, & hoc pacto iterum duo colores resultant, unus qui vicinior est æquidistanti in una parte, alter qui vicinior est æquidistanti in altera parte. Secundum autem mutationes naturales, & penes excessum, ac defectum tot colores pullulant medij, quot sunt termini motus in alteratione ab albo in nigrum.

48 In generatione autem colorum per supernatationem id unum adverte ex D. Alb. M. debere in ei materiali unius coloris materia alterius superponi: ita tamen

ut materia superposita , seu superioris coloris sit pervia; alioquin colorem substratum , & inferiorem penitus tergeret , & obvolveret . Pervium autem duplex est: alterum omnino pervium , & absque omni prorsus colore, ut aer: & per hujusmodi pervium non sit superenarratio: quia ex superiori & inferiori nequit medius resultare . Alterum est pervium colore aliquo affectum : & tunc ex iuferiori , & superiori medius resultat: ut patet in ungue humano habente colorem pervium ; sanguis vero ei substratus , & subjacens rubeum , qui est color terminatus , ex quibus medius color resultat . Et hic modus pictoribus familiaris est : praesertim cum aliquid sub aqua existens depingunt . In corpore autem non terminato ; v. g. nubibus diversa luminis admixtione colores generantur ; ut explicuimus supra in lib. Meteor.

49 Quæres earu natura nigrum in album & è contra- transmutare , & convertere possit , ut in canitie: ars ve- rò album in nigrum , sed non è contra nigrum in al- bum ? Resp. D. Alb. M. loc. cit. id evenire , quia ars id efficit colore penetrante rem tinetam nigredine , & op- pilante poros illius: unde non relinquitur locus albedini , vel alteri ut subingredi illuc possint : fecus autem evenit in aliis coloribus , quorum materia non est ita penetrans , & oppilans poros rei coloratae .

ARTICULUS SECUNDUS

De Organo ipsius visus .

50 **C**um sentire sit quoddam pati , in organo visus aliquid se debet habere ut suscepitum ipsius speciei visibilis , quæ debet immutare potentiam . Verum quia in ipsa receptione speciei non consistit formaliter visio , sed in actione immanenti , quam in potentia vi- siva facta in actu per speciem elicit : ideo constituentum est aliquid , quod sit principium illius actus viden- di , seu visionis . Et de his procedit difficultas , ubi sit hoc principium elicitiuum visionis , seu ubi compleatur

visio : & quod sit principium illud susceptivum , seu organum .

51 Concl. organum visus simpliciter , in quo sit receptio ipsius sensibilis , & immutatio sensus , est pupilla quantum ad humorem aqueum , seu crystallinum , ut continuatur cum nervis opticis , in quibus , ubi conjunguntur , est principium visionis mediis spiritibus deferentibus calorem temperatum . Ita expressè D. Th. lib. de sens. lect. 5. Prob. organum cuiuslibet potentiae dicitur , quod immutatur ab objecti specie , & exercet operationem virtutis illius , se habetque censum medium medio quo virtus suam elicit operationem : sed hoc est ipsa pupilla , seu humor crystallinus illius : ergo est organum visus . Prob. min. virtus visiva est potentia passiva , quæ operari nequit nisi per immutationem organi illius suscipientis visibile : sed id quod visibile suscipit debet esse aqueum seu humor crystallinus : ergo iste erit organum visus . Prob. min. medium exterius est perspicuum illuminatum , sive quo visio fieri nequit , & proprium susceptivum cuiuslibet luminis est diaphanum : ergo etiam medium interius debet esse diaphanum & aqueum , ut suscipiat & retineat visibile seu perspicuum illuminatum , à quo immutari debet ; cum inter utrumque proportio intercedere debeat .

52 Quod autem non sit quomodolibet organum visus , sed ut continuatur cum principio sensitivo in nervis opticis existente , probatur: non esset unicum organum visus , sed multiplex , cum sint duas pupillæ : ergo ut fiant unum cum uno principio continuari debent , nempe cum nervis opticis , ubi conjunguntur , & ratione hujus conjunctionis elicetur unica operatio ab oculis ambobus circa idem objectum .

53 Itaque hæc omnia unicum præstant , & efficiunt visus organum : sed in hoc organo primum secundum rationem immutationis ab objecto sensibili est pupilla : primum vero visionis principium , ut est quedam operatio immanens est à potentia visiva , prout ipsa , quatenus est sensitivum animæ , seu potentia radicata in illa , & virtute illius agens visionem elicet , seu qua-

dam operationem vitalem sensitivam : cuius radix est in illis nervis secundum esse sensitivum , & vitale : ibi enim vigent , & coeunt plurimi spiritus animales secum calorem temperatum deferentes : hæc autem sunt communia cuiuslibet potentiae instrumenta , & virtutes, ad perficiendam suam operationem in ratione vitalis . Unde consultò S. D. dicit principium visionis esse in illa parte ; sed in humore aquo organum , cuius propriæ est immutari à sensibili , & media illa immutatione perfici potentiam , & reduci in actum .

54 Modum hujus immutationis egregie explicat D. Alb. M. sum, de hom. tr. i. q. 20. ubi ait ; quod in oculo dominatur aqua , quantum ad illam partem , in qua fit impressio . Est enim in oculo duplex humor, quorum unus est in acie , qui dicitur crystallinus propter puritatem , glacialisque propter frigidum complexionale dominans in ipso . Alius humor est post illum in textura venarum referens colorem vitri , aliquantulum tendentem ad ruborem : unde vitreus nuncupatur : claritatem ex convenientia cum humore crystallino habet : ruborem vero ex convenientia cum sanguine venarum , ex quo generatur in extremitate earum ubi oculum tangunt . Albumen autem se habet ut scutum humoris crystallini . Circa hos sunt tunicae , seu regia oculi , ut per ipsas fieri possit immutatio humoris crystallini : circumferentia nigra , vel glauca est , ut fiat congregatio , & coadunatio virtutis visivæ . Cum vero humidum crystallinum receptibile sit luminis & coloris ; pelliculae , quæ sunt ante ipsum , perviat sunt , ut hæc facile ingredi possint . Et præter hæc visus perficitur spiritu visibili , qui defertur ad oculos per nervos opticos & concavos , qui secum calorem temperatum attrahit . Cujus signum est , quod post somnum , in quo spiritus ad interiora se retrahunt , ad locum digestionis , relinquendo sensuum organa , statim appetiens oculos non bene videat ante redditum spirituum , & caloris ad organa exteriora . Et quia illi spiritus maxime clari , ac perspicui esse debent , ideo turbato cerebro , vel fumosis vaporibus obscurato , ut in ebriis visus quoque turbatur . Idem accidit in iratis : quia ira

accendit sanguinem circa cor, & vapores ad caput clati hos spiritus turbant, obscuraturque visus. Quia vero etiam fervidi, & calidi sunt, contingit ipsos vaporibus à proprio situ deturbari: & tunc unum videtur ut duo. Spiritus enim accipiens formam in situ uno, antequam plenè renuntiet eam, & imprimat, ab illo situ divellitur, in aliumque transit, unde unum ut duo conspicitur. Id contingit in quibusdam infirmis, & ebris. Eadem de causa unum ut plura apparet, cum digitus oculo supponitur, & elevatur ipse oculus ad situm altiorum, vel deprimitur ad inferiorem. Quantò magis enim à suo situ dimovetur, tanto major exurgit dissimilitudine inter visibile in duplice situ acceptum. Itaque visibles spiritus sunt ut perficientes visum, & deferentes speciem; & quia ibi maximè affluit, principium visus ibi constituitur, seu potentia visiva, & pupilla illius organum dicitur, prout est medium recipiendi visibile: & quod primo immutatur ab illo.

55 Objicies: illi nervi in mutuo occursu non sistunt; sed ultra progrediuntur; ut patet ex dictis supra: quare ergo in illa parte, ubi concurrunt, constituetur principium visionis, & non in alia ulteriori versus cerebrum, vel oculos. Quod si dicatur ibi fieri unionem, & conjunctionem pupillarum, quæ sunt organa immutationis susceptiva, contra est: quia nervi illi non conducunt ad unitatem visus, seu visionis, sed ad deferendos spiritus ad oculos: unde clauso altero oculorum acutius videmus. Præterea, referente Vesalio lib. 4. Anato. c. 4. inventus est homo, in cuius capite nervi illi optici non coïrent; qui tamen videbat. Conf. ex D. Th. lib. de sens. l. 4. *Pupilla habet aliquid in fundo, quod pervietatem ipsius terminet.* Et hac de causa in pupilla apparet forma rei visæ, sicut in speculo: ergo species sensibiles usque ad nervos opticos non deferuntur, nec ibi est principium visionis.

56 Resp. ibi visionem ceu in proprio sensorio, & principio fieri: tum ut ista ad unitatem reducantur operationis: tum ob necessitatem luminis interioris, & spirituum; qui maximè ibi vigent, ut diximus. Unde nervi illi, quanquam ad deferendos spiritus visiles

deserviant, unde & concavi sunt, tamen & ad sensorium visus, ubi conjunguntur. Quod verò clauso altero oculorum perspicacius videamus, ideo est, quia virtus unita fortior, & spiritus, qui ad utrumque oculum ferebantur, ad illum, qui non est clausus evolant. Ad experimentum adductum ex Vesalio respondetur communiter; vel in morte laxatos fuisse; vel insensibiliter per fibras conjunctos; vel tandem non ita accidisse, ut refertur à Vesalio. Resp. ad conf. propter profunditatem oculi apparere aliquid in fundo ut perrietatem terminans, quod tamen non obstat, quin species ulterius progrediantur. Unde non perfectè oculus exprimit speciem rei sibi objectæ, sicut facit speculum opaco perfectè terminatum. Itaque organum proximum, & in quo incipit visio, sunt oculi; sed principium ubi perficitur, & sensorium, sunt illi nervi optici, ubi conjunguntur.

ARTICULUS TERTIUS

De actu & modo videndi, an scilicet visio fiat per radiorum emissionem?

57 **D**E visionis, & videndi modo nobilis est controversia, jam à primis Philosophiæ incububulis multum exagitata. Variæ fuerunt de hac re Philosophorum sententiae. Quidam, ut Democritus, & alii dixerunt visionem fieri per defluxum subtilium corporum, seu atomorum à re visa ad oculum. Sed hæc positio stare nequit; tum quia per continuum defluxum illorum corporum res sensibilis non ~~parum~~ minueretur; & tandem in nihilum abiret. Tum etiam quia vix, aut ne vix quidem intelligi potest quomodo ex tot corporum occursu, & in oculum subingressu oculus ipse non laedatur, atque corrumpatur. Et tandem illa corpora, cùm sint subtilissima, vento flante dispergerentur, & eorum interventu nihil certo vide-re possemus. D. Th. de sens. l. 5. & 8.

58 Alii dixerunt visionem fieri per emissionem ali-

cu-

cujus ab oculo ad rem visam , vel medium . In explicando autem quidnam sit illud , quod emittitur , varii varia dixerunt . Optici radios ab oculis exire ad rem aspectabilem pertingentes volunt : quorum figura sit pyramidalis , cuius conus sit in oculo , basis autem in re videnda . Pythagoras visionem fieri dixit per emissionem luminis ad objectum , cuius fiat ad oculum reflexio , non secus ac pila palmaria à manu in parietem impulsa , à pariete repercussa ad manum æquali impetu revertitur . Empedocles , Hipparchus , Niceus , & alii visionem emissione radiorum , & luminis simul fieri voluerunt . Plato non radios , sed lumen emitte putavit , idque non ad rem visam , sed usque ad certum medii spatum pertingere ; ubi lumen interius exteriōri coheret . Chrysippus , & uniuersa Stoicorum Schola à corde ad oculorum pupillam ferri spiritum quendam existimarunt , qui ad rem usque uisilem extendatur . Et hanc opinionem de emissione cuiuspiam ad objectum uisile non pauci postea amplexi sunt .

59 Tertia opinio , huic è diametro opposita docet visionem non emissione radiorum , vel alterius cuiuspiam fieri , sed sola receptione specierum visuum perfici . Ita Arist . lib . 2. de anim . & lib . de sens . D . Tg . ibid . lect . 5. & 8. D . Alb . M . tract . 1. & sum . de hom . tr . 1. q . 21. & communiter Peripatetici , quibus ex Medicis præter cæteros adhæret Andreas Lauren-
tius lib . 11. de sens . org . q . 1. Galenus lib . 7. de placit . & lib . 10. de usu part . ut alios Philosophos cum Peripateticis conciliaret visionem , partim emittendo , partim recipiendo fieri voluit . Ipsum sequitur Valles I . 2. cont . c . 28. asserens recipi equidem in oculo species obiecti intentionales ; dein spiritus ab eo usque ad certam aëris distantiam emitti , visionemque in aëre perfici spirituum illorum ope , in quibus est facultas visionem formandi .

60 Concl . visio non emissione , sed receptione specierum intentionalium in potentia visiva , seu organo illius fit . Prima pars probatur ratione , radius , seu lumen , vel tale quidpiam egrediens , aut est substantia , aut accidens ? si est substantia , aut corpora-
aut

aut incorporea? Non incorporea: quia nec exire, nec locum mutare, nec in oculo esse, ut in loco, possunt incorporea. Non corporea: tum quia corpus cum alio corpore nequit in eodem loco esse: ergo si illud quod emititur est corpus, sive radius, sive lumen, cum aere medio non erit in eodem loco: ergo oportebit totum aerem, ignem, & aquam, per quæ est visus, à suis locis deturbari, aut plena esse poris vacuis, per quos linearum vacuarum transitus fiat. Quorum unumque absurdum est. Cum enim aer sit maxime humidus, & aqua etiam humidum incorruptibile fortatur, pars una ad aliam fluit, & in seipsa non terminatur: ergo poris vacuis carent; unde per ipsos nusquam esset visus; & multò minus per Cœlos; quia ponori jure hujusmodi poris caret, cum nec rarefiat, nec inspissetur. Tum etiam quia per hujusmodi lumen, seu radium egredientem contingit nos totum hæmisphærium, seu medietatem Cœli percipere, ac videre: ac perinde torum Mundum lumen illud implebit, cum ad illud diffundatur, seu in basim pyramidis. Absurdum autem est confingere tantum lumen ab oculo emitti posse, quod vastum illud spatium implere valeat. Tandem quia nulla substantia corporea in instanti movetur, nec in tam brevi spatio ad Cœlum usque pervadere potest, quo visus illuc penetrat. Adde quod spirantibus ventis dissipareur.

61 Quod autem non sit accidens prob. tum quia nullum accidens migrat de subjecto in subiectum, ita ut in utroque remaneat idem numero: ergo radius, seu lumen in aere existens non erit idem numero cum eo, quod est in oculo: ergo apprehendere unius non est apprehendere alterius: ergo per sentire ipsius radii emissi non poterit fieri certum judicium de objecto visto apud videntem: cum in eo non sit secundum eandem rationem. Ex his sequitur, radium reflexum à speculo alium fore à radio incidente: quoniam diversa sunt utrorumque subjecta; ergo apprehensa ab ipsis erunt separata: unusque apprehendet formam speculi, alter formam ipsius rei: ergo forma rei in speculo non apparebit: quod ipsis oculis falsum esse de-

deprehenditur. Tum etiam quia accidens non habet esse nisi in subiecto : ergo cum egreditur radius , vel lumen qualem efficiet aerem: ergo faciet luminosum: ergo multiplicato radio multiplicabitur aeris illuminatio : ergo si quis steterit juxta plures , qui oculos gerant apertos,cum radios emitant, melius videbit,quam in alio loco . Imo si multi in tenebris simul constituerint, & aspicerint, aer illuminabitur. Et urgetur hæc ratio : omne corpus habens intrinsecum lumen emissivum in tenebris , & in lumine , est fortius in tenebris , ut in noctilucis manifestè conspicimus : ergo si oculus habuerit intrinsecum lumen , fortius radiabit in tenebris , quam in luce : ac proinde etiam in tenebris videbit emittendo illum radium super objecta, imo & melius quam interdui . Tandem quia visio est actio vitalis progrediens à debito organo , & virtute : ergo oportet in ipso oculo effici , & non extra .

62 Secunda pars prob. quia visus organum aqueum est , & non igneum in sua complexione cum prædominio : aquei autem proprium est suscipere: ergo &c. Maj. prob. ex dictis : quia hujusmodi organum oportet esse diaphanum , ut sit proportio inter ipsum & medium , objectumque sensibile , qualis inter agens , & patiens reperitur : diaphanorum autem corporum alia rara , alia densa : rara species quidem facile suscipiunt , sed non retinent : sic aer est plenus specierum , sed effluunt statim : nec in eo videntur ob raritatem : quinimo nec in vitro , nec in speculo imagines cerne-re licet , nisi plumbo , aut deniore aliquo corpore retineantur:ut ergo visibilium species in oculo retineantur diaphano , denso corpore opus est : tale autem est aqua: nam ignis , & aer diaphana sunt rara: ergo visionis organum aqueum est . Tum etiam quia unumquodque resolvitur in ea ex quibus materialiter componitur : oculo autem corrupto aquam exire cernimus . Vide D. Th. lib. de sens. D. Alb. M. ibid. & sum. de hom. tr. i. q. 29.

Solvuntur Argumenta.

63 Arg. 1. ex Philosopho lib. 2. de Cœlo t. 48.
A ubi ait visum aspicientem stellas fixas tremore corripi; quod non nisi ex multa radiorum extramissione fieri, & provenire potest. Conf. visus videndo sœpius debilitatur: ergo radiorum emissione extra se aspectat. Conf. 2. res, quod magis à visu distat, minus percipitur ab eo: sed hujus ratio est: quia vide licet, quod lineæ visuales magis ab oculo ad rem visam protrahuntur, minorem angulum efficiunt: ergo signum est visionem fieri per radiorum extramissionem à medio usque ad rem visam.

64 Resp. ad arg. cum S. D. lib. 2. Cœl. lect. 12. non ideo visum tremere, quia radios emittat: sed quia corporis à longè distantis minor est impressio, & ideo difficilius visus ipsum percipit, estque major potentiae conatus in specie sensibili illius objecti suscipienda. Resp. ad 1. conf. oculum ex tali conatu, quem adhibet ad sensibile percipiendum firmando oculos in ipsum debilitari, quia magis visiles spiritus dissipantur: hinc evenit, quod oculos ad perspicaciū videntum non nihil occludamus; quia hoc pacto visiles illi spiritus non ita dissipantur, & minor est conatus potentiae. Resp. ad 2. confirm. ex eodem S. D. 2. de anim. lect. 15. & 20. distantia visum impediri: quia omne corpus videtur sub quodam angulo trianguli cuiusdam, vel pyramidis, cuius conus est in oculo, basis autem in re visa. Quod ideo ita se habere necessum est: quia, cum res visa sit majoris quantitatis, quam pupilla, oportet ut proportionaliter diminueretur ratio visibilis usque ad visum perveniat. Manifestum est autem, quod quanto latera trianguli, vel pyramidis sunt longiora, dummodo sit eadem basis, tanto angulus est minor. Eapropter quanto à remotiori videmus res ipsas, tanto minores conspicuntur, & maxima fuerit distantia, penitus non videntur, nisi sint quantitatis eximiae.

65 Arg. 2. colores & figuræ rerum visarum non
me-

moventur à corporibus in quibus sunt ad visum : sed necesse est potentiam visivam ipsi visibili conjungi ad actum visionis producendum : ergo alicuius interventu visus ipsi visibili conjungi debet : quod nequit fieri , nisi radiorum emissorum interventu . Conf. experimur , altero oculorum diu clauso , vel obcœcato , alterum oculum lumine repleri , & acutius videre: ergo in oculis est lumen , quod ad nihil aliud defervire potest , nisi ut sui emissione attingat objectum visibile , & ipsum cum potentia visiva uniat . Conf. 2. Deus omnia sensuum organa perfectissime constituit : sed organum visus primum efformavit sphæricum: ergo cum super sphæricum difficile stent , & imprimantur formæ , non videtur oculus constitutus ad recipiendas formas , seu species rerum forinsecus advenientes . Eò præsertim quod oculus sit valde mobilis , mobilitas autem receptionis facilem impedit .

66 Resp. ad arg. species intentionales non motu locali ad oculum pervenire , sed intentionaliter se diffundendo in medio usque ad oculum , quem spiritualliter immutant , ut diximus . Resp. ad 1. conf. altero oculorum clauso , vel obcœcato lumen in alio majus esse , perspicaciisque videre : tum quia virtus apprehensiva naturaliter ad apprehensiones specierum sensibilium movetur , in eisque non parum delectatur : unde secum ad oculum trahit plurimos spiritus visiles . Cum igitur formas visiles in altero oculorum clauso , vel obcœcato non invenerit , ad alterum movetur trahendo illos spiritus visiles , quos ad oculum illum dixerat : & ob illorum spirituum majorem copiam diffusius est lumen , virtusque perspicacior .

67 Tum etiam quia nervi optici in anteriori parte capitis coēunt postea in duos ramos disperguntur , per quos hujusmodi spiritus visiles ad oculos deferuntur . Vnde cum spiritus illi ad oculum obcœcatum , vel clausum pervenerint , retro progrediuntur usque ad oculum , in quo fit coitus hujusmodi nervorum : & hinc in alterum oculum transfunduntur . Tandem quia ambo , vel clauso altero oculorum fit circa alterum major intentio , & frequentiori attentione opus ; inde

inde major calor, qui spiritus ad oculum magis effluere præstat. Resp. ad 2. confirm. ideo oculum sphærica figura præditum ut facile mobilis sit, ad rerum omnium visibilium species facile, & subito percipendas. In toto enim rotundo melius, & rectius imagines imprimuntur, quam in lato, plano, vel concavo. In lato namque plano propter divaricationem luminis, quam efficit quælibet pars æquieeminens cui libet parti, confunditur, ac dilatatur imago, sicut patet in ~~enfe-~~ polito, & terso. In concavo autem una pars imaginem receptam super alteram projicit, ita ut iterum non sit directa rei comprehensio. Sed in rotundo imago retinetur: & cum nulla pars æquè alteri emineat, nulla pars luminis processionem, in qua procedit forma visa divaricat; nec una super alteram projicit imaginem, ut in concavo evenit. D. Alb. M. ibid.

68 Arg. 3. visus est de natura ignis, & complexione ignea: unde & ab oculis multorum animalium egreditur lumen, radiisque profluiunt: ergo visio fit per extramissionem radiorum. Antec. patet in oculis luporum, leonum, serpentum, & aliorum quamplurimorum animalium. Resp. D. Alb. M. Avicennam in ea fuisse opinione, quod hujusmodi animalia adeo lucidis prædicta sint oculis ut noctu, projecto à se lumine ad ærem propinquum, ipsum illuminent. Quod tamen falsum esse reputat: quia aliæ facerent colorem in actu, quod experientia teste falsum est. Vnde hoc evenire putat propter quasdam partes igneas compressas, ut in noctilucis accidit.

69 Arg. 4. visio corporis gloriosi fieri nequit per receptionem speciei sensibilis ab objecto in pupilla: ergo visio absolute non fit per receptionem, sed per extramissionem, vel alio quopiam modo. Prob. autem quia receptio speciei est quædam passio: corpora autem gloria penitus impassibilia erunt. Tum etiam quia immutatio naturalis immutationem intentionalem necessariò præcedere debet: quemadmodum esse naturale præcedit esse intentionale: sed corpora gloria ratione impassibilitatis immutatione naturali immutari nequeunt: ergo neque intentionali ab objectis transita.

Tan.

Tandem quia id quod est lucidum actu non est rece-
ptivum speciei visibilis : unde spectulum directè pos-
tum sub radio Solis non repræsentat speciem corporis
oppositi : sed pupilla hominis glorificati , quemadmo-
dum & totum illius corpus erit lumine perfusum , &
claritate imbutum : ergo non recipietur in ea species
aliqua corporis colorati .

70 Resp. ex D. Thom. in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 1.
quod licet omnes admiserint aliquam sensationem in
corporibus glorificatis eorumque sensibus : cùm futu-
ra sit in eis perfectissima vita , quæ sine actu non est :
attamen diversimodè id explicarunt. Quidam enim sunt
arbitrati ibi visionem exercendam fore per radiorum
extramissionem . Sed hoc stare nequit : natura enim
hominis eadem specie tum in se , cùm in suis partibus
manebit : si autem visio ibi per radiorum extramissio-
nem contingere : tunc potentia visiva activa esset , &
non simpliciter passiva : unde neutquam esset ejusdem
speciei . Alii dixerunt visionem hanc futuram per rece-
ptionem , non equidem ab exterioribus sensibilibus ; sed
per effluxum à superioribus viribus . Nunc enim supe-
riores ab inferioribus accipiunt , illic autem è converso
fieri . Sed neque isti verum attigisse videntur : quia
hæc non esset perfecta sensatio ; quemadmodum nec
illa , quæ phreneticis , & delirium patientibus acci-
dit : in quibus ex victoria imaginativæ virtutis supra
sensus proprios sibiipsis videntur sentire , cùm tamen
vere non sentiant .

71 Vnde S. D. respondet visionem ibi fore per im-
mutationem spiritualem , & receptionem specierum
visibilium sine materia , sic enim sunt per se immuta-
tivæ sensas . Vnde nil acciderit repugnans corporum
illorum impassibilitati : quia est hujusmodi passio , spi-
ritualis quedam perfectio , & non qualitas à proprio
statu naturali dñmovens . Ad 2. prob. dico immutatio-
nem naturalē præcedere intentionem quotiescum-
que passivum natum est per se immutari ab activo na-
turali , & intentionali : visus autem per se solum natus
est spiritualiter , & intentionaliter immutari à suo
objecto , unde non exigitur ibi aliqua naturalis immu-
tatio

tatio spiritualiæ præcedens. Ad 3. resp. idem S. D. quod intensio luminis receptionem spiritualiæ speciei coloris non impedet: dummodo diaphanum oculi in naturali statu maneat. Quantò magis enim illuminatus est aëris, eo perspicaciùs per ipsum aliquid videtur, dummodo maneat in natura diaphani. Quod autem speculo directè supposito radio Solis non appareat species corporis oppositi, non provenit ex eo quod receptio prohibeatur: sed quia impeditur reverberatio. Exportet enim, ut forma appareat in speculo, reverberationem quandam ad aliquod corpus obscurum fieri; & idcirco in speculis plumbum vitro adjungitur: hanc autem obscuritatem Solis radius repellit. Vnde species aliqua in speculo illo apparere nequit. Claritas autem corporis gloriose diaphancitatem à pupilla non aufert. Gloria enim non destruit naturam, sed perficit. Vnde excellens claritas illa potius ad visionem perficiendam conducet, quam officiat.

ARTICULUS QUARTUS

An id quod per reflexionem videtur in speculo, sit species, vel imago objecti, aut objectum ipsum, vel utrumque?

72 **I**N quibusunque corporibus politis, ac pellucidis reflexionem fieri experimur, & per eas videri corpora è regione eorum opposita: Ex quo dubium oritur, an illud quod videtur in speculo, vel corpore illo, in quo sit reflexio, sit species intentionalis objecti, vel objectum ipsum? Non ~~speciem~~, ~~vel~~ simulachrum objecti, sed objectum ipsum duax ita videri censem communiter Perspectivi: quibus adhaerent PP. Conimbr. hic lib. 2. q. S. c. 7. & alii quos citat, & sequitur Rubio ibid. q. ultima. Quia videlicet quidquid videtur aut est color, aut lux: sed species intentionalis objecti non est lumen, aut color, sed quædam alia diminuta entitas specie distincta: ergo videri nequit. Secundò: quia species visualis est homogenea,

nea , & quælibet illius pars totum objectum refert : at-
qui in speculo in alia parte caput , in alia pedes , cæ-
teraque membra sese aspectui ingerunt : non potest er-
go id , quod cernitur , esse species visualis . Tertiò :
quia imago in toto speculo diffunditur ; & tamen id ,
quod aspicitur , non in toto speculo cernitur . Quar-
to : quia imago est in sola superficie speculi confe-
ti ex chalybe , & tamen res visa in profundo ap-
paret .

73 Quod vero simul & imago , & objectum non
videatur , inde jam constat : quia eatenus tantum di-
ceretur videri à nobis simul res , & imago , quatenus
idem est motus in imaginem , & in rem quam imago
repræsentat : sed aspectus noster neutquam ad ima-
ginem speculo insidente terminatur , ut probatum
est supra : ergo &c. Supereft ergo , ut quod in specu-
lo cernitur sit res speculo opposita : v. g. cùm Socrates
in speculo intuetur seipsum in eo videt per speciem
à speculo desilientem : quia nimirum primò in specu-
lum sui imaginem recta impressa , deinde imago re-
percussa à speculo ad oculos redit , qua obsignati oculi
ipsiusmet Socratis visionem eliciunt , tenduntque in
Socratem non in proprio situ , sed in alieno , videli-
cet in eo , à quo imago ad aspectum resultat . Nec
id mirum videri debet , cùm id visioni reflexæ pecu-
liare sit .

74 Alia sententia affirms utrumque videri , nempe
objectum , atque speciem , vel simulachrum ejus . Ita
Capreolus in 1. d. 35. q. 2. a. 1. Caiet. 1. p. q. 56. a. 3. &
communiter Thomistæ : Scotus etiam in 2. d. 13. q. 1.
& alii non pauci . Pro hac sententia adducitnr etiam D.
Th. q. 8. 1. serit. a. 5. & 1. q. q. 58. a. 3. Prob. tum quia
id quo per reflexionem in speculo cernitur , minoris
longe & agnitudinis est , quam objectum ipsum . Situs
quoque ac dispositio , in quibus videtur , longè diversa
sunt ab his quæ objectum habet : nam magis distans ab
oculo videtur , quam sit secundum se . Imo & aliquan-
do supra pars objecti apparet infima , & è converso .
Et aliquando in quibusdam speculis tali modo composi-
tis plura apparent objecta : cùm solùm extet unum . Ex-

quibus evidenter sequi videtur; vel non videri objectum, vel non vederi nisi species ejus videatur; ratione cuius his modis diversis apparere potest. Nam si ipsum duntaxat videretur, eodem modo semper appareret. Tandem si objectum duntaxat videatur, & non simulachrum, in ea distantia videretur, in qua fit reflexio speciei, sed constat videri in alia longe diversa: nam reflexio speciei sit in superficie speculi, objectum vero videtur in profundo ejusdem speculi: immo aliquando distans ab eo ex posteriori parte; quod non videtur possibile nisi ratione simulachri, simul cum eo visi.

75 Pro decisione nota ex D. Alb. M. tr. 1. de hom. q. 20. artic. 3. partic. 3. aliud esse id quod immutat sensum, ut per se primum agens; & aliud id quod est receptum in speculo, & spiritu visibili, & oculo, seu id quod est principium cognoscendi objectum. Dico igitur, quod si loquamur de illo quod per se primò immutat sensum est color, seu corpus coloratum secundum esse colorati, seu coloris, & hoc videtur ut primum visum quod, sed tanquam id quod est principium cognoscendi, est species, seu imago recepta in speculo, aere, seu medio, & oculo. Unde utrumque videtur; objectum quidem ut primò & radicaliter immutans visum; species autem seu imago ut principium videndi, seu tanquam id quo videtur objectum. Quod non obscurè indicat S. D. q. 8. de verit. a. 5. ubi ait, *quod rationes rerum resultant in verbo, sicut imagines in speculo.* Et i. p. q. 58. a. 3. docet, *quod in speculo simul inspicitur imago rei,* & res. Quod equidem asserit ad designandum Angelos non habere cognitionem discursivam, et si unum per aliud cognoscant videlicet creaturas per Verbum: quia nimirum simul utruq[ue] inspicunt: sed cum discrimine, quia unum attingunt per principium, nimirum Verbum, & creaturas ut co[n]ciliatum seu terminum. Ita similiter in praesenti.

74 Respondetur igitur ad primam rationem pro prima sententia adductam, quidquid videtur sit terminus, & objectum primo immutans visum, esse coloratum, seu coloratum lucidum: non vero ut principium videndi, hoc namque est species objecti. Resp. ad

ad 2. quod licet illa species sit homogenea, & qualibet illius pars totum objectum referat, tamen est species objecti divisibilis, cuius est primo immutare, & ratione hujus habet representare aliquid divisibile, nemirum figuram objecti secundum esse quanti. Resp. ad 3. quod tota imago in punto recipitur, & non ut in superficie speculi: unde non est per dimensionem quantitatis in ipso; eapropter non cernitur in toto speculo: quia imago illa non habet longitudinem, & latitudinem secundum esse longitudinis, & latitudinis, sed potius speciem, & intentionem illarum dimensionum. Resp. ad ultimum ex D. Alb. M. loc. cit. quod in speculo non tantum resultat forma, sed etiam distantia, quae est inter aspicientem, & speculum. Eapropter cum distantia fuerit magna, tunc videtur forma profunda in speculo: quando vero parva fuerit distantia, videtur ad superficiem accedere. Potest etiam hoc provenire ex diversa dispositione materiae ipsius speculi; quae cum minus bene commixta fuerit, subobscurè species reddit, ac per consequens, ut magis in profundo. Vide D. Alb. M. loc. cit.

QUÆSTIO XII.

DE AUDITU, SEU POTENTIA Auditiva.

Quemadmodum visus ad vita dulcedinem, & communia magis est necessarius; ita auditus ad excipiendam artem, sapientiam, & scientiam est accommodator: unde à Philosopho disciplinæ sensus dicitur. Eapropter postquam de visu egimus, de ipso auditu dicendum supereft. Tria in ipso consideranda: organum, medium, & objectum. De quibus seriatim edisseremus.

ARTICULUS PRIMUS

De objecto auditus.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit sonus, & quomodo generetur?

1 IN sono quatuor considerari possunt, corpus percutiens, percussum, expulsio aeris violenta à superficie utriusque, & illud quod ex tali percussione resultat; certum est percutiens, aut percussum non esse ipsum sonum: sed sonantia, cum sint corpora solida, ac plana, entiaque permanentia: quod sono competere nequit. Difficultas ergo solum procedere potest de ipsa percussione, quatenus est quidam motus, an sit ipse sonus, vel aliquid ex tali percussione generatum, nimirum qualitas. Duplum motum constituant nonnulli cum Themistio hic lib. 2. c. 9. alterum quo duo illa corpora solida, ac plana se tangunt: alterum quo aer interceptus eliditur, & resilit, & in hoc secundo motu aiunt sonum consistere. Quam sententiam improbant communiter DD. præsertim S. D. loc. cit. Icc. 16. D. Alb. M. ibid. tr. 3. à c. 17. & sum. de hom. tr. 1. q. 23. a. 1.

2 Prob. ex eisdem: quidquid sentitur ab alio sensu quam auditu non est proprium sensibile illius: sed percussio sentitur à visu; aer autem dum à superficie utriusque eliditur à tactu percipitur, ac sentitur: ergo objectum auditus in his consistere nequit. Et multò minus in motu aliquo: tum quia nullum sensibile proprium potest per se esse sensatum, seu sensibile commune: motus autem inter sensibilia commissa computantur, ut dictum est supra. Tum etiam quia sonus a motu seu efficiente causatur: effectus autem non est ipsum efficiens. Tandem quia multoties non percepto motu, sonum auditu percipimus: quæcunque autem duo ita se habent ut unum per sensum percipiatur sine altero, non sunt unum & idem. Cum ergo

Phi-

Philosophus text. 90. inquit *Vocem esse percussioneis, respirati aeris*: hæc definitio est causalis, pér causam efficientem tradita: nam Physico proprium est ita definire, ut alibi exposuimus.

3 Superest ergo dicendum quòd sonus sit qualitas quædam sensibilis proveniens ex fractione motus seu motu fractivo aëris, & ens cum illo. Cùm enim sensum immutet auditus, ipsumque alteret, necessum est ipsum esse qualitatem sensibilem. Dicitur autem, ex motu aëris fractivo provenire: quia non quilibet motus sonum edere potest, sed ille, quo violentè, & non secundum naturam scinditur, ac dividitur ipse aëris. Tandem dicitur, ens cum illo; quia motus esse permanenti non gaudet, sed successivo duntaxat: ratione tamen motus à quo causatur; & non durat illius esse, nisi quandiu motus durat: ut docent communiter Philosophi cum D. Th. loc. cit. ubi ait: *Sonus autem causatur ex motu, & non habet esse fixum, & quiescens in subiecto, sed in quadam immutatione consistit.* D. Alb. M. ibid. Ex quo prob. quia sonus ad inceptionem motus incipit, nec in eodem instanti est, in quo incipit corporum illorum contactus, sed immediate post, quemadmodum & motus aëris qui ex tali contactu causatur: ergo habet esse successivum, cùm habeat partem post partem, & successivorum modo incipiat.

4 Definitur communiter sonus: *Qualitas sensibilis resultans ex forti percussione duorum corporum solidorum, ac planorum, seu corporum sonorum, & medii resiliencie.* Dixi, *duorum corporum &c.* scilicet percutientis, ac percussi. Quæ oportet solida esse, si enim nō officia forent, unum alteri cederet, aërisque non extrudceretur. Similiter plana illa esse necessum est: si enim aspera essent, inter partem eminentem, & depresso aëris non expulsus contineretur: si autem essent acuta, non expellerent aërem, aut frangerent: sed potius penetrarent, ac secundum naturam dividerent.

5 Requiritur præterea medium, cùm sonus non sit sine motu locali, nec iste absque medio fiat. Eduit

autem hujusmodi corpora solida plana sonum præcipue ingentem, cum sunt concava, plurimum aërem continentia; ut campanæ: quæ aërem percussum diu retinent, & ob id ingentem sonum edunt. Imo & percussio debet esse fortis, motusque velox: si enim tardus fuerit, paulatim discedit aér, ac dissolvitur, antequam sit percussio, & modicum edynt sonum.

6 Secundo fit sonus, non quidem ex percussione corporis solidi ad corpus solidum, sed potius ex decisione unius partis ab alia ejusdem corporis: ut cum scinditur violentè pannus, aut lignum: tunc enim violentè fracto aëre sonus editur. Tertio fit sonus expulsione ipsius aëris ad aliquod solidum: ut cum pulmo ad partes duras arteriæ aërem impeilit, ac projicit. Quartò sonus editur per ipsius aëris constrictiōnem, vel inflationem, ut in fistula resonante contingit: aut cum ventus adigit aërem ipsum ad cavernas, vel foramina, in quibus constringitur. Quinto ex inundatione aëris: quo pacto venti imperiosi sonum edere dicuntur: cum nimirum vapore terrestri impellente, magna pars ipsius aëris super alteram protrahitur, & quasi inundat, priusquam secundum naturam sedere possit. Tunc enim violentè frangitur, sonumque emititur. In his omnibus fit aëris fractio: & ex hoc soni rationem habent; licet non cum tanta proprietate, quanta cum percutiuntur corpora solida, & plana, quæ per se sunt sonativa.

7 Etsi à motu illo violento, fortique percussione generetur sonus: nec tamen sonus est quidam sensibile violentum, sed species naturalis sensibilis ipsius. Tum quia auditus in sono commensurato delectatur, ab excellenti autem corrumpitur; quemadmodum & visus, aliquique sensus circa sua objecta natu aliter se habent. Tum etiam, quia auditus naturaliter patitur: omni autem passivo naturali proprium activum, seu motivum naturale correspondere debet; alias iller aliiquid in natura inordinatum. Cum ergo non nisi à sono patiatur naturaliter, necessum est, ut sonus sit naturale activum, ac motivum sensibile ipsius auditus. D. Alb. M. loc. cit.

8 Cujus rei gratia ex eodem non ideo speciem
rei factæ dici non naturalem, qui ab efficiente exte-
riori producatur: sed quia efficiens operans per mo-
tum, quod est agens creatum, per transmutationem
materiæ non educit formam in actum de potentia na-
turali illius: ut contingit in arca, vel alio artificio;
quia tunc principium illius transmutationis non est na-
tura aliqua, saltem per modum principii passivi, sed
totum ab extrinseco est. At vero cum agens formam
de potentia naturali materiæ educit, illius educationis
principium passivum intrinsecum est; ac per conse-
quens species naturalis est. Itaque ab efficiente species
non habet quod sit naturalis, vel non, sed à materia
& forma, quæ ideo dicuntur naturæ; non vero ef-
ficiens ipsum, nisi propter formam per quam agit. Ea-
propter ipsa forma potest quandoque educi ab agen-
te violenter; & tamen rem esse naturalis, si educatur
cum proportione passivi ad illam: v. g. ignis, qui ex
collisione ferri ad lapidem educitur, res naturalis est,
& tamen collisio violenta. Licet ergo sonus ex vio-
lenta percussione generetur, quia tamen educitur ex
ipsis corporibus sonoribus, secundum proportionem
materiæ ad agens, habent enim potentia sonare secun-
dum naturam corpora si solida, ac plana fuerint, ea-
propter sonus quidpiam naturale dicitur.

9 Objicies i. nulla causa est ignobilior suo effectu:
sed motus est ignobilior qualitate, & ideo ille inter
Postprædicamenta collocatur: ergo, cum sonus ex
motu generetur, non potest esse qualitas. Confir. mo-
tus iste quo dicitur effici, ac generari sonum, est mo-
tus localis: hic autem ad qualitatem non terminatur
sed ad ubi. Resp. ad arg. motum, inquantum est cau-
sa soni, dans illi esse, nobiliorem esse sono; licet non
sit secundum omnem rationem, & absolute nobilior.
Nam sonus non durat nisi durante motu; & ab eo ha-
bet esse successivum, unde quoad hoc imperfectior est
ipso motu, licet in ratione sensibilis proprii ipsius au-
ditus nobilior sit illo: hanc autem rationem non ha-
bet à motu, sed à proportione ad auditum, ratione
cujus est immutativus illius; proportionem autem à

sonativis mediante motu.. Definitur enim sonativum à Philosopho: id quod motivum est unius aeris continuitate usque ad auditum. Resp. ad conf. motum localem in ratione motus terminari ad ubi; sed in ratione motus fractivi ipsius aeris terminari ad sonum, ut ad effectum . Sic enim habet rationem alterationis.

10 Objicies 2. non sunt necessaria plura corpora ad sonum edendum: ergo male additur duorum corporum. Prob. ant. nam ventus sonum edit per se solum, ut diximus: & pannus cum disrumpitur; vel aer percudit virga &c. Et esto duo corpora requirentur, tamen non exigitur quod sint solida, & dura: ut in aere percusso manifestum est; vel in sono corrigiae fortius motæ in aere. Resp. ad arg. unam partem respectu alterius se habere ut corpus percutiens, & aliam ut corpus percussum, licet non in ea proprietate, qua in duobus corporibus solidis evenit, unde hæc propriæ sonantia dicuntur: alia per analogiam ad ipsa.

C A P U T S E C U N D U M.

*In quo sit sonus, & quid sit Subjectum immutatum,
seu alteratum ab illo.*

11 **Q**uidam existimarent sonum non modò in aere, sed in corporibus etiam sonativis esse tanquam in subjecto. Oppositorum docet S. D. lib. 2. l. 16. ubi ait: *In corpore sonante non est sonus nisi in potentia. In medio autem, quod movetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu. Et propter hoc dicitur quod sonus in actu est medii, & auditus, non autem subjecti sensibilis.* Idem docent communiter Expositores. Supponendum est aliqui dupliciter esse sonans in potentia, ut docet D. Alb. M. ibid. tr. 4. c. 17. primò per modum impotentiarum, quatenus scilicet sonum non nisi valde debilem edere potest; ut spongia, pili, lanæ, & hujusmodi: quæ simpliciter non sunt sonativa etiam in potentia, sed secundum quid. Alio modo per modum naturalis potentiarum, quia apta nata sunt, & concinnè proportionata ad sonum edendum, licet actu

non

non sonent; ut & quæcunque sunt plana, tenia, & solida, potentiaque ad bene, & fortiter aëre non protrudendum. Unde aurum, argentum, & cuprum inter cætera, tam metalla quam & alia quæcunque, sunt potentia bene sonantia, immo cæteris magis sonora. Hæc enim melius commixta sunt ex subtili aquo, & subtili terreo, quod est sulphur à quo ablatum est ventosum: habentque plurimum subtile aëreum, unde diu sonum retinent. Et ratione hujus sunt proportionata ad sonum edendum. Stannum autem & plumbum, quasi suffocatum, & extinctum edunt sonum, quia aqueum in eis magis abundat: unde cupro admisceri solent, ut cupri acumen temperent, & gravent. Ferrum istic sonorum est magis, minis tamen quam aurum &c. Afflit enim terrestri impuro, & scabroso, quæ minus bene sonant, tamen quia siccus stanno & plumbo acutius sonat. Idem de lignis dicendum est. Ipsa enim quod magis aërea, sicciora, ac solidiora, melius sunt sonantia; ut fagus. E contra vero, si his qualitatibus destituantur.

12 Concl. sicut color est causa visibilitatis in potentia, ita & corpora sonora sunt causa sonus secundum potentiam, & proportionem quam habent ad sonum edendum: nec tamen hæc potentia reducitur ad actum nisi per violentam eorum percusionem adinvicem, per quam frangitur aér, & in eo fit sonus in actu, non solum secundum esse intentionale, sed secundum esse naturale: & in hoc distinguitur à visibili: quod illustratum lumine non causat formam suam actu in ipso aere secundum esse naturale, sed intentionale tantum. Esse autem materiale solummodo habet in colorato, cuius visi ille est passio, ut fuse explicuimus. Unde corpus coloratum est subjectum, & causa visibilitatis factæ in actu per lumen; sed corpus sonans non est nisi causa, ipse vero aér est subjectum. Ratio S. D. est, quia corpora solida, ac plana ictu suo edunt sonum: iste autem non est sine motu locali; nec motus localis sine medio: ergo sonus consequitur secundum suum esse motum localem in medio: ergo in medio est tanquam in subjecto.

13 Objicies 1. idem est subjectum formæ in potentia & in actu : scilicet in corpore sonante est sonus in potentia : ergo etiam sonus in actu . Resp. D. Th. quod sonus potentia est in corporibus sonativis , non quidem receptiva , sed effectiva . Efficiens autem cum materia non coincidit .

14 Objicies 2. illud est subjectum soni , quod auditu percipitur mediante soni perceptione ; sicut illud est subjectum coloris , quod videtur per accidens ipso colore viso: sed corpora collidentia scilicet per sonum discernuntur ; siquidem sonum cymbali à sono ligni distinguimus : ergo illa corpora sunt subjectum soni . Confitante æquali percussione aëris sonus ex corporibus percussis editur major ; ut cum pulsatur cymbalum , longius percipitur , quam dum pulsatur lignum : ergo ex illo , & in illo , seu subjecto , soni diversitas defumenda videtur .

15 Resp. quod hæc omnia solùm probant corpora collidentia esse causam soni in potentia , non verò soni in actu , quatenus fit motu successivo , de cuius ratione est ut subjectum non remaneat idem & simul actu , sed pars post partem , quod non habent corpora solida , sed motus aëris , seu aër motus : quia agit in virtute illorum corporum , & ut deferens virtutem eorum , à quibus primo percussus est : unde per maiorem impressionem fit major sonus , hujus vel illius consonantiae secundum proportionem illorum corporum sonantium adinvicem , in quorum virtute agunt . Alias solutiones congerit M. Martinez loc. cit. adi ipsum si lubuerit .

16 Objicies 3. pro diversitate corporum sensicem collidentium diversi generantur soni : ergo in corporibus sonantibus est sonus subjectivè . Resp. ex D. Alb. M. ibid. q. 24. a. 3. quod differentiae sonorum sunt grave , & acutum : quæ secundum potentiam evidentes sunt ipsorum sonantium , secundum autem actum sunt ipsius soni in actu : sine quo acutum à gravi nequit discerni . Dicitur autem acutus sonus ille qui in paucō tempore penetrat in multum , seu qui fortiter penetrat . Unde non raro lœdit : imo & quandoque co dentes obstu-

obstupescunt , & præcipue , cùm h[ic] sonus sit ex confricatione aliquorum duorum adinsecem . Tanc enim ob subtilitatem suam nervum auditilem penetrat : & quia primus ramus , qui oritur ab i[uxta]lo , ad mandibulam descendit , & conjugitur cuidam nervo tangibili , qui ad partes manifestas ipsius maxillæ progrereditur , ideo impulsus vehemens soni acuti partes illius nervi contingit . Et quia nullum os , præter dentes , à nervo sensibili recipit sensum , idco soli dentes obstupescunt , & laeduntur . Sonus autem gravis est , qui multo tempore sensum movet in paucum ; seu qui non impellit fortiter nec citò penetrat . Unde raro sit ab eo laesio , nec ita sentitur : quia non ita subtiliter penetrat nervos capillares tangentes nervum auditilem .

17 Nota tamen quod hujusmodi differentiae non sunt propriissimæ differentiae soni , quia cum iste debilissimum esse habeat , non est facile proprias ei differentias consignare , unde à tangibilibus quodammodo desumuntur , & ipsum tactum ut sic afficiunt . Illius ergo differentiae secundum proportionem Arithmeticam sunt numerangiæ sicut & differentiae colorum : unde sunt septem . Aliæ vero , quæ sine proportione fiunt , ad numerum non rediguntur . Nec tamen id obstat quin auditus sit anus sensus respiciens unum sensibile , numirum sonum secundum se , cui illæ contrarietates accidunt , sicut differentiae ipsi generi .

C A P U T T E R T I U M .

Quomodo sonus ad auditum deferatur , & an in omni parte aeris usque ad ipsum generetur .

18 **T**riplex est sententia . Prima asserit sonum debere usque ad auditum realiter deferri . Quia scilicet successivè pervenit ad auditum , ac per consequens per motum localem , à quo habet esse naturale , seu materiale . Secunda existimat sonum in medio non multiplicari realiter usque ad auditum , sed semel productum in suo esse reali , ac naturali , dein in medio per species intentionales deferri usque ad ipsum auditum

tum. Licet nonnihil aquam accidat vehementem sonum, secundum suum esse reale illuc pervenire. Probant i. quia aëris primò percussus tanto impetu non concitatur, ut possit per tantum spatium se multiplicare realiter, & secundum esse: ut in sono bombardæ accidit, qui quandoque ad viginti leucas auditur.

19 Prob. 2. velocissimè audiuntur à remotis soni, quod non contingere, si realiter motu locali deferrentur, & non per species intentionales: nam in repetitis aëris percussionibus multum temporis consumendum necessariò veniret. Prob. 3. sonis est proprium sensibile auditus, ac per consequens intentionaliter in medio se multiplicare debet. Prob. 4. pisces sine ulla commotione reali aquæ audierunt. Prob. 5. cessante motu reali aëris adhuc sonus permanet per solam motionem intentionalem: sed non minus valet sonus à principio suæ productionis multiplicare se intentionaliter in medio, quam cum ad finem pervenerit: ergo contingit per solas species intentionales sonum ad auditum pervenire. Tandem quia soni obviantes sibi in aëre seinvicem corrumperent: & dum plures simul loquuntur, unus alium non perciperet, quod experientia teste falsum esse deprehendimus. Ac denique integra vox non posset à multis simul percipi: quia realiter in qualibet parte medii non esset tota.

20 Tertia denique sententia docet sonum equidem multiplicare se per medium secundum esse reale, magis vel minus, pro fortiori, vel minus vehementer ipsius aëris fractione, ac percussione; attamen ad auditum non pertingere secundum esse reale, seu per immutationem, sed solum per species intentionales, quas jam à principio diffundit, ac multiplicat ipse sonus usque ad auditum. Ducuntur eisdem serè rationibus, quibus opiniones præcedentes. Tum etiam quia auditus eodem modo sonum percipit, cum sonus seipso realiter ad auditum pervenit, atqui dum pervenit solum intentionaliter: si autem solum secundum esse naturale auditum immutaret, non posset alio, saltem eodem modo immutare, sed essent diverse motionis species. Tandem experimur sonum, cum recte ad

auditum pervenerit , potius lādere p̄sum , quām proportionatē immutet : ergo non debet per se immutare secundūm suum esse reale .

21 Pro resolutione suppono ex i. fradicendis art. 3. organum auditus duplex esse : unum primum extrinsecum , seu proximum , quod est aēr inclusus in tympano auris , seu meningæ : aliud primum intrinsecum , quod est sensorium , & hoc est nervus auditorius , qui in ambas aures dupli ramo porrigitur à cerebro descendens .

22 Concl. sonus ad auditum extrinsecum pervenit non solum intentionaliter , sed etiam secundūm suum esse reale , per multos motus aēris fracti sibi invicem succedentes , non tamen immutat auditum secundūm esse reale , sed per species intentionales , quia menina impeditur aēr inclusus ne moveatur localiter , nec secundūm esse alteratur à sono secundūm suum esse reale , vel motu aēris , nisi forte per accidens propter vehementiam soni . Ita D. Th. 2. de anim. lect. 17. & de sens. lect. 16. D. Alb. M. loc. cit. & alii quamplures , præsertim ex Antiquis .

23 Prima pars prob. cum quia non potest sonus pervenire ad auditum sine medio : sed medium , quod est aēr , non est receptivum soni , nec ejusdem transmissivum ad auditum nisi per sui percussionem , & successivam motionem partium aēris : ergo sonus debet necessariò ad auditum pervenire per realem aēris motionem , seu secundūm esse reale . Min. patet: aēr enim non solum est medium , sed & materia soni , in qua habet actu esse , dum movetur & frangitur : sed deficie te materia deficit esse rei : ergo deficiente aere moto , seu motu aēris non potest ullo modo sonus secundūm suum esse actu permanere: ergo neque secundūm est intentionale : quia sensus externus non immutatur nisi à re præsenti , & non realiter existente .

24 Tum etiam , quia dum aliquis est à longinquo voces proferet , et si sonus audiatur , non tamen literatio vocum percipitur cum discretione , quæ à propèstantibus percipitur : quod evenire nequit , nisi quia debilitatur motus aēris , seu impressio , & immutatio facta

facta à primo sonante. Et similiter cùm multi loquuntur invicem sese impediunt locutiones ne distinctè percipiantur; & qui tam confusus resultat sonus, quod non eveniret, nō 1ohus in medio esset secundum suum esse reale: species enim visibles non se corruptunt, sed per idem medium contingit multos videre.

25 Hoc eleganter explicat S. D. loc. cit. hac ratione: aér, qui est medium per quod sonus ad auditum defertur, est equidem continuus. Veruntamen facile dividitur, ut in motu projectorum videatur ex: in quo una pars impellit aliam, sūntque successivè multi motus, plurimaque moventia sibi in vicem succendentia. Eapropter violenta percussione corporum solidorum fractus aér, ac motus super aliam partem inundat, & illam movet ac percudit, & sic successivè usque ad auditum, vel usquequo duret virtus primo impressa à movente, seu sonante. Et quia successiva habent idem esse, oportet unum motum secundum esse perseverare, qui est ipsius soni causa, secundum quod est aëris fractivus. Hinc est idem esse quodammodo id quod auditur à multis successivè, scilicet ab eo qui percussione solidorum corporum propinquus, & ab eo qui magis distat, aut extremus est; quodammodo autem non est idem. Si enim sumatur id, quod proxime sensum immutat, ac movet, profectò idem esse non potest: quia sunt diversæ medii partes motæ, à quibus diversorum auditus immutantur: unde contingit unum distinctè vocem literatam percipere, alium vero non quia plus distat. Si autem sumatur id quod est primo movens, idem est, quod à diversis auditur; quia percussione sonus ab omnibus percipiatur. Quodammodo plures idem thus in igne fumans odore percipiunt: sed id quod jam prope ad unumque pervenit secundum diversas medii partes, non est idem numero, sed idem specie.

26 Ex his patet solutio ad argumenta p̄o secunda, & tertia sententia adducta. Ad i. enim negatur inconveniens; quia cùm aér sit facilè divisibilis, dum pars illius primo fortius percussa, & impulsa fuerit facile ad multam

tam distantiam dividit alias successivè, modo explicato. Eadem ratione patet ad 2. Ad 3. dico sonum non afficerre auditus organum nisi intentionaliter, tamen ut intentionale immutare possit, debet secundum lumen esse reale ad ipsum pervenire, quia fit successivè ictus, & nisi secundum esse continuaretur non posset actu movere auditum, quia non esset à quo hujusmodi species successivè causarentur. Ad 4. ex infradicendis a. 2. patebit loquendo de medio ipsius auditus. Ad quintum patet ex dictis, nimirum propter motus realiter sibi invicem succedentes sonum perdurare: sicut durat motus lapidis projecti.

27 Ad illud de sonis obviantibus sibi in aere dicendum cum D. Alb. M. ibid. a. 6. quod soni contrarii in loco contactus interingentes se ad invicem se corrumpunt: unde ex artibibus quidam confusus sonus generatur, si uterque fuerit excellens: si vero alter eorum fuerit excellens, alter verò debilis, iste ab excellenti penitus destruitur, & non editur unus sonus confusus: ut continetur in sono ejus, qui prope campanam actu sonantem loquitur: quia alter alterum in tota circumferentia obtinet, unde perfectam victoriam habet super illum. Attamen quando ambo sunt excellentia, & æqualis virtutis, licet in una parte alter alterum obtineat, tamen ex altera parte resistit; unde non destruit totaliter ipsum: sed ad auditum uterque pervenit: tamen sonus sequens magis percipitur quam præcedens, quia sequens præcedentem quodammodo obtinet, & secundum aliquid ipsum corrumpit. Vide D. Alb. M. loc. cit. Ad cætera patet ex dictis.

28 At verò necessarium sit sonum ex omni parte usque ad auditum successivè generari, & sic ad ipsum auditum pervenire? Resp. D. Alb. M. loc. cit. a. 5. sonum non in una duntaxat aëris parte generari sed in omni parte ad auditum usque, successivè tamen, ut diximus: quia auditum per circumferentiam fieri contingit. Deinde quia unaquæcunq; res sensibilis non habet esse nisi in materia sua, & tanta est, quanta & materia sua: unde quantum aërem percutit prius percutiens, à quo sonus egreditur, tantum aërem percutit aëris percussus,

& generat in eo sonum: & ille aëris aliud aërem, & sic de aliis, quandiu violentia percussio^{rum} durat: & pro debilitate illius impetus violenti, etiam aëris ipsius sonum deferens debilitatio^m.

C A P U T Q U A R T U M .

De modo quo generatur Echo.

29 **M**odum quo producitur Echo ex reverberatione soni explicant S. D. hic. l^o. 2. lec. 16 & D. Alb. M. tr. 3. c. 19. ex Philosopho ibid. t. 2. ubi ait: Echo autem fit cum ab aere uno & continuo fracto propter vas vel simile vasi, determinans, & prohibens diffundi (vel prohibens processum ejus secundum durationem, vel dilatationem) iterum aer repellitur, sicut sphæra, seu pila repercuntur ad partem projecta.

30 Cuius rei gratia nota 1. Sonum generari circulariter. Quemadmodum enim apis in aquam projectus, locum, quem primo cadens contigerit, ut centrum respicit, a quo aqua incipit circulariter commoveri, protrahunturque plures circuli, eò majores, quod plus distant à suo veluti centro, quandiu durat lapidis impetus, qui primo aquam percussit: & si quid fuerit prohibens circulorum processum versus centrum redeunt: haud secus primum sonans in actu est veluti centrum soni, unde inundat circulariter sonus supra aeris partes in circuitu commotas successivè: quod si occurrerit corpus solidum, & concavum aliquantum, nec non altum circulationibus illis obvians ad primum sonans reflectitur sonus, & hoc vocatur echo, id est sonus reflexus. Ab Avicenna vocatur tinnitus. Veruntamen secundum D. Alb. M. nonnihil differunt quia tinnitus est propriè sonus metallorum reflexus: sicut in cymbalis, & campanis eveniens quæ, cum aere, plena sint, qui exire prohibetur, id est percussa, ac trementia diu sonum emittunt.

31 Nota 2. quod si sono quolibet semper echo quodammodo generatur: sed non semper est percepti-

publis, ac manifesta. Quemadmodum enim semper reperiuntur resen, attamen illa repercussio non semper est manifesta: sed cum repercutitur ab aliquo corpore fulgido cum quadam viari te primae luminis exmissione simili; cum vero repercutitur a corpore opaco, & absque hujusmodi claritate, dicitur immo nifesta: haud secus, dum repercussio soni fit ad corpus concavum, in quo natus est multiplicari sonus, fit echo perceptibilis, & manifesta, id est, manifeste comprehensibilis. Cum autem ad alia corpora fit repercussio soni, quæ non sunt nata sonum multiplicare, fit echo perceptibilis, & manifesta. Quælibet enim pars in sono motu percussa est percutienti resistens, licet a violentia motus illa resistentia vincatur, unde nata est generare echo: licet non semper auditur: tum propter propinquitatem; tum ob debilitatem reflectentis. D. Th. & D. Alb. M. loc. cit.

32 In montibus, & sylvis echo frequenter resonat: quia in montibus super ius prominentibus, & cavernosis est repercussio aeris percussi sicut in sphæra. Similiter in sylvis, quæ arribus altis, & prominentibus sunt confixa evenit echo, quia arbores impediti diffusionem aeris percussi: & ramis superius, stipiteque inferius ipsum repercutiunt, unde cum sint concavitates quædam, frequenter ibi reboat echo. In cavernis etiam præsertim si strictæ sint echo auditur, quia prohibetur per circumferentiam diffusio aeris impulsu.

33 Hic duo dubia exquiriri solent. Primum est utrum echo possit fieri sola regressione specierum intentionalium. Quidam simpliciter affirmant; alii absolute negant: atque medium tenent viam affirmantes utroque modo echo posse generari. Ita Recentiores Thomistæ apud M. Martinez dicta quæst. 32. num. 14. Sed cum sonus realiter sit in aere, sola repercussione soni realiter & secundum esse naturale posse fieri arbitramur, cum necessaria sit commotio aeris retrovertens circulationes ut explicuimus.

34 Secundum idem dubium est: an echo sit idem numero sonus vel vox cum sono procedente directe a pri-

mō sonante? Omisis variis opinionibus dicendum existipio quantum ad principium primū. Cetera sic eundem metum sp. cie; per accidens autem tamen numero distingui; tūm ob diversias partes mediū. & ceterus infra art. 3. tūm ob diversitatem corporis repercutientis, quod non se habet ut primo causans motū, sed tanquam pars mediū, solidior tamen, ac perfecte resistens.

ARTICULUS SECUNDUS

De medio audiendi, & organo auditus.

35 Circa medium audiendi oritur communis difficultas, an scilicet sit aer solum, vel etiam aqua? Nam Aristot. lib. 2. de anim. r. 7. utrumque pro medio assignare videtur. Et profecto sonos in aqua fieri ipsa experientia testari videtur; tūm quia pisces audiunt sub aquis latentes; tūm quia si homo sub aquis ster, magnos sonos in aere ipso editos percipit: sed nonnisi per medium: ergo etiam medium audiendi est aqua.

36 Sed contra hoc pugnare videntur: primo ipsius soni formatio, ad quam requiritur, secundum ipsummet Aristot. ibid. t. 78. fieri percussionem duorum corporum solidorum adinvicem, & ad aerem: in aqua autem non est aer: ergo nequit esse medium. Secundò quia ipse Aristot. ibid. t. 87. asserit pisces sub aquis, nec sonum, nec vocem edere posse; quia ibi non est aer. Tertio quia medium debet immutari ab uno sensibili: sed aqua à sono immutari nequit: ergo nequit esse medium. Prob. min. quia aqua cedit, & non permanet diu percussa.

37 Respondet D. Alb. M. loc. cit. q. 25. quod sonus habet duplex medium, scilicet aer & aquam, sed diversimodè. Aer enim est medium, & materia in quo generatur sonus, & sine quo esse non habet. Aqua vero est medium tanquam in quo, & per quod sonus in propriam materiam inducitur, qui est aer impulsus.

Et

hac de causa aqua confundit, & prolixi sonos, at autem conservat, quia conservatio rei est possibilium in propria materia. Tum etiam quia ad sonum requiritur fractio, & divisio fortis: iubus resistit aqua, ita confundit sonos. Ut autem gen' ratio soni in aqua facilius percipiatur, scilicet endum est, quod aer levior est aqua, ideo suapte natura ascendit. Attamen commotus impulsusque violenter, quemadmodum cetera corpora cecentia penetrat, at vero dura ac solida abscondit, ac communis vehementer impulsus, ut supra diximus de acre cum tonitu, ita & penetrat aquam, ibique est materia in qua generatur sonus. Per quod pa ad obiectiones inductas.

38 Sed hic incidit quæstio non contemnenda, cur nimis in aqua non servet melius quam aer species audibles cum melius servare dicatur species visibiles: & ideo organum versus secundum prædominium dicitur esse aqueum? Aqua enim ex natura sua plus servativa est specierum, quam aer. Resp. D. Alb. M. id evenire: quia aqua non est medium recipiens speciem soni tantum, sicut recipit species visibiles: sed est medium per quod divisum sonus in materiam suam transit: unde cum motus aeris fractivus sui spissitudine prohibeat, ac veluti obtundat, efficitur mindus servativa soni, quam ipse aer.

39 Est igitur aer medium, & materia; materia in quantum ex collisione duorum corporum solidorum commotus, ac divisus: sed medium in quantum absensus, id est, quietus: quem Arist. nonnunquam vacuum aerem vincipiat. In quo sonus non habet esse spirituale tantum, ut colores in medio: sed etiam materiale, quia aer non est medium tantum, sed medium & materia soni. Quod ut facilius percipiatur, notandum est quod aer secundum suam naturam equidem facile divisibilis est, constat enim ex raro, & humido spirituali. Attamen cum prævenitur motu percutientis, non relinquitur locus divisioni illius secundum naturam, sed fracturatur, ac violentè scinditur, fitque motus aeris fractivus: pars autem fracta impellendo inun-

dat sui teram, & hoc pacto aer efficitur nesci in soni, & materia.

40 Circa organum auditus omissis variis iententias supponendum est ex S. D. de sensu l. 5. organum complex esse, scilicet ultimum, vel intrinsecum primum, quod dicitur sensorium; & proximum seu extrinsecum primum. Si loquamur de organo proximo, deu extrinseco primo ipsius auditus, in quo incipit auditio, illud est auris, cuius pars praincipia est aer ille meninga contentus. Unde Philos. 2. de anim. 82. & 83. asserit organum auditus, esse complexio, creæ, ut in connaturale sono, à quo movetur, hic enim ex aëris commotione causatur: illumque aërem in typano inclusum esse immobilem, ut animal celo omnes sonorum differentias percipere, ac distinguere, etu discernere possit. Hinc est quod ex corruptione hujusmodi aëris, vel infirmitate meninga auditus impeditur. Ex quibus desumitur hæc ratio: in sensibus, qui per medium extraneum sentiuntur, organa sunt mediis conformia: sed medium per quod sonus ad auditum pervenit, est aer: ergo & organum ipsius aliquid de natura aëri esse debet: quod est aer ille in meninga inclusus. D. Th. 3. de anim. lct. 1. & de sens. l. 5.

41 Si vero loquamur de organo primo intrinseco, seu organo ultimo, in quo perficitur auditio, quod dicitur sensorium, illud est nervus auditivus, qui a cerebro progrediens in tres ramos diffunditur: unum ad linguam mittit, alias duos ad aures: & in istorum extremitatibus fit contactus sonus ad auditum, ut docet D. Alb. M. loc. cit. Rationes desumuntur ad hoc ostendendum, tum ex unitate operationis hujusmodi potentiae, scilicet auditionis; tum etiam ex effectibus illam impedientibus. Ex unitate quidem auditionis: quia unica duntaxat est potentia auditiva, unicunque ipsius objectum: ergo unica pariter operatio est debet: ergo etiam unicum organum primum intrinsecum, in quo resideat hujusmodi potentia, & ubi illius operatio perficiatur. Duplex autem est aer ille in duplice meninga contentus, duplex ve aëris: unus vero est hujusmodi nervus, saltem ubi prope cerebrum

U. sciem dicit : ergo ibi constituendum est ipsius auditus ieniorum , non vero in illo aere . Unde Philosophus lib. de sens. c. 2. apud P. Thom. lec. 5. docet circa eundem locum esse principium visivum , odorativum , & auditivum : odoratus autem , & visus sensoria sunt prope cerebrum : ergo & ipsius auditus . Quemadmodum ergo unica est visus operatio , licet duæ sint pupillæ , quia visio perficitur in nervis opticis , ubi coeunt : ita & unica erit auditus operatio , quam perfici oportet in unico illo nervo auditorio , licet in aer incluso in utraque aure , vel in extremitate utriusque nervi , seu organis extrinsecis principiis .

42. Ab effectu autem suadetur : etenim à nativitate surdus est etiam cœsus , quia læsio est in principio nervi um qui ad linguam disperguntur , & auditum . Quodammodo in nervis illis , ubi coeunt , læsio non eveniat , profecto nam erit causa cur necessariò surdus sit , dum mutus existat ; vel è contra . Ex his patet solution ad argumenta contraria .

ARTICULUS TERTIUS

De voce ac illius differentiis.

Vox quidam sonus est ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam , ut fuisse alibi explicuimus . Quibus super addimus non solum hominum , sed & multa animalia vocibus uti ; illa nimis quæ imaginativa polent , & pulmone aërem attrahunt , ad arteriamque propellunt . Et in his vox imaginationem significare dicitur . Notandum est tamen duplex esse signum ; nimis formatum , seu distinctum , & informe , seu confusum . Illud non est à natura , sed ab intentione , & beneplacito . Et hoc pacto vox , ut significat videlicet formatum , est in hominibus , in quibus instinctui naturæ imaginatio dominatur , ita ut non semper ejus motum sequatur . In aliis autem

atimālibus, in quibus imaginatio natura-
rum operarum suarum, & sensuum
eum necessitate quadam consequitur, unde id opera
sua inquisitione & consilio non utuntur, non enim
ut signum formatum, & distinctum, sed confusum &
indistinctum; & quia indistinctio est similitudini cœ-
sa, capropter, quemadmodum est natura eadem in
omnibus, ita & voces, operave sunt in omnibus simili-
tudia. Idecō in illis vōces parūm, aut nihil diversifican-
tur, sed uno modo vocant omnia quæ sunt sub eadem
specie; & unum animal ex voce alterius non percipi-
nisi desiderium ejus in communi, scilicet indigena su-
eibi, desiderium coitus, noctumentum, responsum, &
vocationem societatis. D. Alb. ibid. q. 24. a. i.

44 Quoad voces significativas, adus soli homi-
nes utuntur, illas diximus notas esse earum, quæ sunt
in anima passionum. Quod pulchritudo. Basilius his
verbis exprimit: *Sermonis nobis sicutum Deus, qui nos
creavit, indulxit pro eo, ut et dis occulta invicem
nobis verbi ministerio pandere ausus.* Pro communi
in alterutrum affectu naturæ unusquisque nostrum
proximo suo, velut ex arcânis quibusdam domiciliis
consilii secreta depromeret. Ex voluntate eiam insti-
tuentis res habent significare. Unum hic explicandum
superest quomodo id fiat. D. Alb. M. loc. ex D.
Damasceno duas distinguit ipsius rationis partes: al-
teram quæ interius sermonem disponit, & hæc ratio-
ni maximè propria est, & ab ea inseparabilis: alteram
interpretativam, quæ cōspositum sermonem per
voces exprimit ac interpretatur: & hæc quæ quoque
ab eo amovetur. Ad primam spectat movere organa
in locutione: istiusque virtus in voce significatum ge-
neratur & in sermone species ab imaginatione, &
intellectu induntur. Nec oportet continuationem, vel
contactum corporalem est: inter vocem, imaginem,
& intellectum: generatio enim significacionis in **vōce**
significativa non est materialis, sed potius virtualis,
& potestativa: Omnia enim spiritualia quæ ad cor-
pus organicum inducunt ordinem, in illo impressio-
nem solummodo virtualiter, & potestativè efficiunt:
vare corpora, ni aliquid obsteret intrinsecum, obste-
cun-

et. statim suscipiunt, cum sint eorum veluti instrumenta & subjecta.

45 Haud secus potentia illa ratioris, quam diximus Interpretatiyam, percutiendo aerem mediis organis vocalibus, in vocibus formati imprimit speciem, & similitudinem imaginantis, & intelligentis; & tangit aerem suscipientem illas species vocalium instrumentorum interventu: & tangendo in ipsum agit; & prout agit, ad actum significandi immutat. Nec tamen species, quae potentia illa interpretativa in voce generatur, est ea rem numero cum ea, quae est in mente, similis intentionaliter. Hinc est illas voces simpliciter dici non significativas, quia ad formationem earum non occurrit potentia rationis interpretativa cum actu & intentione interpretandi, nec imprimitur eis aliqua species representans rem ad extra.

46. Septem vocibus secundum proportionem Arithmeticanam differentiae assignari possunt; quemadmodum de coloribus supra explicatum est: duas extremae, nimimum acutum, & grave; alias sunt mediae. Prout autem sine proportione accipiuntur non est certus earum numerus. Similiter sicut est superenarratio colorum, ita est conjunctio duorum sonorum; quorum alter alterum adinvicem in parte remittit, & sequitur: ut patet in duabus chordis simul sonantibus, vel duobus aut pluribus hominibus simul concincentibus. Etsi enim acutum, & grave in magnitudinibus erraria non sint: bene tamen in vocibus, & sonis, unde unum in aliud agere potest, & unum alteri commisceri secundum mixtionem causarum suarum; quae sunt motus fractivi ipsius aeris, ut dictum est supra.

47 Animadvertisimus etiam quasdam vocum diversitates pro diversitate sexuum, & aetatum. Voces mulierum sunt acutiores vocibus virorum. Vox quoque juvenum acutior voce eorum qui virilem attigerint aetatem: vox infirmorum acutie vincit sanorum vocem, &c. Ad reddendum causam hujusmodi diversitatis, sciendum est causam vocis acutae esse velocem aeris motum: gravis autem tardum ejusdem aeris motum. Causa autem tardi motus est: quia ipse aer motus non

bene obtemperat , & obedit virtuti moventi ,
mittit eam . Causa vero motus velocius est aeternitatem
virtutis moventis super aerem motum . Animal igitur
plus aeris respiratione attrahens , quam motu pulmo-
nis a virtute motiva , quae est in ipso , movere potest ,
semper vocem habet gravem ; & qui parum trahit ,
quem idcirco fortiter impellere potest , vocem ha-
bet acutam .

48 Parva autem aeris attractio fit , vel ob parvita-
tem instrumentorum , & organorum trahentium ; si-
c ut in pueris & mulieribus : vel propter difficultatem
retinendi spiritum attractum ; ut in senibus , &
in infirmis . Nam ex Aristotele vox non formatur inspiratio-
ne , vel respiratione , sed spiritum retinendo . Et quia
infirmi diutius spiritum detinere nequit , et in citio
corrumpatur , & ideo ipsum emitti necessitan est , &
alium attrahi , ideo vox illorum aero spirito re-
tentio acutur . Quod autem in infirmis ex calore cor-
rumpente contingit , id in senibus evenit ex senectute ,
quaer putrefactioni simili est , cum sit via ad
illam .

49 Inter omnia animalia homo solus idem numero
existens quandoque voces habet acutas , quandoque
graves : quia solus industria posset ad retinendum aet-
erum conceptum , multum vel paucum , ad emitten-
dumque ipsum fortiter vel remisè , & ad constringen-
dum organa vocalia , vel laxandum illa . Quod autem
in juventute quidam vocem habeant gravem , in cau-
sa est : quia larga sunt eorum instrumenta vocalia
debilisque movendi virtus . Et cum ipsis crescent , ipsa
vocalia instrumenta virtusque movens proportionate
augmentum non suscipiunt . Sed virtus movens plus
crescit . Eapropter dum incipit movere aerem attrac-
tum minuitur , & sit vox gravis in juventute .



393

QUESTIO XIII.

DE ODORATU, GUSTU, & Tactu.

Postquam de Visu, & Auditu fusè differuimus ;
impræsentiarum de reliquis sensibus exterioribus
nobis habendus est sermo.

ARTICULUS PRIMUS

• De Odoratu.

CAPUT PRIMUM.

De natura odoris ipsiusque generatione, ac
ferentius.

v **O**dor à Philoso. non definitur lib. de sens. c. 6.
Forma ab enchimo sicco impressa humido.
Dicitur forma , nimirum accidentalis , & qualitas se-
cunda osta ex commixtione primarum qualitatum do-
minante aliqua , vel aliquibus illarum , sicco nimirum
aereo aliqualiter temperato . Unde adjicitur , ab
enchimo sicco , id est ab humido imbibito , & incor-
porato alicui sicco . Quemadmodum enim in genera-
tione saporis humidum aqueum à sicco terrestri pati-
tur ; & hoc pacto caloris actione reducitur ad con-
temperationem , efficiturque saporosum , ita in gene-
ratione odoris perspicuum humidum , quod est aer
vel aqua , ab enchimo sicco patitur , fitque saporosum . Unde additur , *impressa humido* : quemadmo-
dum enim activum est enchimum siccum ; ita perspi-
cum seu humidum , quod est aer , vel aqua , est passi-
vum enchim . siccitatis perundationem , vel lava-
tionem . Omne igitur illud odorabile est , seu odori-
ferum , quod est humidum ab enchimo sicco per lava-
do .

tionem, vel mundationem passum, calore in tensione. D. Th. & D. Alb. M. ibid.

2 Circa genus definitionis occurrit dubium, an odor sit qualitas simplex vel composita. Ad quod resp. D. Alb. M. sum. de hom. tr. i. q. 27. a. 1. odore dupliciter considerari posse: primo secundum id, & in ordine ad medium deferens ipsum ad odoratum: & hoc pacto est simplex qualitas: omne enim a sensu passivo debet esse proportionatum: odor autem est agens in olfactum, & organum ipsius, quod si simplicem habet naturam: dominatur namque in illo humidum frigidum; ut infra dicetur. Medium etiam illud simplex, nimirum aer. At vero si sumatur secundum id est quod habet in subjecto per compositione primarum qualitatum; & quasi radicat ter, seu ausalter non est qualitas simplex, sed composita. Ubi nomine simplicis, intelligendum erit, id quod est humidum spirituale aereum, seu naturam aeris refert. Nomine vero compositi, id quod est crassum terreum, mixum habens purum cum illo puro, grave cum leviori, ut cibus animatorum.

2 Ex quibus sequitur odorem secundum se non nutrire. Quod expressè docet Philosoph. lib. de sens. c. 6. D. Th. & D. Alb. M. ibid. Et prob. ex eisdem ita quia nutritiens debet esse quid compositum incorporeabile partibus nutriti, ut diximus, ex eisdem enim nutritur animal ex quibus est: omne autem nutritum compositum est: unde simplicia elementa neutri non nutrit, præsertim aqua, & aer; hinc est quod siimum aquæ agricultores commisceant, ut plantæ nutritri valeant: sed odor ipse simplex est; & ejus susceptivum est aer vel aqua, seu humidum aquatum, vel aereum; ergo nutritre non potest. Tum etiam quia odor non dirigitur ad locum nutritioni destinatum in ipsis animalibus, sed ad cerebrum pergit, circa quod est illius sensorium: non ergo nutritioni deservit. Nec obstat quod odor bonus cerebrum confortet, hominemque, & cætera animalia non parum selectet. Non enim hoc provenit, quia nutritur, sed propter immutationem, quæ efficit calido, & sicco in ipso humido.

candem rationem malis , & ingratis
odor corruipit . Unde bonus qdor sanitati conferre
dicitur : malus autem nocere :

4 Circa differentiam ejus oritur dubium utrum odor
sit ex prædominio calidi & siccii , seu an sit actus ca-
lidi , & siccii ? Respondent S. D. 2. de anim. I. 19. &
de sens. ec. 9: D. Alb. M. ibid. & in sum: de hom.
tr. 1. q. 2. a. 2. odorem præcipue & primo consiste-
re in actu calidi , & siccii ; seu in sicco aereo ; esseque
secundum prædominium calidum , & siccum: secun-
dum vero in humido saporoso . Probatur omne
ut sensus nutrimenti desiderium necesse est principali-
ter ex istiuis & illis qualitatibus ; ex quibus causatur
desiderium ejusdem : sed desiderium nutrimenti à fa-
me causatur ; fames autem est appetitus calidi , & siccii :
ergo odor præcipue ; ac primariò ex calido , &
sicco constituitur . C. nf. sapor , & odor ad alimen-
tum conferunt : sed t. in eodem modo ; quia duo sen-
sus ad idem formale . visibile terminari nequeunt : er-
go diverso modo : sec. sapor qui est in alimento præ-
cipue consistit in subtili umido , & secundario in
sicco : ergo odor præcipue in sicco debet consistere
secundariò autem in humido . Min. prob. alimentum
debet incorporari alito : ergo necessarium est ut in illud
subintret : sed ad hoc requiritur , ut sit humidum sub-
tile : humidum quidem , ad quærendos alienos termi-
nos : subtile autem , ut sit penetrativum partium : er-
go sapor præcipue in humido consistere debet . D. Alb.
M. loc. cit.

Quod autem requiratur humidum habens natu-
ram sibi impressam ab enhymo sicco , seu ab humo-
re imbibito , & comprehenso à sicco , ex eo patet ,
quod nimis ea , quæ tantummodo siccata sunt ; ut la-
pides ; & inter metalla auram non sint odorifera , seu
odorabilia . Similiter , quæ sunt solummodo humida ,
ut elementa , odore carent . Requiritur ergo humor à
sicco comprehensus : unde quæ tali humore præstant ,
odorabilia sunt , ut Mare , & quædam ligna . Quod
etiam cautor ad generationem odorum conferat , satis
superque experientia uemonstrat , cum frigore odores
ante-

attenuantur : quia frigore aufertur , vel
lidum odores ipsos generans , ac præsens . D. Tho.
lib. de sens. l. 12.

6 Objicies: datur quædam aquæ odorifera : atta-
men in aqua non est prædominium calidi siccæ , sed
frigidæ & humidi . Conf. 1. medium ipsi sensibili
proportionari debet ; organum verò ipsi medio : sed
medium odoratus est aer & aqua ; quia siccæ non sunt
similiter organum est aërenum , vel aquæ : ergo &c.
Confirm. 2. in eadem re est odor , & sapor : sed
in eadem re nequeunt esse complexiones contrarie
puta ex prædominio siccæ , & ex prædominio
calidi : ergo &c.

7 Resp. ad 1. ex S. D. loc. cit. hujusmodi aquæ odo-
riferas naturam simplicis omnino aquæ non habere ;
sed humidum earum est à siccæ commixtæ , ut odo-
rem emittere possint . Resp. ad 2. q[uod] intentionaliter
Saltem medium illud est proportionatum , & etiam or-
ganum ipsi sensibili : quia hæc potentia sunt aeris , vel
aquaæ , tamen in actu sunt siccæ & calidi

8 Hujus rei gratia nota ex S. D. de sens. l. 5. id , quod
est odoratus , dupliciter accipi posse : uno modo se-
cundum potentiam ; qua ratione organum odoratus est
de natura aeris , vel aquæ : quia videlicet organum
odoratus est in potentia odor in actu , qui est per calo-
rem , vel ignem : cum ergo contrariorum eadem sit ma-
teria , & subjectum ; & unum non sit in potentia ad aliud ,
quatenus perfecte , vel imperfecte hujusmodi subjec-
tum informat , oportet organum ipsius odoratus , se-
cundum quod est potentia ad odorem in actu , esse actu
humidum , & frigidum : unde & vicinum est cerebro :
quod frigidum , & humidum est . Alio modo sumi po-
test in actu : & hoc pacto , naturam ignis refert : sit
enim in actu per fumacem evaporationem ; fumacis
autem evaporationis est ab igne , seu calido siccæ .

9 Resp. ad 3. ex eodem S. D. 2. de anim. lec. 19. non
esse inconveniens saporem , & odorem reperiri in ca-
dem parte mixti ita ut uterque suavis sit : vel alter eo-
rum tantum , videlicet odor : alter verò insicundus ,
scilicet sapor : vel è co[m]posito . Quia non est inconve-
niens

ne substantiam nimirum subtilest aeream
 & aquæam grossiorem commixtas esse : vel secundum
 debitam utriusque proportionem : vel secundum de-
 bitam proportionem in una, & non in altera . Nec
 enim hoc exigit complexiones simpliciter contrarias,
 sed eandem secundum diversam contempnerationem
 humidi , & siccii .

10 Ex his facile intelligetur quo pacto ab Aristot.
 odor saporis passio esse dicatur : quia nimirum uterque
 ab eisdem principiis agentibus , & patientibus genera-
 tur , diversi mode tamen se habentibus : & odor non
 est in aliis nisi illi cui accidit sapor . Unde virtus sapo-
 ris non est omnimodè extranea , & accidentalis odori-
 bus . Quapropter quemadmodum sapor , ita & odor
 sunt sequelæ complexionum corporum odorantium .
 Causantur tamen à qualitatibus complexionem in cor-
 porē inducentes ; nec tamen eodem prorsus modo
 ut diximus .

11 Hinc patet causa cur homo inter omnia anima-
 lia minus egregio præsus sit odoratu : ut docet Phil.
 2. de anim. t. 92. loquendo videlicet de odoribus de-
 lectabilibus , vel contristabilibus per accidens , id est
 per comparationem ad escam , & quatenus cum sapo-
 ribus conjuncti sunt , vel illis in alimento coordinan-
 tur . Quia nimirum in homine sensorium odoratus ,
 cum sit proximum cerebro , quod est frigidum , & hu-
 midum , & majus quantitative , proportione servata
 ad alias corporis partes , quam in cæteris animalibus ,
 proxime ad cerebri complexionem accedit , scilicet fri-
 gidaam , & humidam : sed odor causatur ex calido &
 sicco prædominante in ipso humido : ergo cum instru-
 mentum organi non sit ita proportionatum ad odora-
 bile in ipsis hominibus , minus bene quam cætera ani-
 malia odorant . Si autem fiat sermo de odoratu humano
 per ordinem ad odores delectabiles , vel contristabi-
 les , & injucundos secundum se , & non per compara-
 rationem ad alimentum , inter cætera animalia homo
 nequitquam pejus odorat : quia melius odores secundum
 se , imo solus discernit , ac dijudicat .

12 Species odorum . secundum D. Alb. M. loc. cit.

q. 27. a. c. tripliciter distinguntur , nimirum & comparative ad delectationem quam obicitus ingerunt ; vel cristiitam quam inferunt in . In se etiamnum dupliceruntur ; videlicet per se seu absolute : & per ordinem ad sapores . Per se mus redolens , & factens : quia sunt nomina excellentiarum odorum exprimentia, cum propriis nominibus , species illius primas exprimentibus , careamus . In comparatione autem ad saporem , denominamus odorum species quemadmodum , & saporum : ut à dulci sapore dulcem nuncupamus odorem : ab amaro amarum &c. Penes delectabile autem distinguuntur odores , in eundem odorem qui delectatione sua ad sanitatem conferunt , eum , qui alimenti desiderium excitat , seu ad alimento confert . Delectatio prima per se priori incitat ; secunda ratione alimenti . Illa ad cerebrum contortandum pervenit ; ista etiam ad ventri alum.

13 Ex his elicetur definitio odoris , scilicet qualitas causata ex humido saporoso per calorem resolventem existens in siccо aereo , seu subtili , calido , evaporans a corpore odorabili . Potentia vero odorativa definitur : vis ordinata in duabus garniculis anterioris partis cerebri similibus mamillarum capitibus , ad apprehendendum illud , quod est offert aer attractus de odore , qui est in vapore permixto : aut de odore impresso in illo ex permutatione , que sit in corpore odorifero . Ita D. Alb. ex Avicen. q. 27. tr. 1. sum. de hom. art. 1.

C A P U T S E C U N D U M .

De medio olfaciendi , & organo ipsius olfactus .

14 Rist. 2. de anim. t. 97. asserit aerem , & aquam esse olfaciendi media: in eisque odorem seu medio reperiiri . Quod est contra Heraclitum existimantem odores quidem ab omnibus entibus resolvi , in aere tamen , seu medio , duntaxat existere . Quia odorem nihil aliud esse putabat , quam fumanam evaporationem : hanc autem in aqua reperiiri impossibiliter.

propter quæ est. Aristoteles vero negans odorem in hujusmodi fumis evaporatione consistere, cum ea cef-
sante, & longè distante, odor perseveret, & ad ol-
factum perveniat: asseruit non modo in aere, sed &
in aqua sentiri, & existere odores. Pisces enim in
aqua odores persentientur: cum tamen aerem non
contingant.

15 Sed cum in eis tria sint: scilicet natura diapha-
ni, frigidi, & humidi, dubium esse potest, sub qua-
estis rationibus medii rationem habere possint? Nec
enim id habere videntur, quia diaphana: cum sub
h. ratione sit medium in visu. Nec secundum na-
turam humidus: odor enim præcipue est actus siccus.

c taadem sub ratione calidi, & frigidi: quia neu-
trum communiquer aeri, & aquæ competit; aer enim
suapte natura calidus, & humidus est: aqua vero fri-
gida, & humida. Unde & frigus extinguit, vel sal-
tem attenuat odores. Resp. D. Alb. M. sum. de hom.
tr. I. q. 28. esse media quatenus sine odore fumisodo-
ris tamen perceptibilia. Cum enim in odore duo sint,
scilicet humidum siccum permixtum, prout odor magis
ad humidum accedit, est in aqua; prout autem ma-
gis ad siccum, est in aere. Et licet alia corpora sim-
plicia sint etiam absque odore: nec tamen sunt media
olfaciendi: quia ab evaporatione fumali non sunt pa-
sibilia.

16 Quæres utrum sit necessaria ipsa immutatio
non solum ex parte medii, sed etiam ex parte rei odo-
rabilis ita ut odorabilia necessariò fumalem evapora-
tionem quodammodo ex se debeant emittere; &
immutatio naturalis medii intentionalem præcedat.
Omissa eorum sententia, qui negant hoc exigi: cu-
ppressus enim longo tempore sine hujusmodi exhalatio-
ne, & immutatione redolet, & res in aqua ubi tali
exhalatio fumosa nequit accidere: resp. cum D. Alb.
M. ibidem odorem nullatenus fieri sine evaporatione
fumali propria rei odorabilis: unde per attractionem
multam odorum, ac resolutionem tandem corrup-
titur, ac putreficit. Tamen nihil prohibet quin ipsa
evaporatione postea intentionaliter acrem, vel aquam
im-

immutet. Vnde experimur vinum odorem rerum odoriferarum juxtapositorum suscipere, & ab eo immutari: cum tamen realiter non suscipiat fumalem evaporationem. Similiter pisces in aqua odores percipiunt, ut diximus, cum tamen fumalis evaporatio, aut aliquid realiter actu siccii immutans medium usque ad odoratum piscium non pertingat.

17 Tandem, quia à longissimo intervallo odorem persentiri contingit. Fertur enim vultures ad quinquaginta millaria, eoque amplius odorem cadaverum percipere: implicat autem hujusmodi corporalē exhalationem per tantum spatum diffundi: recipiunt et sensibile medium undique secundum eamdem dista-
tiam immutet, nisi prohibeatur. Nec enim sensus cest ad occupandum tantum spatium omnino: hujusmodi cadaverum resolutio, ac fumosa evaporation: cum sit certus quidam rarefactionis terminus, ad quem terminus naturalis pervenire potest, scilicet ad raritatem ignis, & ultra quem non potest: quæ ad hoc non sufficeret. Eò præsertim quod cadavera in hujusmodi fumosa evaporatione non conspiciantur sensibiliter immutata. D. Th. de anim. cc. 20.

18 Nec est simile de sono, qui ut immutet auditum, ad ipsum realiter pertingeret debet, ut diximus; quia sonus motum localem pro causa habet, & esse successivum; unde nonnisi durante motu locali perdurare potest, & ad auditum pervenire: ratione autem motus localis habet realiter ad sensum deferri. At vero odor motu locali non producitur: sed ex commixtione primarum qualitatum resultat: & immutatio organi illius fit per immutationem medi, quod aliquando realiter immutatur usque ad auditum, quandoque vero non. Nam in Beatorum corporibus erit suavissimus odor, qui sine immutatione reali percipietur. D. Th. de sens. l. 6. & in 4. d. 44. q. 2. a. 1. Itaque odor quando parum distat realiter usque ad odoratum pervenit secus vero si sit magnum interval-
lum inter ipsum, & odoratum.

17 Quod ad organum odoratus spectat, supponendum est duplex esse, sicut de visu & auditu di-
mensus?

intus : unum primum extrinsecum , seu proximum : alterum ultimum , seu intrinsecum , primum quod dicitur illius sensorium . Quo supposito , sciendum est varias de hac re versari DD. sententias . Galenus quem sequuntur Avicenna 6. natur. p. 2. c. 5. & alii non pauci , odoratus organum in ventriculis cerebri constituit . Cerebrum enim odores percipit: cum ipsum odoribus confortari , vel laedi experiamur . Velsalius in officiis mamillaribus illud reponendun esse existimat . Alii verò in membranis . Alii in interiori parte nasi organum ipsius odoratus esse opinantur . Ibi enim sit sensatio , ubi est voluptas sensibilis : voluptas autem odoris in naso percipitur . Tum etiam quia odoratum in naso , seu janua locatum esse docet , ut de ipsis odoribus iubingredientibus , & ad cerebrum properantibus dijudicare valeat . Vnde & in naribus odorum differetiae percipiuntur , ut docet Philosoph. lib. de sens. c. 5. Qui propter ipse Philos. 2. de anim. t. 58. asserit nares esse odoratus instrumenta .

20 Nihilominus tamen dicendum est cum S. D. Opusc. 43. c. 3. organum quidem proximum , vel extrinsecum primum esse in naso , seu naribus : sensorium tamen , seu organum ultimum , vel primum intrinsecum esse in anteriore parte cerebri , prope narium foramina , scil. in processibus mamillaribus , qui dicuntur carunculae mamillares . Quod prob. tum quia odor in actu calidi & siccii præcipue consistit , ut diximus; sed organum odoris debet esse potentia ad odo-rem & consequenter ad calidum siccum , & quod est potentia ad calidum non est nisi frigidum : ergo organum primum intrinsecum odoratus constitui oportet in loco frigido humido : qui est prope cerebrum , in processibus illis mamillaribus: qui sunt de natura cerebri : licet diversæ naturæ ab ipso , quia animati sunt . Et præterea quia hujusmodi carunculae spongeæ facile recipere possunt evaporationes , & exhalationes odoriferas , quibus cerebrum confortatur ; & nimia ejus frigiditas contemperatur . Licet ergo nares primò species odorum sive materia suscipient : tamen odorato percepitur in his casis inculis mamillaribus ,

ARTICULUS SECUNDUS

De Gustu.

21 Philosophus de sens. c. 5. saporem hoc pacto definit: passio facta in humido aqueo à secco terrestri gustus alterativa secundum potentiam in actum. Dicitur passio, tum quia est qualitas sensum movens de tertia qualitatis specie: tum etiā quia sicut in generatione odoris est aliquid ut activum aliquid ut passivum, ita in generatione saporis. Dicitur facta in humido aqueo: ut designetur proprium odoris susceptivum, quod est humidum aqueum: humidum quidem: quia ubi non est humor, sapor esse nequit: unde terra ex se non habet saporem: quem tamen ex modica humidi permixtione per alterationem calidi consequitur. Aqueum item: quia, quemadmodum odor in secco aereo aliqualiter contemperato consistit, ita sapor in humido aqueo aliqualiter digesto.

Dicitur, à secco: quia nec humidum sine secco, neque siccum absque humido ad sapore pertinet. Sapor enim est nutrimenti passio, quod his qualitatibus affectum est. Dicitur autem a secco terrestri: quia licet humidum à secco igneo pati possit, maxime tamen natum est à secco terrestri pati: quia siccitas propriè & per se terræ competit, quasi propter maximam à fonte caloris distantiam, non resoluta in humiditatem terra, sed in ultima grossitie permanente. Additur, gustus alterativa secundum potentiam in actum. Ut distinguatur sapor ab odore, & aliis quibusdam passionibus, quæ ab humido, & secco per actionem calidi producuntur: quæ tamen non sunt gustus immutativa, sed aliorum sensum. Ostenditur pariter modulus quo sapor est immutatus ipsius gustus, nimirum secundum potentiam in actum: quia reducit ipsum sensitum gustus de potentia in actum.

22 Sapores extremi duo sunt, scil. dulcis, & amarus: inter quos cæteri meliuntur, nra docet Philol. i.e. de

anima t. ips. & de sens. c. 4. D. Th. ibid. lect. 11.
Nam in sapore consideranda sunt extrema secundum
humidum aliqualiter paup. à calido , & secco: sa-
por enim principaliter humidum sequitur ; & ab eo
causatur : & hoc in ordine ad gustum immutandum :
sed in ordine ad gustum immutandum dulce , & ama-
rum simpliciter sunt extremæ dispositiones : quia dul-
ce cum suavitate ; & delectatione immutat ; amarum
autem cum horrore : ergo sunt extremi sapores : li-
cer per ordinem ad qualitates activas absolutè sumptas
extremi non sint ; nam calidum intensem & consu-
mens frigidum extrema essent : & dulce esset quodam-
modo mea um , quod à calore temperato producitur .
Et hoc modo sumendo gustabilia , seu sapores , scil.
per ordinem aë qualitates activas , & passivas verum
est illud axioma , nimis extrema in saporibus fu-
gienda : quia hoc pacto molesta sunt .

23 Itaque à calido , ut à causa efficiente quatuor in
specie generantur sapores , ut docet D. Alb. M. sum.
de hom. tr. 1. q. 30. A calido sufficienter humidum
digerente , & contemperato sapor dulcis producitur .
A calido digerente , & subtiliante humidum aqueum
in humido aëreo sapor pinguis generatur . A calido au-
tem non digerente sed aliqualiter adurente , si est cum
humido , sapor ponticus causatur : si autem fuerit cum
secco fit sapor amarus , vel falsus si minus adurat .

24 Quemadmodum autem species colorum septem
numerantur , secundum proportionem Arithmeticam ;
quorum duo extremi , scilicet album , & nigrum , cæ-
teri quinque medii ex eorum commixtione geniti : ita
& secundum hujusmodi proportionem Arithmeticam
septem pariter saporum species à Philosopho num-
erantur : extremi duo sapores , scilicet dulcis , & ama-
rus : alii medii ex horum commixtione ; vel causa-
rum ex quibus hi generantur , producti . Septem au-
tem colorum species secundum proportionem illam
ita numerantur : albus , à quo non distinguitur fla-
vus : & niger tanquam extremi : & lividus qui nigrum
sequitur . inter quos sunt quatuor medii : scilicet pu-
niceus , seu citrinus : viridis : & color cœlestis . Ita

septem saporum species sic accipiuntur. Dulcis, quo non distinguitur pinguis, & amarus, tanquam extremi sapores: inter quos sunt quatuor medii, scilicet ponticus, austerus, stipticus, & acutus. Ex istorum autem commixtione per superabundantiam, vel excessum, sine proportione innumeri alii generantur. Ut de coloribus dictum est.

25 Ad actum gustandi euidem requiritur medium, non tamen extraneum, sicut in visu, auditu, & odoratu, sed intraneum, seu intrinsecum & conjunctum; quod est pars ipsius animalis gustantis. Et hoc est caro linguæ, ut docet ex Arist. 2. de anim. t. 101. & 119. D. Th. & D. Alb. ibid. & communiter Philosophi. Nam gustus est quidam tactus, prout est sensus alimenti: & ipsum gustabile est quoddam tangibile: quia alimentum non nutrit nisi per substantiam suam alito incorporatum, & ex qualitatibus primis, tangibilibusque compositum sit; cum ex eis nutriti debeat animal, ex quibus constat. Deinde quia nihil gustatur, nisi medio humido aquo, quod est insipidum, & nisi sit gustabile conjunctum cum linguae ultimo: illa autem se tangunt, quorum extrema sunt simul. Quia vero non est gustus nisi in lingua & palato, & non universaliter in toto corpore, dicitur tactus quidam, & non simpliciter. Nec tamen est idem sensus cum tactu; quia prout discernit sapores, & eorum indicativus est, formaliter tactus non est: sed tangibile non sentitur per medium extraneum, sed intrinsecum & conjunctum: illa enim se tangunt, quorum extrema sunt simul: medium ergo istius sensus non est extrinsecum, sed conjunctum: & hoc est caro linguæ; in quantum enim quidam tactus est, carnem pro medio exigit: linguam vero ad saporum discretiōnem, & ut formaliter eorum indicativus est.

26 Loquimur de medio per se, nam si loquamur de medio, quod non est simpliciter medium; sed medium & materia, in gusto est quodammodo medium extrinsecum, scilicet humidum aqueum, vel salivam ex instrumentis salivalibus extrinsecè in linguam derivata. Sapor etenim usque ad linguam linguae, seu in

lingua diffusum penetrare debet : quod non nisi humido aliquo perficere actu potest ; hoc enim penetratum est . Recipit enim huiusmodi humidum , quod ex se insipidum est , saporem per commixtionem suum partibus rei saporosae : ex qua commixtione efficitur res actu saporosa . Unde sapor non est in humido illo , ut in medio tantum ; sed ut in medio , & materia . D. Alb. M. loc. cit.

27 Dices : ex Philosopho 2. de anim. t. 101. si ali-
quod corpus saporosum dissolubile per aquam; ut mel
v. g. illi immisceatur , qui sunt sub aqua constituti,
etiam distantes à sensibili saporeso, saporem illius per-
sentiunt: cum tamen non sit ibi medium conjunctum,
sed extraneum, scil, aqua. Resp. D.Th. ibid. lec.21. ad-
miseri saporem illum aquæ; sicut in potu sapor humi-
do admisceretur, & realiter pertingere ad linguam gus-
tantis, & hoc pacto contingendo gustum immutare.
Unde cùm per tantam diffusionem sapor attenuetur,
minus intense gustum mover, & immutat.

28 Quod spectat ad organum gustus dico cum S. D. Opusc. 42. c. 3. instrumentum & medium gustus, seu organum primum & proximum esse linguam ratione nervi per ipsam diffusi. Ita Arist. 2. de anim. t. 104. & prob. quia organum gustus est, quod immutatur à sapore per immutationem materialem saliva mediante: hoc autem modo lingua immutatur: unde neque sicca aut humida multum possumus gustare. Tum etiam quia illud est organum gustus, quod neque est humidum actu, neque saporosum secundum se, est tamen tale, quod humectatum, & passum à gustabili sentire possit: quæ omnia linguae competunt. Organum autem ultimum, seu sensorium non est lingua: sed est juxta cor. Tum quia cor est principium operationum vitæ: & ideo juxtaponi illi debet sensus gustus, qui est animali maximè necessarius. Quemadmodum, quia cerebrum est animalium operationum principium, illi juxtaponuntur sensoria visus, gustus, & odoratus, quæ ad hujusmodi operationum exercitii in pernecessaria sunt. Tum etiam quia gustus est quantum tam latere, — Maximus; tactus autem necessa-

rio ad eorū debet tendere, & alluc dirigi, illis que suum
sensorium habere: quia ut possit qualitatum tangibili-
um alteraciones sustinere; debet esse substantiæ ma-
ximè solidæ: inter partes autem sensiuas solidior est
cor: esseque debet majori calore præditum, caliditas
enim ad tactum per quam necessaria est: in corde au-
tem præsertim viget calor: ergo sensorium gustus de-
bet esse juxta cor.

29 Dices: si gustus sit quidam tactus, nunquid
omnibus animalibus inerit, sicut & ipse tactus. Resp.
S. D. 3. de anim. l. 17. animalia esse in duplice differ-
entia: quædam valde imperfecta, quæ more plan-
tarum terræ hærent: ut spongia maris, & similia: :
quibus solus sensus tactus inest: nutriuntur enim ins-
tar plantarum: unde his gustus non est necessarius.
Alia sunt perfecta, quæ motu progressivo moventur:
& hæc sensu gustus, aliisque prædicta sunt. Verun-
tamen respectu ipsorum sensus gustus dupliciter con-
siderari potest: primò, ut est actus quidam alimen-
ti, quo scil. discernitur an alimentum sit conveniens,
nec-ne, & hoc pacto omnibus animantibus perfectis
necessarius est: alio modo quatenus est saporum dis-
cretivus, & indicativus, qui alimentum delectabile,
vel contristans efficiunt, ut facilius sumatur, aut re-
futetur: & hoc pacto non invenitur, nec est necessarius
omnibus animantibus, sed quibusdā, præcipue homini.

20 Ex his patet definitio gustus; quam tradit Avi-
cenna apud D. Alb. M. ibid. q. 30. art. 1. scil. vis or-
dinata in nervo expanso super corpus linguæ ad ap-
prehendendum sapores solutos, ex corporibus contin-
gentibus ipsum, cù " permiscetur humoris linguae
permixtione permutante. Etsi enim organum primum
& proximum gustus, quatenus est saporum indicati-
vus, sit etiam in nervis diffusis per palatum, specia-
liter tamen, & secundum sui optimum est in lingua,
secundum nervum gustatorum per eam diffusum. Et
quamvis aliqua animalia non habeant linguam, tamen
aliqui loco linguæ habent; scil. carnem quandam
ad cuius radicem continuatur œsophagus, & canna;
vel œsophagus tantum, vel scil. alius sine œsophago,
& canna.

ARTICULUS TERTIUS

De Tactu.

31 **P**rimò in tactus sensu nobis examinandum occurrat, quid sit organum, & medium illius. Dicendum est 1. eum S. D. 2. de anim. lect. 23: quod sensorium, & organum ultimum tactus non est caro: sed est organum proximum, seu primum extrinsecum, & medium; & quilibet pars secundum æqualitatem mixta. Prima pars prob. 1. quia nullum sensibile positum supra sensorium sensationem efficit: sed sensibile positum supra carnem sentitur: ergo caro non est sensorium tactus. Prob. 2. quia præter carnem multa alia sentiunt, ut nervi, qui sunt maximè sensitivi: similiter cartilagines, & membranæ: sed hæc non sunt sensorium tactus: ergo neque caro. Secunda pars prob. quia ita se habet caro ad organum tactus, sicut aer, & aqua ad organa visus, & auditus, ut docet Philosophus de juventute c. 2. sed aer, & aqua respectu horum sensuum se habent tantum ut medium; licet extrinsecum; ergo & caro erit medium, quamvis intrinsecum. Imo & quilibet pars mixta ad æqualitatem accedens, participansque spiritum sensibilem: hinc est quod tactus sit diffusus per totum corpus; inquantum ipse est forma, & perfectio animali corporis.

32 Dico 2. sensorium tactus est in corde, vel circa cor. Ita S. D. loc. cit. prob. quia, cum sit cor oppositum cerebro secundum situm, & qualitatem: nam cerebrum est frigidissimum omnium, quæ sunt in corpore; cor autem est calidissimum, imo & fons ipsius caloris; ut per frigiditatem cerebri ipsius cordis temperetur calor: ergo ibi principaliter locari debet ipsum tactus sensorium, ut possit congrue fieri ipsarum qualitatum tangibilium discretio. Tum etiam quia læsio circa cor est maximi doloris. Ad hujusmodi etiam organum intrinsecum pertinet cerebrum, in quo diffunduntur spiritus animales; à quo per nervos

ad carnem, & cutem spiritus illi derivantur. Ita D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1:q. 31. a. 3.

33 Objicies 1. organum tactus per totum corpus dispersum esse debet, est enim fundamentum omnium sensuum exteriorum : sed illud ex quo aliquid dicitur esse sensitivum est organum tactus : ergo sensitivum tactus non est circa cor , vel in corde . Confirm. organum sensus est membrum illud , quod sentit primo objectum : sed caro est prima pars animalis percipiens ipsum tangibile : ergo caro est organum tactus. Min. patet ; quia detracta cute in qualibet partē carnis primo sentimus .

34 Resp. ad arg. ex S. D. quòd licet sensu ipsius tactus animal per totum corpus sentiat ; hoc tamen non efficit , ut caro sit organum ultimum tactus , seu sensorium , sed primum extrinsecum , seu medium , quia cùm hujusmodi medium in sensu tactus conjunctum esse oporteat , per totum corpus dispersum esse debet. Resp. ad conf. sensorium equidem primò intrinsecè debere objectum sensibile sentire ; sed caro quælibet non sentit , sed dependenter à carne cordis , ut diximus , licet sentiat primò extrinsecè ; quia non modò medium est , sicut aer in visu ; sed medium , & organum proximum , seu extrinsecum primum conjunctum , unde est pars animalis .

35 Objicies 2. qualitates tangibles , puta calidum , & frigidum v. g. generant speciem suam in aëre longè distante à sentiente : ergo non habet tactus medium intrinsecum , & conjunctum. Resp. D. Alb. M. quod licet frigidum , & calidum à longè immutent ; tamen in omnibus intermediis sunt sicut in materia , & subiecto , & non sicut in medio. Quia elementa sunt subiecta propria tangibilium qualitatibus ; non autem ita sunt subiecta saporum , odorum , & sonorum ; unde cùm aer calefacit corpus non est actio medii , sed materiae .

36 Pro majori intelligentia notandum est ex S. D. quod esto necesse sit inter tangens , & tacsum esse medium , in hoc tamen tactus ab aliis sensibus differt , quod illi moyentur à medio , & medium à sensibili ;

actus vero immutatur cum medio à sensibili : sicut aliquis simul cum elypto à percutiente percutitur. Unde in aliis sensibus immutatio medii est causa cur immutetur sensus : non autem in tactu, & gustu, qui est quidam tactus. Ratio discriminis est, quia medium extrinsecum per accidens se habet in tactu, inquantum accedit corpora se tangentia esse humectata. Unde nec semper per medium extrinsecum tangit, sed per medium intrinsecum, & connaturale, quod est caro.

37 Circa objectum tactus, quod est tangibile proprium, difficultas esse potest, an hoc solum comprehendat quatuor qualitates primas: quae sunt calidum, & humidum, frigidum, & siccum: an etiam qualitates consequentes, scil. durum, & molle; grave, & leve, grossum, ac subtile. Imo & divisionem continui, seu dolorem ex ipsa causatum sentiat; ac delectationem? Ratio dubitandi est, quia qualitas sensibilis sentitur secundum quod ipsa est: ergo si ipsa non fuerit prima, non videtur quod primo sentiatur.

38 Resp. cum D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 31. art. 4. quod tactus, prout est forma & actus animati corporis anima sensitiva, seu corporis complexionati, omnes illas qualitates per se tangit, quae habent contrarietatem, aut convenientiam ad ipsum, prout est in motu: ut sunt calidum, frigidum, humidum, & siccum &c. Duxi, prout est in motu, quia nihil prohibet qualitatem innaturrem non sentiri, si recepta fuerit in complexione quasi naturalis. Unde Ethici non sentiunt calorem illum innaturrem: quia nimirum iste vincit naturalem, & effectus est quasi naturalis: cum ramen laborans febre tertiana maximè calorem febrilem persentiat, qui illo calore multò minor est, ac minus vehemens: quia videlicet in eo calor naturalis non est victus: sed calor febrilis est in motu, & pugna cum ipso calore naturali complexionis. Prout vero tactus est perfectio corporis compositi ex membris dissimilibus, omne illud persentit, quod est dissolvens continuationes talis corporis: vel conservans illam: & hoc procto dolorem ex verberibus: delectationem autem in coitu persentit. Imo sensus delectationis,

nis, prout delectatio est, aut doloris, prout dolor est, non nisi in tactu per se est: in visu enim v. g. non inest delectatio, dum pulchrum videt; sed potius in anima pulchritudinem rei visa apprehendente: unde cætera animalia, præter hominem, coloribus, odoribus, & sonis non multum delectantur. Imo nec in gustu delectatio saporum est, nisi prout est quidam tactus. In sensu autem tactus, primò & & per se inest delectatio, aut dolor respectu sui objecti.

39 Ex his sequitur homines inter cætera animalia meliori sensu tactus excellere: quia ipsorum complexio maxime ad æqualitatem accedit. Eapropter minimas quasque tangibilem differentias recedentes ab æqualitate: vel contrarias suæ complexioni percipiunt. Hinc molles carnes aptos esse mente, & optimo ingenio pollere asserit Philosophus: qui videlicet molles carnis æqualitatem majorem indicat ipsius complexionis: in nobiliori autem complexione nobilior est dispositio: in quantum corpus est organum ipsius animæ. Imo certior est tactus in homine cæteris sensibus, ut docet D. Alb. M. ibid. Hinc elicetur definitio ipsius tactus, videlicet: virtus diffusa per omnem carnem, & cutem, per quam apprehenditur calor, & frigiditas, humiditas, & siccitas; durities, & molles; asperitas, & lenitas; gravitas ac levitas.

40 Solet verti in dubium utrum sensus tactus sit unus, vel plures? Cui dubio satisfacit D. Alb. M. ibid. a. 2. dicens tactum dupliciter sumi posse; scilicet prout est tangibile indicativus, & sic est potentia, & pars animæ sensibilis: secundò prout est perfectio ipsius animalis, ut animal est, constituitque ipsum in esse sensitivi. Prout est forma, & perfectio ipsius animalis unicus est tactus: prout autem est indicativus qualitatum tangibilem est quodammodo multiplex; quia est plurium contrarietarum. Sicut enim generativa in plantis, quæ perfectio vegetabilem est, non est in determinata illius parte, sed per totam diffunditur, secundum diversos modos generalis stipitem, folia, fructus, &c. haud sensus tac-

us qui est forma animalis perfectiva non est in parte determinata animalis, sed in omnibus aliquo modo, diversasque contrarietates respicit. Vnde ipse Philosophus quandoque asserit tactum esse unum sensum, quandoque autem esse plures. Vel, ut docet S. D. I. par. quæst. 78. sensus tactus unicus est, quia licet tres contrarietates respiciat, tamen illæ in quoam genere proximo convenient, quod tamen innominatum est.

QUÆSTIO XIV.

DE SENSIBUS INTERNIS.

Postquam de ipsis sensibus externis disputatum est: nunc differendum supereſt de ipsis sensibus internis: qui sub communiori ratione objecta sua apprehendunt quam sensus interni.

ARTICULUS PRIMUS

De sensu communi.

CAPUT PRIMUM.

Detur ne sensus communis, & quid sit.

Dari sensus internos nemo est qui dubitet. Veruntamen an sint plures, & quo numero comprehendantur maxima est his inter Autores. Communior sententia quatuor tantum assignat, scil. Sensum communem, Phantasiam, seu Imaginativam, Memoriam, & Aëstimativam, seu Cogitativam: nam in homine dicunt Vis Aëstimativa, in brutis autem Cogitative. Veruntamen, quia horum numerus faciliter dignoscetur, si naturas singulorum experiemus,

mus,

mus, capropter de ipsis prius in particulari edisse remus.

2 Sensus hic dicitur communis, non quidem per prædicationem, sicut genus vel aliquod aliud prædicabile, sed ut communis radix, & principium omnium exteriorum sensuum, inter sensibilia ipsorum discernens. De hoc igitur quærimus an sit & quid sit.

3 Prima conel. necesse est ad muttere sensum communem. Ita communiter admittunt Philosophi: veruntamen in explicanda necessitate admittendi ipsum non omnes convenient. Duæ rationes communia adducuntur ex S. D. 1. p. q. 74. a. 4. & D. Alb. M. sum de hom. tract. 1. q. 33. a. 1. Prima est: quia experimur nos discernere album à dulci, v. g. & componimus unum cum alio, dicendo, hoc album esse dulce: sed nullus sensus proprius potest discernere idem & diversum inter sensata per compositionem, & divisionem: ergo præter sensus proprios, & externos necessarius est quidam sensus communis, qui discernat inter ipsa sensibilia, & unum cum alio componat. Mihi prob. ille, qui inter duo discernit, debet utrumque cognoscere: sed nullus sensus externus attingit per se dulce, & album; sed plures circa illa versantur, nimirum visus, & gustus: ergo impossibile est ut unicus, & idem sensus proprius inter ea discernat.

5 Dices hujusmodi discretionem beneficio ipsius intellectus fieri: Contra 1. convenientia, & differentia hujusmodi sensibilium fit cum præsentia materiæ, & inquantum sensibilia sunt apprehenduntur: sed hoc ad intellectum non spectat, qui solùm apprehendere valet ipsum quodquid dictorum sensibilium: ergo ad aliquem sensum internum, puta communem.

5 Contra 2. non omnia animalia perfecta intellectu prædicta sunt: sed tamen inter sensata discernunt; levato enim baculo canis formam doloris apprehendit, & ideo in fugam se convexit; quod non contingere nisi esset aliquid in cane conjungens sensibile vius cum sensibili tactus: ergo hujusmodi discrecio non sit benesicio intellectus. D. Th. 3. de anim. lect.

lect. 3. D. Alb. M. loc. citato.

6 Dices 2. quod est unico sensu proprio id non efficiatur, bene tamen pluribus simul sumptis, & in eadem anima sensitiva radicatis. Contra: si diversis potentias, seu sensibus dulce, & album apprendemus, idem eveniret, ac si diversi homines ipsa sentirent, quorum alter dulce, alter vero album perciperet: sed in hoc casu non attingerear differentia inter album, & dulce: ergo neque si ipsa pluribus sensibus propriis apprehendantur. Mai. prob. quia quod potentiae illae sint in uno, vel pluribus subjectis, solum ad accidentalem ipsorum differentiam pertinet.

7 Contra 2. hujusmodi differentia sub una ratione communi sensibilis apprehendi debet: nec enim sensus plura per modum plurium attingere potest, quemadmodum nec ipse intellectus: ergo constitui debet unicus, & communis sensus, qui utrumque sensibile conjungens sub una ratione sensiblia illa apprehendat. D. Th. ibid,

8 Secunda ratio desumitur ex parte sensationis: quia nimis sensatio exteriorum est sensibile directum alicuius potentiae sensitivae, si quidem est aliquid corporeum capax immutandi sensum: sed non percipitur aliquo ex quinque sensibus externis, cum isti non sint reflexivi, ut diximus supra illos ergo necessariò admittendus est quidam sensus communis, qui hujusmodi sensationes percipiat,

9 Confirm. experientia: nam animalia bruta à quibusdam locis abhorrent, si in illis male cum eis actum sit, puta si percussions, & actus ibi perpessa fuerint. & e contra ad alia sponte sua redeunt, in quibus cibum, vel potum sumperuent: ergo recordantur sensationum ipsorum sensuum exteriorum: sed recordatio non est nisi eorum, quæ prius per sensum attracta fuerint: ergo antea cognoverunt sensationes extranæ; ad eas igitur percipiendas necessarius est sensus communis.

10 Nec satis est si dixeris illud non contingere ex cognitione delectationis, sed ex memoria objecti delectabilis; cuius species gustui altè insedit. Tum quia

quia licet brutum non cognoscat sensationem ut a
objecto separata, tamen vere memoratur objectum
sensuum, quatenus delectationem, aut tristitiam pe-
peri: ergo directe non solùm attingit ipsum objectum
sed etiam sensationem. Tum quia sensus externus
proprio appetiti objectum ut prosequendum, vel
fugendum, cum appetibile non moveat appetitum,
nisi prius cognitum; sed appetit videre, & mandu-
care: ergo directe sensationem percipit; & ad hoc
sensu communi indiget.

11 Secunda concl. Sensus communis ex Avicenna
bene definitur: *Vis ordinata in prima cavitate cere-
bri recipiens per seipsum formas omnes, quæ impri-
muntur quinque sensibus, & redduntur ei.* Ex Al-
gazele autem definitur: *Sensus, à quo omnes proprii
derivantur, ad quem omnis impressio eorum renun-
tiatur, in quo omnes conjunguntur, & sunt quasi sug-
gerentes ipsum.* Prima ex his definitionibus traditur
tum per propriam materiam, seu organum; quod
est prima cavitas cerebri: tum etiam per causam for-
malem, & rationem communitatis sua: quæ est om-
nes formas suscipere, quæ imprimuntur quinque sen-
sibus. Ipsi enim imprimuntur sensibilia propria pri-
mo, & deinde communia, ut diximus supra: & hæc
secundum quod sensibus illis imprimuntur recipit sen-
sus communis, & inter ea discernit.

12 Secunda autem definitio traditur per rationem
ipsius nominis Sensus communis. Dicuntur à sensu
communi omnes sensus proprii derivari, quia ipse est
in organo, à quo spiritum animalium ad quinque sen-
sus exteros fit distributio. Dicitur autem ad ipsum
omnis impressio sensuum extenorum renuntiari, quia
ipse in actu efficitur à sensibilibus omnium sensuum
propriorum. Dicuntur etiam in eo omnes conjungi,
quia per suum objectum sensata communia conjungit.
Dicuntur tandem omnes sensus quasi suggestores ipsū,
quia unum sensibile proprium non tendit sufficien-
ter, nec satis congrue nocivum, & conteniens ani-
mali sentienti, ex colore enim non cognoscitur suffi-
cienter coloratum: unde eriperet multa sensibilia com-

ponere, quæ compositio ad sensum communem pertinet, & ideo omnes alii sensus suggestere sensum communem circa sensibilium cognitionem asseruntur.

Solvuntur Argumenta.

13 **A**rg. 1. unus actus non est nisi unius potentia: sed visio albi, vel coloris v. g. non est nisi unus actus: ergo non erit nisi unius potentia; sed est ipsius potentiae visiva: ergo non erit sensus communis: vel iste in discernendis coloribus non erit distinctus realiter, & separatus à potentia visiva. Idem dic de aliis sensibus.

4 Conf. vel sensus communis apprehendit plura sensata componendo, vel discernendo illa, simul & per unam speciem, vel successivè diversisque temporibus ac per plures species? Primum dici nequit; quia in eodem tempore indivisibili nequeunt esse plura secundum actum, seu nequit idem diversis motibus contrariis simul moveri: diversa autem sensibilia sunt plura in actu, diversosque ac contrarios motus inducunt. Neque potest dici secundum: tum quia in hoc nunc indivisibili judicatur esse diversum album & dulce: & non judicatur album à dulci esse diversum nisi actu cognoscatur utrumque: quod si hoc diversis speciebus, formæ contrariae poterunt esse simul in eodem. Resp. ad arg. cum D. Alb. M. sum. de hom. tr. i. q. 33. a. 1. quod actus potentiae visivæ primo & per se est circa colorem: & hoc pacto non est actus sensus communis, sed per se secundò, inquantum videlicet est in magnitudine & figura, quæ sunt propria sensibilia sensus communis. Itaque quidquid suscipitur à sensu communis, suscipitur etiam à sensibus propriis & è converso, sed non eodem modo: quia proprium sensibile accipitur à sensu proprio per se prius & commune autem per posterius seu per se secundò, & ut modificans proprium. At vero à sensu communis accipitur sensibile communis per se primò, sensibilia autem propria per se secundò, & ut habentesse in magnitudine, & figura. Vnde formarier sunt iugulis alterius diversaque immutativa harum potentiarum.

15 Pro majori intelligentia nota ex eodem D. Alb. M. ibid. q. 34. a. 1. quod ipsius sensus communis sum-
tes actus : scil. apprehensio sensati communis : &
hic. etus ei proprius est , primòque ac per se compe-
tens . Alius est apprehensio sensati proprii , quod ap-
prehendit , quatenus est in sensato communi , velut
in subiecto : & hic convenit ei per posterius . Tertius
est apprehensio actuum sensuum extenorū , seu sen-
sationum : & hic convenit ei per accidens ; quatenus
scilicet quilibet sensus proprius oritur à communi , &
revertitur ad ipsum cum lucro . Nec implicat ejusdem
potentiarum plures esse actus : quia unus est proprius , ac
primarius : alii per posterius ipsi competunt , ac se-
cundariò . Nec tamen ille actus quo percipitur sensa-
tio : v. g. quo sentit aliquis se videre est distinctus ab
eo actu quo sentitur objectum ; v. g. quo videtur al-
bum : sed eodem visu quo video album , video me-
videre album , secundum quod est conjunctus visus
albi cum sensu communni , seu prout album reductum
est ad sensum communem : ut supra insinuavimus .

16 Resp. ad conf. cum eodem D. Alb. M. ibid. a.
2. quod sensus communis dupliciter considerari potest:
scil. in se , seu ex parte potentiarum , & ex parte objec-
ti . Ex parte potentiarum iterum dupliciter considerari potest:
primò in proportione ad sensus proprios , ac particu-
lares , qui ab eo derivantur , eique subserviunt , ac
ad ipsum revertuntur : & hoc pacto plures sunt spe-
cies sensibiles , pluresque actus , ita ut aliis sit actus
visionis albi , & aliis perceptio dulcis : unde hoc pac-
to non percipiuntur uno indivisibili tempore , sed
pluribus : attamen si consideretur sensus communis in
se , prout est quædam potentia superior , omnes illas
species per modum unius sufficit , unicunque actum
habet , quo sensata propria componit , aut dividit ,
Exemplum non incongruum est in centro circuli , quod
si consideretur comparative ad lineas , quæ ab ipso
ad circumferentiam protrahuntur , o ad ammodo mul-
tiplex est in ratione principii illarum ; n. autem in se
sumatur , unus indivisibilis punctus est , in quo omnes illæ
lineæ , ut in principio suo uniuntur . Ita similiter .

17 Ex parte etiam objecti dupliciter sumi potest: primò in se; v. g. si magnitudo in se consideretur. F. hoc pacto est unum sensatum sensus communis, secundò per respectum ad sensata propria, quæ in ipso conjuguntur. Et sic quodammodo est multiplex obiectum illius, scil. sensata plura particularia. Cum igitur sensus communis ad sensatum convertitur, dupliciter hoc contingere potest: primò ita ut solam magnitudinem apprehendat, seu unum sensatum: & tunc apprehensio hæc sit in tempore indivisibili: secundò ita ut apprehendat multa, quæ in uno uniuntur; v. g. album, & dulce: & tunc non apprehendit ea in uno indivisibili tempore, sed pluribus: hoc tamen quasi præsuppositivè se habet: nam formaliter unico, & eodem tempore illa attingit, prout sunt ordinata, seu ea conjungit, ac copulat, dividit & discernit: ut in simili diximus de enuntiatione tom. 2. q. 12. a. 2. Itaque diversa sensibilia non sunt ex æquo simul in sensu communi; sed diversa sensibilia habentia ordinem ad unum, in quo sunt ut in subjecto, sunt in sensu communi actu per speciem illius objecti. Imò & diversa sensibilia habentia ordinem ad invicem, ita ut iudicium sensus communis ab uno in alterum transeat. Cum enim omnis ratio convenientiar, ac differentiar sit in comparatione ad aliquod unum, & idem, illud erit principium cognoscendi convenientiam, ac differentiam: unde speciem illius sensus communis habebit ut actum simpliciter: aliorum autem species præsuppositivè, ac secundum quid, & per respectum ad illud, seu illius speciem. D. Alb. M. loc. cit.

C A P U T S E C U N D U M .

De objecto sensus communis, & modo attingendi illud.

18 **C**irca primum duplex versatur sententia. Prima ass. it objectum sensus communis esse sensibile commune, prout comprehendit quinque sensilia communia. Ratio est, quia quod per se sensibile est, per se primò ab aliquo sensu percipi debet: illa au-

tem sensibilia communia per se sensibilia sunt: ergo per se primo ab aliquo sensu communi percipi debent: & sensi à sensu communi.

19 Secunda sententia negat sensibile cmmune esse objectum sensus communis: sed ipsa sensibilia propria; sensationesque sensuum exteriorum. Pro hac adducitur D. Th. 2. anim. l. 13. dicens: *Fa'sum est quod ipsa sensibilita communia sint propria objecta sensus communis.* Et 1. p. q. 1. a. 3. ad 2. ubi ait: *Objectum sensus communis est sensibile quod comprehendit sub se visibile, & audibile; unde sensus communis cum sit una potentia extendit se ad omnia objecta quinque sensuum.* Hanc sententiam amplectuntur Thomistæ, & alii non pauci. quos citat & sequitur M. Martinez de Prado lib. 3. q. 2. f. 5. Prob. 1. quia sensus communis est potentia, ad quam per se terminantur immutaciones sensuum exteriorum: ergo nequit habere aliquod objectum proprium, quod non sit etiam objectum aliquius sensus exterioris. Secundo prob. sensus communis non recipit alias species, quam sensum particularium: ergo neque movetur ab alio objecto distincto à sensibilibus propriis. Prob. 3. *Sensus communis est potentia corporea, & limitata: ergo nequit tot objecta, & tam diversa per se respicere: ergo cum respicit sensations & sensibilia propria sensuum exteriorum per se non percipiet sensibilia communia.* Prob. 4. quia sensibilia communia non sunt qualitates: ergo per se nequeunt immutare sensum aliquem.

20 Ego existimo dicendum cum D. Alb. M. loc. eit. quinque sensibilia communia, nimirum motum, quietem, figuram, numerum, & magnitudinem esse objectum proprium sensus communis, non quidem, absolute; sed quatenus per illa constituit diversitatem, atque identitatem inter ipsa sensibilia propria, seu componit, ac discernit inter illa. Vnde sensibilia propria etiam per se pertinent ad objectum sensus communis, per posterius tamen, & præ sensibile commune est subjectum continuans, & ordinans illa secundum diversitatem, vel convenientiam. Hæc autem identitas, vel diversitas in illis porit, prout

considerantur secundum suum esse , vel secundum suum fieri . Cognoscitur enim sensibile idem , vel diversum utroque modo . Si sit principium quo ponitur diversitas secundum esse , erit numerus ; si sit principium quo ponitur identitas secundum esse : vel est commune sensatis intrinsecis , & extrinsecis , & hoc est magnitudo : quæ unit in se qualitates gustabilis , ac tangibilis ; quæ suat intra se : & qualitates visibili , & audibilis , quæ sunt extrinsecæ : & qualitates odorabilis , quæ sunt mediæ . Aut erit proprium quoad extrinseca , & sic erit figura . Figura enim est exterior terminatio quanti , in qua ut in subjecto uniuntur sensata extrinseca . Si vero sensibile consideretur prout in fieri est idem , vel diversum ; vel est potentia , & sic est quies : vel actu , & sic est motus .

21 Prob. conclusio : sensus communis non apprehendit sensibilia propria quomodounque , sed apprehendendo diversitatem , vel identitatem inter ea , unde componit , ac discernit per se : sed in tali compositione , vel discretione sensibilia propria non attinguntur nisi ut extrema fundantia convenientiam vel differentiam in uno aliquo , in quo ordinantur , & fiunt unum sensibile attingibile per se à sensu communis : ergo non attinguntur per se primò , sed per se secundò , & ratione illius in quo uniuertur , seu componuntur . Vide D. Th. hic lib. 3. lect. 3.

22 Ex his patet solutio ad rationes pro secunda sententia adductas . Ad 1. testimonium D. Thomae loqui de sensibilibus communibus absolute sumptis ; non vero ut efficiunt diversitatem , vel convenientiam inter sensibilia propria . Vnde statim subdit : Sed circa immutationes ipsas sensuum proprietū à suis objectis habet sensus communis alias operationes proprias , quas sensus proprii habere non possunt : sicut quid percepit ipsas immutationes sensuum : & discernit inter sensibilia diversorum sensuum . Sensu enim communis percipimus nos videre , & discernimus inter sensibilia diverso . am sensuum ; scil . album , & dulce . Ad 2. testimonium resp . eodem modo .

23 Resp . ad 1. rationem sensibile commune ; seu

quod est sensus communis objectum , esse etiam objectum sensuum externorum , sed diverso modo: nam sensum externorum est per se secundum ; sensus communis per se primo; ut fuse explicuimus supra . Resp. ad 2. est sensus communis non recipiat alias species ; tamen diversimodè ab eis immutari , atqui sensus particulares; ut diximus . Resp. sensum communem equidem esse virtutem corpoream , supériorem tamen , ac nobiliorem sensibus exterioribus in modo apprehendendi ; unde bene potest omnia illa sensibilia apprehendere . Resp. ad 4. sensibilia communia secundum se non esse qualitates : bene verò ratione convenientie vel differentiæ , quas efficiunt inter sensata propria .

23 In calce hujus articuli duo dubia dissolvenda susperfunt . Primum est : cur , & quo paclio sensus communis dicatur esse susceptivus specierum sensibilium sine materia : nam sensus communis non est universarium , sed particularium , quæ ab appendiciis materia nullatenus abstrahunt . Deinde , qua hoc omni sensui , præfertim phantasæ convenit . Resp. ex D. Alb. M. q. 32. a. 3. sensum communem speciali quadam ratione dici susceptivum speciem sensibilium sine materia : quia esto sensibilia præsentia apprehendat , quæ sunt singularia , tamen singularia ipsa secundum esse naturæ , & prout sunt à materia non accipit , sed intentiones eorum singulares , quæ sunt ab appendiciis materia , dicunturque præsentia materia , & apprehensio ipsis cùm hic , & nunc , cæterisque conditionibus individuantibus . Et hinc differt à phantasia , quæ non suscipit illas cum præsentia materiæ .

24 Secundum dubium est quomodo contingat sensum communem dici verum , vel falsum ? Resp. ex D. Th. supracit . & D. Alb. M. quod hoc habet non inquantum attingit sensibilia præsentia ; sed quatenus componit , ac dividit sensata propria cum sensato communi , & adinvicem : cùm enim componit prout est in re , dicitur verus: si autem dicitur falsus , puta dum componit actum mellis ad substantiam tellis , arbitratu quod fel sit mel propter colorem .

ARTICULUS SECUNDUS

De imaginativa.

25 Imaginativa est, *Virtus animæ sensibilis proxime sita post sensum communem, in qua retinentur imagines, seu formæ à sensibus acceptæ*. Cujus rei gratia notandum ex D. Alb. M. loc. cit. q. 35. quod in prima parte cerebri, ubi sita est imaginativa, tres veluti regiones, seu interstitia sunt distinguenda. Prima, quæ proxime conjungitur organis sensituum exteriorum, ad quam immediate recurrent nervi sensitivi, & in hac est organum sensus communis. Quæcum sit humidior, sensitorum species recipit; humidum enim bene receptivum est. Altera est post istam sita in medio; quæ est siccior, seu terminata per siccum: & in hac sita est potentia imaginativa: cuius est retinere formas re non præsente. Nam siccum bene retentivum est. In ultima regione primæ partis sita est aestimativa, seu cogitativa; ut dicemus infra. Idcirco imaginativa dicitur vis sita proxime post sensum communem. Additur autem, quod sit scientia imaginum, seu formarum à sensibus acceptarum. Non enim solùm competit animali, quod recipiat species sensibilium, cùm ad præsentiam sensibilium ab eis immutatur; sed etiam ut objectis sensibilibus absensibus species eorum conservet, alias non moveretur motu progressivo ad inquirendum aliquid in absentia: cùm omnis sensus à sensibili in actu immutari debeat media aliqua specie illius: cuius contrarium experimur. Per quod differt imaginativa à sensu communi, qui per se suscipit formas sensibilium, sed per se eas non retinet nisi in præsentia materiae seu rei sensibilis, ut docet D. Th. I. p. q. 78. a. 4.

26 Dixi per se: nam ex conjunctione, quam habet ad imaginatiam seu phantasiam, contingit sensum communem absente sensibili quandoque sentire, ut in somniis; quia tunc à phantasia ad sensum communem quedam refluent species, à quibus moveruntur,

422 Quæst. XIV. De sensibus internis.

seu immutatur, etiam sensibili non præsente. Aliquid enim potentiae ipsi inferiori competere potest ex coniunctione ad superiorem, quod per se, & absolute ei non competit; quia supremum insimi attingit ad infinitum supremi. Quemadmodum supra diximus, sensus externos ex coniunctione ad sensum communem quodammodo suam sensationem percipere; & esse reflexivos, non tamen ex se, ita pariter de sensu communi philosophamur. Imaginativa autem conservat, ac retinet imagines, & formas ab ipsis sensibilibus haustas in eorundem absentia.

28 Differt etiam imaginativa in modo retinendi ab ipsa memoria: quia imaginatio retinet sine determinata temporis differentia: sed memoria cum determinatione temporis præteriti. Præterea imaginatio solum retinet formas, & imagines à sensibus acceptas, quæ verè in sensu fuerunt: memoria vero non solum retinet imagines sensibilium: sed etiam intentiones elicitas à compositione, & divisione sensibilium facta per cogitativam, seu æstimatивam, à qua distinguitur: quia istæ componunt ac dividunt sensata: sed imaginativa solum habet retinere.

29 Primarius igitur ac præcipius imaginationis, seu imaginativæ actus est retinere species in absentia sensibilium, & eis absentibus cognitionem eorum formare, seu apprehendere illa ita ut imaginari, seu imaginem facere rei absensis possimus cum volumus: nec tamen sine sensu, non quidem in actu, sed medio sensibili quod prius fuit in eo. Hinc cœci à nativitate nullam colorum imaginationem habere possunt. Reducitur autem in actum ipsa imaginativa mediante suo objecto, quod fit in actu à spiritu animali abstrahente ipsum ab organis sensuum, & conferente illi esse spirituale, eo pacto, quo lumen præbet actu esse intentionale coloribus, ut actu possint immutare ipsam potentiam visivam.
D. Alb. M. loc. cit.

30 Actus vero illius secundarius est, parare imaginationes, seu imagines potentias cognoscitives quæ operantur in eis. Et hoc quadrupliciter præstat. Est enim ratio quorundam in imaginibus, ut ratio Marhe-

maticorum, quæ est abstrahens à materia sensibili: & hoc pacto deservit intellectui. Unde qui optima prædicti sunt imaginativa, valde idonei reputantur ad disciplinas Mathematicas capessendas. Quædam vero sunt compositiones imaginum, ac divisiones ad eliciendas intentiones terribilis vel appetibilis, convenientis vel inconvenientis, aut hujusmodi, quæ sunt semper colligatae sensibus, licet sensibiles non sint: & hoc pacto præparat imaginæ cogitativæ & æstimativæ. Quandoque autem memoriæ deservit, quando nimirum per imagines præparatas in anima recursus est in rem, quæ accepta fuit in præterito per sensus. Quandoque tandem præparat imagines ad organum sensus communis refluentes, & tunc deservit somniis vel revelationi, quæ fit in eis. D. Alb. M. loc. cit.

31 Quod vero imaginativa aliquando species sensibilium etiam componat, expressè docet S. D. 1. p. q. 12. a. 9. ad 2. dicens: *Sicut imaginatio ex praconceptis speciebus montis, & auri format speciem montis aurei*. An vero hoc habeat ex propriis, ita ut omni animali perfecto imaginativam habenti hujusmodi phantasma ex praconceptis speciebus componere competat, in dubium vertitur inter Autores. Quidam simpliciter affirman^t. Quia contingit & animalia perfecta somnare: in somniis autem hujusmodi compositionem fieri experientia demonstrat. Alii simpliciter negant, asserentes hoc soli imaginativæ humanæ competere. Videlurque hoc esse de mente S. D. 1. p. q. 78. a. 4. Avicenna, inquit, ponit quintam potentiam medium inter æstimativam & imaginativam, que componit, & dividit formas imaginatas, ut patet cùm ex forma imaginata auri, & forma imaginata montis, componimus unam formam montis aurei, quem nunquam vidimus. Sed ista operatio non apparet in aliis animalibus ab homine. In quo ad hoc sufficit virtus imaginativa. Et statim concludens dicit: *Et sic non est necesse ponere nisi quatuor vires sensitivæ partis: scilicet sensum colorum, imaginationem, æstimativam, & memoriam*. De his latius infra.

32 Quoad objectum istius potentiarum spectat, quidam

affirmant esse sensibile externum prout absens. Alii autem affirmant esse ipsum sensibile prout absens. Sed profecto neutra harum opinionum satis explicat rationem formalem objecti hujus potentiae, sub qua ipsum habet esse imaginabile, & distinctum à sensibili communi, vel proprio. Nam esse absens non potest esse ratio formalis objecti, cum dicat solam privationem, formæ sensibilis: sicut tenebrae dicuntur lucis absentia. Id ergo potius dicendum erit objectum formale illius, sub quo habet hujusmodi sensibilia in eorum absentia percipere.

33 Dico igitur ipsum imaginabile esse objectum potentiae imaginativa, prout dicit quantitatum, & quoniam similitudines spirituales. Ita D. Alb. M. ibid q. 35. a. 2. Cujus rei gratia nota ex eodem: quod dupl-eiter aliquid apprehenditur sub tribus dimensionibus, aut sub figura quanti, scilicet secundum rei veritatem & esse naturæ: & hoc pacto apprehendunt sensus exteri corpora quanta, & quantitates corporum, ut sunt modificationes proprij sensibilis. Vel secundum similitudinem spiritualem, & intentionem: & hoc pacto sunt similitudines spirituales quantorum, & quantitatis in imaginativa: quas recipit à sensu communi, & conservat eas. Et hoc pacto hujusmodi similitudines spirituales quantitatis, & quoniam, prout sunt immutativa in absentia ipsorum sensibilium, sunt objectum ipsius imaginativa. Sub hac enim ratione est quid distinctum à sensilibus sensuum priorum, & communis: quod exigitur, cum imaginativa sit distincta potentia. Hinc est quod Mathematica non sunt in sensu sed in imaginativa: Mathematica autem sunt intentiones quantitatum.

34 Ex quibus sequitur quod imaginativa realiter differt ab aliis sensibus internis, loquendo de imaginativa strictè sumpta, prout habet recipere species, & formas sensibilium à sensu communi acceptas, easque retinere, & conservare, etiam in absentia sensibilium: quia nimis distinctum habet objectum. An vero etiam distinguatur à phantasia, quæ compонit formas sensibilium haud satis conspicuum est. Nam S. P.

su-

supracitatus negativam sententiam amplecti videtur.
Affirmativam autem D. Alb. M. lib. 3. de anim. tr. 1.
c. 3. & sum. de hom. tr. 1. q. 26. Veruntamen, si res
attentè ponderetur, unus ab alio non discrepat. Nam
si loquamur de imaginativa secundum genus suum,
certum est quòd phantasia ab ea non distinguitur, in
ratione virtutis ipsius animæ sensitivæ. Sed si sumatur
prout imaginativa habet esse in homine, & aliis ani-
malibus perfectioribus, nonnulla est differentia: quia
imaginativa ex se non habet componere, ac dividere
formas sensibilium, nisi per sensum communem: sed
solum conservare formas sensibilium à sensu com-
muni acceptas. At vero in homine habet componere,
ac dividere hujusmodi formas, & intentiones sensibili-
um, & unam speciem ex eis formare.

35 Et licet in quibusdam animalibus quodammodo
componat, ac dividat, tamen diversimode: quia in
homine hujusmodi compositio est in ordine ad elicien-
das intentiones particulares veri, & falsi: non vero in
aliis animalibus: & homo in hujusmodi compositione
efficit speciem rei quam nunquam vidit; sed animalia
id non præstant, licet adunent illas species, & com-
ponant quandam speciem rei quam viderunt; vel ad
quam diriguntur naturæ instinctu, seu æstimativa. Et
hoc sonant illa verba S. D. supra allatæ nimirum: Et ex
eis componimus unam formam montis aurei, quam nun-
quam vidimus. Nec enim S. D. negat quin & anima-
lia aliquid componant, alias non somniarent: nec con-
truerent sibi mansunculas tanto artificio concinnatas:
sed hoc non præstant nisi, aut naturæ instinctu, aut
adunctione specierum sensatarum, quæ ad sensum com-
munem refluent: & non simpliciter novam speciem
produendo ex præconceptis. Operatur autem in his
imaginativa, ut est quædam phantasia per virtutem
spiritus subtilis, & mobilis, qui maximè in homini-
bus abundat.

36 Tripliciter corruptitur phantasia: scilicet in **se**,
in comparatione ad intellectum, & ad sensum commu-
nem. In se quando corruptitur anterior pars capitis
ubi situm est organum ipsius infirmitate, sive accidat,

sive aliquo alio accidente. In comparatione ad sensum communem : cum nimis ex indebita compositione , vel divisione generatur corruptio in actu phantasie , quæ quidem est falsitas . Tandem in comparatione ad intellectum , cum nimis intellectus spiritualium non sufficienter resultat in phantasmatisbus . Vnde , cum nicipit anima phantasmatisbus adhaerere , in intellectu spiritualium decipitur .

ARTICULUS TERTIUS

De Aëstimativa.

37 **A**ëstimativa definiri solet ex Avicenna: *Virtus animæ sensitivæ apprehendens de sensato , quod non est sensatum sub ratione delectabilis vel detestabilis , seu convenientis , vel inconvenientis . Sicut ovis apprehendens iniicitias lupi fugit , & apprehendens delectationem in herbis eas inquirit . Per quod distinguitur à sensibus externis , qui ejusmodi intentiones non apprehendunt , licet ab eis sint acceptæ .*

38 Pro majori intelligentia nota ex D. Alb. M. loc. cit. quæst. 37. quod omnes potentiae sensitivæ sunt quidem apprehendentes speciem sensibilium per modum cuiusdam veri , sed non sunt determinantes ad operationem vel fugam : quia hoc includit non modo rationem virtutis apprehensivæ , sed etiam motivæ: quomodo aëstimativa est apprehendens , non quidem movendo organa immediate ad fugam nocivi & acquisitionem convenientis (hoc enim ad appetitum pertinet ,) sed ut determinans per cognitionem id , ad quod est motus processivus animalium , per modum acquisitionis vel fugæ , quod est delectabile seu appetibile ; & detestabile vel horribile , seu fugiendum . Nota tamen quod iste actus aëstimativæ proprius , qui est determinare de fugiendo , & imitando , per apprehensionem convenientis , & inconvenientis , non eodem modo est in brutis , & hominibus . In brutis enim non procedit consilium , & inquisitio : cù quod bruta per modum naturæ seu

seu per instinctum naturæ impetum ad opus faciant, sed in hominibus motum hic præcedit inquisitio, & consilium: ut docet D. Thom. in 3. d. 26. quæst. 1. artic. 1. ad 4 dicens: *Sicut animalia cognoscunt rationem convenientis & nocivi, non per inquisitionem rationis, ut homo, sed per instinctum naturæ, qui dicitur aestimatio: ita etiam cognoscunt aliquid, quod futurum est sine hoc, quod cognoscant rationem futuri, non conferendo præsens ad futurum, sed ex instinctu naturali, secundum quod aguntur ad aliquid agendum, vel ex impulsu naturæ interioris, vel exterioris: sicut quando agunt aliquid ad præcavendum de futuris, quæ dependent ex motu Cæli, quasi ex eo impulsa. Vnde ex eorum operibus possunt aliquid homines scire ex hujusmodi futuris; sicut Nautæ præsciunt tempestatem futuram ex motu Delphinorum ad superficiem aquæ ascendentium: & formicæ veniente pluvia, reponunt granum in cavernis.*

39 Qapropter nonnulli Recentiores frustra D. Th. adducunt quasi docentem bruta etiam à principio sui habere à Deo species inditas ad naturalem aestimationem habendam: quia non datur sensus agens, inquiunt, qui hujusmodi species amicitiae, & inimicitiae imprimere, & efficere possit, per quas moventur bruta ad amplectendum objectum conveniens; & ad fugiendum nocivum. Quod profectò neque somnianvit D. Th. ut ex verbis illius patet: sed solum assignat modū, quo aliqua efficiunt opera, ex quibus quædam futura prævidere possumus. Et assignat duplē modū, quo ipsa moventur: primus est, cùm ex instinctu naturæ moventur, quia apprehendunt aliquid ut conveniens, vel nocivum: & hoc habent ex propria natura, seu forma; sicut ovis naturaliter horret incursum lupi, & in fugam se convertit: & hic instinctus dicitur quædam aestimatio: quia per estimationem apprehendentem, nocivum determinatur naturaliter ad fugiendum. Secundus modus est, cum à corporibus cœlestibus habus maximam vim in illa, præsertim in ratione movendi & immutandi corporeas virtutes illorum, moventur ad aliquid operandum; & tunc dicuntur ab ex-

teriori moveri. Non quod operationes illæ non sint à forma eorum: sed non in ratione naturæ particularis ex se determinatæ ad illas, sed ex influxu cœlesti moveante conformiter ad æstimationem eorum, qua nata sunt apprehendere conveniens, & inconveniens, & hoc pacto moveri. Itaque impulsus, seu instinctus naturæ est ipsamet inclinatio ad bonum conveniens, & consequenter fuga ab inconvenienti: ex qua procedit quod deinde moveantur bruta ad motum. Quod longè aliter est in homine agente per inquisitionem, & consilium, seu collationem intentionum. Vnde in homine cogitativa, quæ confert, non distinguitur ab ipsa æstimativa: ut diximus de phantasia respectu imaginativæ. Sed cogitativa est ut perfectio & complementum ipsius æstimativæ, quia in homine est nobilior modus operandi ex propinquitate ad intellectum. Sed non absolute ut est virtus sensitiva ipsius animalis. Vnde cum agit quasdam actiones, non ut homo est ratione utens, sed hominis sine consilio, & inquisitione, dicitur agere instinctu naturæ sicut alia animalia.

40 Objectum virtutis æstimativæ est id quod non est sensatum, est tamen de sensato acceptum. Cujus rei gratia sciendum est ex S. D. & D. Alb. M. loc. cit. intentiones à sensibus acceptas, non tamen apprehensas per sensum, dupliciter apprehendi posse: primo sub ratione intentionis universalis abstrahentis ab hic & nunc, omnibusque conditionibus individuantibus; & hoc pacto sunt objectum intellectus, dicunturque quidditates rei materialis. Secundo, ut sunt quædam intentiones particulares, quæ non abstrahunt ab hic, & nunc, seu sensibilibus conditionibus; & hoc dupliciter: scilicet prout sunt principium veri, & falsi, quæ rebus ex compositione ac divisione partim insunt; & sic non sunt objectum æstimativæ: vel prout determinant nocivum, aut conveniens in appetibili bus, & hoc pacto sunt objectum æstimativæ virtutis. Sed diversimode in brutis, & hominibus: quia æstimativa in brutis, cum imitetur naturam, quæ semper uno modo agit, uno modo determinatur ab appetibili.

li: unde uno modo agit circa ipsum: v. g. ovis uno modo accipit inimicum esse in lupo: unde omnis ovis & uno modo vitæ suæ consulit per fugam. At vero in homine, in quo sit per inquisitionem, & consilium, res non ita se habet: sed diversimode versatur circa appetibile, & secundum rationem apprehensi ab eo movetur.

ARTICULUS QUARTUS

De Memoria & Reminiscencia.

41 **M**emoria ex Algazele apud S. D. Opusc. 43.
c. 4. & D. Alb. M. sum. de hom. q. 38.
a. i. diciur: *Virtus animæ sensitivæ conservatrix harum intentionum, quas apprehendit aestimativa.* Ex Avicenna autem definitur: *Vis ordinata in concavitate cerebri posteriori, continuans quod apprehendit vis aestimationis de intentionibus non sensatis singularium sensibilium.* Nota memoriam tripliciter sumi posse: primo latè ut est potentia quadam conservativa praesentis, præteriti, & futuri: & hæc memoria est pars imaginationis, de qua inferius erit sermo. Secundo pro potentia quæ reflectitur in rem in præterito acceptam à sensibus per imaginationem rei permanentis apud animam cum consideratione temporis præteriti. Tertio dicitur habitus memorativæ potentiae. Prima definitio traditur de memoria, prout est potentia perfectibilis per habitum, seu in comparatione ad proprium habitum ejus, qui constituitur ex intentionibus, quæ prius per phantasiam, & aestimationem acceptæ fuerunt. Et hac de causa Philosopus asserit me noriam esse passionem sensus, & phantasie. Secunda autem definitio traditur, non modo per ordinem ad proprium habitum, sed etiam organum.

42 Dicitur, *virtus conservatrix harum intentionum &c.* Duo enim habet memoria: alterum, prout potentia passiva, scilicet recipere, & conservare, etiam in absentia sensibilis: alterum prout est quodammodo

agens,

430 Quæst. X IV. De sensibus internis.

agens , scilicet redire in rem per speciem apud se conservatam . Primum suapte natura habet : secundum autem ex conjunctione ad phantasiam , & æstimati- vam : unde per primum definitur ; diciturque virtus conservatrix &c. Et quamvis memoria deveniat etiam in imagines sensatas , & formas sensibiles : quia tamen per se primò in intentiones non sensatas devenit , & ab istis ad imagines sensatas , & tandem ad rem ; ideo per hoc præcipue diffinitur , quòd intentiones non sensatas apprehendat , & conservet .

43 Quod ad objectum illius spectat notandum est ex eodein D. Alb. Mag. ibid. art. 2. in objecto memoriæ tria concurrere ; scilicet tempus præteritum , determinans rem , in quam convertitur memoria per actum recordationis . Secundum est imago ducens in rem , cuius recordari , seu memorari concupiscimus . Tertium est illud per quod cognoscitur imaginem ducentem in rem esse illius rei : & hoc est intentio elici ta per compositionem , & divisionem imaginum . Et hoc est proximum ac præcipuum memoriæ objectum . Per intentionem enim devenit memoria in imaginem : & per imaginem dicitur in rem in præterito acceptam . Illa tamen tria simpliciter ad objectum memoriæ requiruntur . Et per hoc differt memoria ab imaginativa : quia memoria est potentia reflexiva in rem præteritam , per imaginem , intentionem , & tempus : unde dicit motum , qui est ab anima in rem : imaginatio autem est imago derelicta à sensibili , recepta à re : & ideo dicit motum , qui est à re in animam .

44 Dices : sensu nihil nisi præsens cognoscitur : unde respectu futuri non datur aliquis sensus : non erga memoria erit præteriti . Resp. ex D. Alb. Mag. ibid quod licet species , seu passio , quæ est in memoria sit præsens : tamen non utitur ea ut passione , vel specie , sed ut imagine rei præteritæ . Exemplum est in pictura , seu imagine picta : quæ si consideretur in se , præsens est , & ratione præsentia suæ movet , estque in sensu : si autem consideretur ut dicens in rem repræsentatam , cuius ipsa est imago , non est rei præsens sed præterita : & hoc pacto images sunt in memoria .

Quod

Quod autem non detur aliquis sensus interior respectu futuri , in causa est : quia si sint futura quæ raro eveniant , nec in se , nec in suis causis speciem sensui imprimere possunt : quia in se non sunt : causæ autem ipsorum sunt per accidens , & inordinatae ad speciem illam . Si autem sint futura , quæ frequenter , aut semper eveniant , etiam sensui in se speciem imprimere nequeunt , quia non sunt in se : neque in causis suis , in quibus per solam rationem , & non per virtatem animæ sensibilis cognosci valent .

45 Dices quædam bruta præcavere sibi à futuris , & non à præsentibus tantum : v. g. formicæ latentes in foraminibus futuram pluviam presignant , Delphini ludentes imminentem tempestatem &c. Resp. id non efficere ex aliqua apprehensione futuri ; sed potius ex naturæ instinctu . Cum enim elementa ad pluviam , vel futuram serenitatem adducendam immutantur &c. talium quoque animalium immutantur corpora . Ex qua immutatione per instinctum naturæ , vel moventur , vel quiescent , aut quidpiam simile agunt: ex quibus de futuris aliquod prognosticum sumitur .

46 Quod ad organum memoriae spectat , communiter affirmant Philosophi in posteriore capitulo parte situm esse : quæ est temperate siccata siccitate terminante humidum , ne sit nimis fluidum: frigida etiam temperate ad coagulandum figuræ formarum impressarum , ne dissolvantur . Et penes defecatum istius complexionis mala est memoria . In frigidis enim humidis dicitur siccum terminans ; & in calidis , cum calidum liquefaciat humidum & moveat , ob motus velocitatem formarum impressarum figuræ dissolvuntur . Unde pueri non sunt bona memoria prædicti : & si hoc eveniat , per accidens se habet : quia nimirum animus eorum non est circa plurima occupatus . Senes etiam non sunt bona memoria prædicti : quia propter siccitatem nimirum dissolvitur continuatio specierum , seu intentionum : ut in ruinosis ædificiis accidit : unde formarum impressarum figuræ decidunt .

47 Quisnam autem sit memorie actus ex dictis patet : hic enim est quo memoria per intentionem venit

in imaginem , & per imaginem in rem prius accep-tam ; quem aliqui recordationem , alii memori-^{ationem} vocant : unde Alpharabius, actus, inquit , virtus me-morativæ est facere præsentari , post ejus absentiam , intentionem reipiente ejus imaginem , & judicare illam intentionem esse , quam prius imaginabatur sensus . Quod intelligendum venit non de absentia omnimo-da , per quam inducitur oblivio ; sed de absentia à sensu , cui in præterito adfuit præsens : non vero de absentia intentionis , vel imaginis à memoria , in que reservata erat . Unde differt meditatio à memoria , quia meditatio est actus intellectus immersi se pribus : qui est frequens et versio memoriae super speciem rei ut est imago , & non ea est secundum se accepta : & non retorquet eam ad rem secundum se acceptam in præterito : quod memoria facit .

48 Ex dictis dignoscitur , cur aliqui sint bene me-morativi ; alii vero non . Nam , ut docet D. Th. lcc . de mem . hi qui magno agitantur motu , sive ob cor-poris , sive animi passionem ; ut infirmi , vel ira com-moti , aut libidine , concupiscentiaque furentes non bene memorantur : in his enim organa turbantur ; item pueri , & ienes , & universim omnes ætates augmento , vel decremente deputatae : ob rationem supra tactam . Similiter , qui veloci apprehensione ac subili pollent , aut multum tarda : quia illi sunt nimium humidi : isti nimirum duri . Unde aut difficile retinent , aut facile non suscipiunt intentiones . Ad bene autem memoran-dum juvant , imprimis frequentes rerum meditationes , quas vidimus , aut intelleximus . Præterea confert ad bene memorandum ea , quibus retinendis studemus in ordinem redigere : profundè , & attentè mentem , & animum eis appellare : frequenter secundum ordi-nem meditari : & tandem quasdam similitudines ad id convenientes assumere : nec tamen omnino inconuen-tas : quia illa , quæ inconsueta sunt magis miramur , unde non tantum ad memorandum conferunt . Super hæc omnia continua exercitatio ad memorandum con-fert : unde vulgare proverbium enanavit ; memoriam excolendo augeri . Videatur D. Th . 2. 2. q. 49. a. 1.

& 1. 2. q. 50. a. 3. & alibi.

49 Jamjam de reminiscencia nobis agendum superest : quæ specialiter hominibus inest , ut diximus , præter memoriam , ex propinquitate , & conjunctione ad intellectum . Dicitur autem reminiscencia ex S. D. de mem. lec. 5. *Inquisitio alicujus , quod à memoria excidit*. Quam definitionem aliis verbis proponit Avicenna apud D. Alb. M. c. 39. a. 1. dicens : *Recordatio , seu reminiscencia est ingenium revocandi , quod oblitum est in anima , in præterito : seu , Inquisitio ut habeatur in futuro , quale habebatur in præterite*. Dicitur , *inquisitio* : quia , quemadmodum illæ , qui per demonstrationem aliquid inquirit ex aliquo prius uoto procedit ad ignoti , seu inquieti notitiam acquirendam : haud secus reminiscens , ex aliquo , quod in memoria habetur , procedit ad recuperandum id quod ex memoria excidit .

50 Pro istius intelligentia advertendum est ex D. Alb. M. loc. cit. ad actum reminiscientiæ quatuor exiguntur : scilicet actum rationis , principium determinatum , à quo procedit rem determinatam , in quam procedit , & tempus præteritum determinatum , vel indeterminatum. v. g. volumus redire à memoriam alicujus , quod in præterito accepimus nobis dictum , ab aliquo : accipimus ejus principia , ut locum , causam , genus , speciem , contrarium , simile , &c. & ex his actus rationis syllogizat , & procedit ex uno in aliud , usque ad ultimum quæsumum. Notandum est autem quod reminiscencia ex talibus principiis non semper naturali & necessario ordine procedit ; sed quandoque ordine necessario , & tunc est velocissima ; & quandoque prolixa & tunc est minus velox. Quandoque etiam ordine consueto , non tamen omnia intermedia assumendo . Sicut locis ingenii homines assumpto primo primi recordantur ultimi , non discurrendo per media eo quod sic reminisci consueverint ; sicut cum recordantur Veris per calidum , & humidum ; & recipiens annuluni ab amico recordatur datus , à datione recordatur amicitiæ , & ab amicitia fidelitatis . Unde reminisci est ut syllogismus quidam ; quod enim prius

homo vidit, vel audivit; aut aliquid hujusmodi passus est, reminiscens syllogisatur. Unde illi, qui reminiscientiam alicuius frequenter redire cupiunt; v.g. amici, assumunt aliquid ut principium determinatum; v.g. annulum ex quo procedant.

51 Ex his sequitur, quod licet memoria, & reminiscencia sint idem subjecto, seu secundum esse, tamen secundum rationem, & actum differunt. Quia reminiscencia communiter sortitur actum rationis, procedit enim syllogisticè à principio determinato: & ideo subjectivè est corporea virtus sicut memoria, sed tamen in sui ratione cadit actus rationis. Unde in solis hominibus reperitur: memoria autem non habet adjunctum hujusmodi rationis actum; ideo etiam in brutis reperitur. Licet enī memoria per collationem imaginum in rem veniat, non tamen à principio determinato, & quasi syllogisans. Nec utitur phantasmatē ut imagine deveniendo in rem. Insuper reminiscencia syllogisat etiam per intentiones propinquas, licet non sint conjunctæ ordine naturali; & à consuetudine vim trahit ad aliqua simul accipienda: v. g. *cum* *Magistrum*, *cum* *Magistro* iectionem, *cum* lectione subtilitatem, *cum* his affabilitatem, *societatem*, amicitiam, & sic de aliis, quæ nonnisi vi consuetudinis sunt conjuncta. Memoria verò hoc modo non procedit: sed à propriis imaginibus, & intentionibus rei, in rem prius acceptam à sensu devenit. Uade inquisitio propriè non est memoria; sed solum metaphorice: quia nimirum conferendo intentiones devenit in imagines, & per ipsas in rem, ut diximus.

52 Ex his sequitur, quod actus reminiscentiae
dammodo est universalium, & quodammodo partic-
ularium: ipse enim ab universalibus incipit, & ter-
minatur ad particulare in praeterito prius accen-
tum. Omnis enim discursus syllogisticus a principio usque
ad ultimum est per universalia. Eapropter pro ob-
jecto habet & universalia, in rebus tamen accepta, &
imagines, & intentiones particularium; quatenus ad
unam syllogisandi rationem concurrunt. Ex his etiam
sequitur quod reminiscentia dura esse, seu sub-
iectum

je^ctum est virtus animæ sensibilis , eadem cum memo-
ria , in eodemque organo affixa : tamen aliquam per-
fectionem ipsi addit , secundūm quam ad rationem
quodammodo attingit . Ex qua coniunctione efficitur
majoris potentiae : sicut & vires motivæ , quæ sunt con-
cupisibilis , & irascibilis , quæ in homine à ratione
persuasibiles sunt , subiectaque virtutis & vitiī ; non
vero in brutis .

¶ Tribus de causis in reminiscendo accidit diffi-
cultas . Primo ex ignorantia reminiscentis : cum nimi-
xu^r principia revolvere nescit , ex quibus quantum
ultimo habetur . Secundo ex impedimento^m organi ,
& spirituum animalium . Quod tuobus modis et
contingit : scilicet ex complexione prava , & inordina-
ta , quæ velocitatem motus ab uno in aliud impedit :
vel ex constrictione viarum , per quas diffunduntur spi-
ritus animales , à prima cellula cerebri in medium , &
à media in postremam . Hæ enim cellulæ quadam ca-
runcula discernuntur , sita in ostiis cellularum , instae-
mis constructa . Et hæc quandoque facilem discurre-
lum hujusmodi spirituum per cellulas prohibet . Ea-
propter intendens reminisci , & meditari movere capacem
quandoque elevando , quandoque deprimendo , caruncu-
lula illa removeatur , & libere spiritus animales
discurrant . Tertio , quia reminiscentium principia
non facile possunt ad organum commune redigi : aut
remiscens non plura principia hujusmodi revolvit .
Qui autem bene reminiscentes sint facile ex dictis col-
ligitur . Et secundūm diversas rationes quodammodo
in quibusdam præstantior est reminiscentia , in diversis
secundum rationes diversas . Siccum ad retentionem
phantasmatis confert , sine quo non est reminiscentia .
Humidum autem ad velocitatem motus per principia
discurrendo : unde melancholici , ac phlegmatici à
Piniolopho dicuntur bene reminiscentes . Calidum fa-
cit fortiter spiritus discurrere , & fluere formas , frigi-
dum autem impressas fortiter retinet . Unde secundum
quod in diversis præstantiis hæc inventa fuerint , eò
præstantiori reminiscentia prædicti erunt .

ARTICULUS ULTIMUS

In quo quædam de sensibus internis in communi explicantur.

§4 **E**X dictis infertur 1. præter quinque sensus externos aliquem sensum internum necessariò admittendum esse. Quia, ut ex S. D. & D. Alb. M. loc. cit. docuimus, ad perfectam cognitionem sensitivam non solum requiritur, ut sensus speciem à sensibilibus recipiat, quod ad sensus externos pertinet, sed etiam ut de sensibiliaps perceptis dijudicet, illa ab invicem discernat, & sentiations sensuum exterorum, eorumque sensibilia in absentia cognoscat: quæ ad nullum sensum proprium, & externum pertinere possunt. Nec enim sensus tactus inter album, & dulce discernit, prout sensus proprius est, sed quatenus conjungitur propinquius radici omnium sensuum, qui est sensus communis. Cum ipse tactus sit omnium sensuum fundamentum. Et esto quilibet sensus discernere rebus inter ea, quæ sub latitudine proprii objecti cadiunt: v. g. visus inter aratum, & nigrum: non tamen ea quæ sub diversis sensibus cadent: v. g. visus inter album, & dulce: quia ad discernendum inter duo, utrisque requiritur cognitio.

§5 Sequitur 2. quatuor tantum esse sensus interios; scilicet sensum communem, imaginativam, seu phantasiam, aestimativam seu cogitatивam, & memoriam. Quod prob. S. D. 1. p. q. 78. art. 4. supponendo cor oportere dari actiones animalis, quot ipsi ad vitam animalis perfecti sufficere possint: cum natura in necessariis non deficiat: & secundum numerum in iusmodi actionum, quæ ad unum principium inducunt, distinctas potentias esse in ipso continentur: potentiae enim per actus adæquatos, & distinctos diversificantur, ut supradiximus.

§6 Quibus suppositis, numerum hujusmodi sensuum internorum esse coavenienter assignatum probatis: Ad vitam animalis perfecti non solum requiri-

tur ut apprehendat rem in præsentia, sed etiam in absentia: unde animalia perfecta ad objectum absens moventur, quod non esset, nisi per aliquem sensum esset apprehensum: sed ad hoc requiritur, ut specie interius recipientur, ac conserventur in ipsorum sensibilium absentia: ergo debet dari aliquis sensus internus præter sensus externos, qui rem præsentem tantummodo recipiunt: sed ad eandem potentiam non pertinet recipere ac retinere: quia illa quæ facile suscipiunt, male retinent, ac conservant: ergo duas sunt necessariæ potentiaz interiores, altera quæ formas sensibiles suscipiat, nimirum sensus communis: altera, quæ conservet, nimirum imaginativa. Min. patet: nam leimida bene suscipiunt, tæcca autem bene retinent. Deinde necessarium est animali, ut querat aliquid, vel fugiat propter quasdam intentiones, quæ sensu non percipiuntur, ut conveniens, & disconveniens non quidem ipsi sensui soli, sed animali; ut ovi sibi fuga consulere ab incurso lupi, & avi colligere palpas ad nidos: ergo ad suscipendas hujusmodi intentiones requiritur aliis sensus interior, cum sensus communis non recipiat hujusmodi intentiones. & a formis & imagines rerum sensibilium, ab ipsis sensibiliis externis causatas. Et ad hoc destinatur ultimativa: & cum sit necessarius aliis sensus ad conservandum eas, requiritur memoria.

7. Sequitur 3. ex his sensibus sensum communem, omnibus animalibus etiam imperfectis competere: tum quia his omnibus competit tactus, qui cum sensu communi maxime conjunctus est, & per ipsum discernens quæ diversa sensata. Tum etiam quia ad sensum communem immutationes omnium sensuum, seu ad comitatem terminum pervenient. Phantasia etiam, seu imaginatio sensibilis omnibus animalibus competit, etiam imperfectis, quæ decisa vivunt; si enim pungantur retrahunt se, motumque localem sortiuntur: ac per consequens phantasiam; quæ nil aliud est, quam motus factus a sensu secundum actum. Habent præterea appetitum, nam ad sensum necessarium consequitur laetitia, vel tristitia; seu delectatio & dolor: necesse est enim

433 Quæst. X IV. De sensibus internis.—
sensibile perceptum , si conveniens fuerit , afferre dicitur ; sin minus dolorem . Vbi autem est dolor , & delectatio , ibi appetitum inesse oportet .

58 Est autem phantasia sensibilis duplex : altera , quæ determinatum sibi organum vendicat , abeuntibus sensibilibus eorum species conservans : & hæc animalibus dunata xat perfectis inest . Altera indeterminata , & confusa . Quæ animalibus imperfectis inest : quia in ipsis motus phantasie post apprehensionem sensus non remanet . Licet enim nonnulla istorum animalium opera quædam prudentiæ efficere videantur : hæc tamen naturali inclinatione , & instinctu præstant . Animalibus enim phantasia inest , prout localiter moventur : perfecta autem perfectè , & ex apprehensione termini determinati ; imperfecta autem imperfectè moventur . Omnibus etiam animalibus competit vis æstimativa , cum enim hæc apprehendat rationem convenientis , & nocivi , quam alii sensus non apprehendunt : sicut omnibus animalibus competit apprehendere nocivum , & convenientis ; & illud appetere , vel fugere : ita omnibus competit æstimativa naturalis . D. Thom. 2. de-

59 Quod attinet ad memoriam solis animalibus perfectis inest : quia memoria illis solis animalibus necessaria est , quæ ad distans motu progressivo moventur , ut virtus necessaria provideant : non enim ad distans moverentur , nisi apud ea remaneret intentio præconcepta , ex qua ad motum inducuntur , ac eum continuant : quo usque finem consequantur intentum : sic autem moveri solis animalibus perfectis convenit . Imperfecta enim sola imaginatione confusa quendam motum localem sortiuntur . D. Th. ibid. Cæterum in hominibus isti multò præstantius inveniuntur . Non enim sola phantasia sensibili , determinata , vel indeterminata præditus est : sed altera deliberativa , qua coniuit , & inquirit quid agendum vel fugiendum , ut docet S. D. de anim. lect. 16. ac perinde æstimativa nobilior , quæ & cogitativa dicitur , ratioque particularis , quia est intentionum singularium collativa : conferre autem maxime proprium rationis est . Insuper memoria præstantior

in hominibus reperitur: nec enim sola memoria possit sicut cætera animalia in subita præteriorum recordatione, sed etiam reminiscencia donata sunt secundum individuales intentiones. Et hanc eminentiam in illis etiam sortitur cogitativa: non per id quod est proprium sensitivæ partis, sed ob aliquam propinquitatem, & affinitatem ad rationem universalem secundum quandam refluxantiam. Ideo non sunt aliæ vires, sed ex eadem perfectiores, quam sint in aliis animalibus. D. Thom. I. p. q. 78. ar. 4.

60 Pro horum intelligentia sciendum est, Divinam sapientiam conjungere fines primorum principiis secundorum: ut docet D. Dyonis. cap. 7. de Divin. nōm. Omnis enim natura inferior in se supremo ad infimum superioris naturæ attingit: prout de superioris natura, quanquam deficiente aliquid participat. Eapropter, tam ex parte apprehensivarum virium, quam ex parte appetitivarum sensitivæ partis, aliquid est sensitivæ animæ competens secundum propriam naturam; aliquid vero prout ad deficientem, & valde modicam rationis participationem attingit, superius in sui infimo attinens. Id autem præcipue competit æstimativæ, & memoriae in homine. Quod enim ipse per sensum communem formas sensibilium ab ipsis sensibus fascipiat; & eas in imaginativa conservet: prorsus ex natura sensitivæ animæ habet. Quod autem illas intentiones apprehendat, quæ sub sensu non cadunt, nimur amicitiam & inimicitiam &c. hoc equidem est sensitivæ partis, attamen non secundum se, sed prout ad rationem quodammodo attingit. Vnde virtus illa in hominibus, cum perfectior ob conjunctionem ad animam rationalem dicitur ratio particularis: in aliis autem animalibus ratio universalis. Et licet apprehendat singulare duntaxat, ipsumnamen apprehendit ut existens sub natura comuni in quantum virtuti intellectivæ in eodem subiecto unitur. Vnde cognoscit hunc hominem prout est hic homo. Similiter quod memoria se extendat ad illa quæ non sunt praesentia, hoc ab accessu ad intellectum, seu rationem participat: unde animalibus perfectis duntaxat competit, ut quid supremum in cognitione

440 Quæst. XIV. De sensibus internis
sensitiva. Licet perfectius homini conveniat, ut diximus. Ex quibus omnibus colligitur sensum ~~esse~~ veluti
quædam intellectum deficientem : & per ipsum animalia eam hominibus conjungi. D. Th. loc. cit.

61 Sequitur 4. hujusmodi virtutes esse corporeas, &
affixas organo corporeo. Omnis enim virtus habens si-
tum in determinata parte corporis, cuius læsione ope-
ratio ejus impeditur & cuius incolumentate salvatur, est
virtus corporea, & sita in organo corporali: omnes su-
pradicæ virtutes animæ sensitivæ sunt hujusmodi: er-
go sunt virtutes corporeæ, organoque corporali affixæ.
Nec est instantia de intellectu, & ratione; quæ leæta, vel
destructa media capitis cellula impediuntur: hoc enim
per accidens se habet: quia videlicet corrupto phanta-
siæ organo non remanet à quo phantasmata abstra-
hat, sine quibus pro hoc statu non potest rite intelli-
gere.

62 De organis sensuum suse fatus actum est su-
pra: unde hic à narratione prolixiori abstineamus.
Qui plura desiderat, consulat Alanum hic quæst.
74. ubi materiam hanc ex S. D. late prosequitur. An-
tem sensus isti reflexivi sint, in qua discutiemus lo-
quendo de intellectu. De appetitu autem sensitivo ibi
agemus, ubi de voluntate, ita appetitu rationali novis
occurret disputatio.



QVÆS.

QUÆSTIO XV.

DE PASSIONIBUS ANIMÆ
sensitivæ , scilicet somno , vigilia ,
& somniis .

Qvia in superioribus de anima sensitiva secundum
se illiusque virtutibus fusè egimus , modo de illius
passionibus differendum superest . Quæ et si à
Philosopho hic non edoceantur , sed in speciali tractatu ,
tamen , ne illotis , ut dicitur , manibus , Philosophi ab
hac materia recedant , sub brevibus ipsam transcurre-
mus .

ARTICULUS PRIMUS

De somno , & vigilia .

Vigilia est omnium sensuum exteriorum , vel
saltem aliquorum solutio , & libertas . So-
mnus autem est : ligatio omnium sensuum exteriorum
animantium quietem , & salutem instituta . Quæ
definitiones desumptæ sunt ex Aristot. lib. de som. &
vigil. ubi docet somnum esse immobilitatem sensuum ,
veluti vinculum : vigiliam autem esse solutionem eo-
rundem , ac remissionem .

Dicitur somnus ligatio , vel vinculum sensuum
exteriorum : quia isti in somno per se consopiti sunt .
Ceteri autem sensus exteiiores non sunt per se conso-
piti , ligati , ac impediti , seu organa eorum . Esto enim
sensus communis impediatur ac ligetur , prout est ra-
dix sensuum exteriorum , & cum eis conjunctus , in-
fluens virtutem sensitivam , speciemque sensibilem ,
ceu ipsorum forma , & perfectio : attamen ut conjungi-
tur organum illiusphantasiæ & imaginationis organo

non immobilitatur, sed imaginibus illinc refluxientibus immutatur, ac operatur componendo sensata. Præterea phantasia, & imaginatio non immobilitanur per se, quia sitæ sunt in partibus cerebri suapte natura frigidis, unde per se à frigiditate in somno dominante non immobilitantur. Multò minus memoria, & intellectus: iste enim organo corporeo affixus non est, quod immobilitari per se possit. Etsi per accidens immobilitari dicatur, aut decipi, dum fertur super simulachra, velut super quidditates rerum. Memoria autem, etsi organo corporeo affixa sit, non tamen per se immobilitatur, sed per accidens: unde & in somniis agit.

3 Dicitur autem ligatio, seu immobilitas sicut vinculum: quia non est immobilitas potentia: movendi: sed remota frigiditate, (quæ est ut vinculum) gravante, & vinciente organa sensuum, mobilitas illis restituitur. Hinc distinguitur ab Epilepsia, & similibus morbis, in quibus est immobilitas potentia: qui omnino præpediuntur spiritus sensiles, ac motivi ad organa descendere, ut mobilitatem restituant. Unde somnus absolute non est privatio perfectionis motus: sed prædicta dispositio non perfecta per calorem naturalem, & spiritus, qui in somno ad interiora retrahunt. Pro majori intelligentia nota quodd virtus sensitiva, cuius materia est organum, dupliciter considerari potest: primo ut forma tantum: secundum efficiens operum sensibilium: & in somno sub ratione formæ organum est in actu: sed in potentia in ratione efficiendi. Fit autem in actu per spiritum, & calorem naturalem ad exteriora regredientem, cum suscitatur.

4 Dicitur omnium sensuum: si enim unus aut sensuum non sit consitus, sed vigilans, & non erit somnus; sed vigilia. Dicitur, in quiete, & salutem animalis institutus: ut distinguatur à quibusdam morbis lethargicis, qui non sunt ad salutem, sed in perniciem ipsius animalis. Opposito autem modo vigilia dicitur solutio sensuum, vel sensus ad actus exteriores per reversionem caloris naturalis, & spirituum ad exteriora.

3 Somnus , & vigilia sunt passiones , nec solius anima-
ma , nec solius corporis , sed conjuncti : & est per
corpus ipsius anime : somnus etenim , ac vigilia sunt
psius sensus , qui est conjuncti ; actio autem sensus
est corporis , ut patientis , anima autem ut discernen-
tis. Quod autem somnus , & vigilia sunt passiones sen-
sus prob. quia plantis non conveniunt, quod sensibus ca-
reant. Hinc est quod in somno magis animalia nutriantur ;
quia nutritiva in somno non immobilitatur , nec
alligatur sicut actiones sensuum : unde sua opera per-
ficere potest , non vero sensus .

6 Etsi autem somnus sit sensuum exteriorum passio ,
non tamen omnium æquè primò : licet omnibus sub-
stantialiter conveniat : sed primò & principaliter inest
secundum organum tactus : prout est fundamentum
omnium sensuum , in aliqua sui parte , nimirum in
principio unde oriuntur nervi sensitivi à cerebro : &
coeunt cum nervo tactus . Et hoc pacto dicitur somnus
etiam esse passio sensus communis prout cum tactu con-
jungitur . Sensibilia enim , quæ in organis propri-
orum sensuum determinantur , in organis sensus com-
munis principiantur . Eapropter frigiditas à cerebro
descendens , primò afficit nervos sensitivos in surpri-
matio , quod est anterior pars sensus communis : &
tangendo immobilitat , ac oppilat , non sinens spiri-
tum sensitivum ad organum sensus communis ferri: un-
de hoc pacto somnus dicitur ipsius sensus communis
passio . Esto autem primò sit sensus tactus , non tamen
accidentaliter competit cæteris sensibus , sed substan-
tialiter , & per ipsum : sicut animal dicitur Sorti acci-
dere , etsi substantialiter conveniat , quia per hominem
competit : & hoc pacto somnus per tactum cæteris sen-
sibus competit , omnes tamen per se somno afficiuntur ,
et immobilitantur .

7 Hinc est quod somnus omnibus animalibus insit ;
quia omnibus inest sensus tactus ita ut verum sit animal
quandoque vigilare , & quandoque dormire , ut docet
Philosophus ; quia organum sensitivum secundum
naturam necesse est aliquando languescere , & quies-
cere postquam egerint , ac actionem suam persense-
rint :

47 Quæst. XV. De Animæ passion. cœ
rint: unde somnus, & vigilia alternant vices suas
alternatim ipsis animalibus insunt. Quod & experientia
ipsa testatur in omni animali, sive gressibili, sive
volatili, ac natatili. Esto enim somnus sit ut privatio
respectu vigiliae, quæ est ut habitus, ut docet Aristot.
Tamen non est ut privatio potentiae, à qua non datur
ad habitum regressus, sed ut privatio actus ipsius po-
tentiae, ut efficiens est operum sensibilium ad quam
regressus est. Esto enim causas contrarias habeant, ni-
mirum calidum, & frigidum, ratione quarum contra-
riæ opponuntur; tamen formaliter se habent sicut ha-
bitus, & privatio circa sensibilitatem: oppositio enim
privativa in omni contraria includitur. Unde non con-
tingit aliquem simul dormire, ac vigilare: sicut nec pri-
vationem, & habitum eidem inesse.

8 Sed contra hoc obstare videtur, quod non nulli
inter somnum opera exteriora efficiant, quæ sunt vi-
gilantium: ergo simul vigilant, ac dormiunt. Resp.
ex D. Alb. M. sum. de hom. tr. i. q. 41. a. 5. part. 3.
duo requiri, ut aliquis inter somnum huiusmodi eti-
ma vigilantium præfert. Primum est vehementissimum,
ac fortissima impressio alicuius præaccepti in vigiliis,
quod faciendum erat in furore. Alterum est solutio il-
lorum sensuum, qui suum sensibile, etiam longe ex-
tans, percipiunt, ut visus & auditus. Omnis autem
solutio sensus fit aliquo calore medio: unde caloris ali-
cujus solventis ope id perfici necessum est. Duplex ad-
tem est calor solvens: unus naturalis, alter vero acci-
dentalis. Naturalis adhuc duplex est: alter procedens
à loco digestionis ad organa sensuum: qui in in-
tribus, extremitatibusque manuum, ac pedum non ra-
rò multum dominatur, & tamen non solvit se.
Alius est qui non modo à loco digestionis, sed & à
corde prorumpit, & ad caput extollitur: ubi tor-
ram, & impressionem virtutis animalis recipit, que in
capite residet: & hinc erumpens ab anteriori, & poste-
riori parte capitis, ipsos sensus solvit, vigiliamque
inducit.

9 Accidentalis etiam est duplex: unus procedens à
loco digestionis, qui per corpus diffusus ipsum calefa-
cit;

et vel aliquam illius partem : præcipue partes motivas , manuumque , ac pedum extrema : sed neque his solvit sensus . Alius est qui cum sanguine cholerico ad caput elevatur : & inde fertur ad organa virtutis animalis , solvitque sensus ; præsertim illos , quorum organa sunt magis extrinseca ; utpote visum & auditum : solvit etiam virtutem motivam , & liberam ad motum processivum reddit . Hujusmodi ergo passionis duæ sunt causæ : phantasma fortiter impressum ; & sensus solutio à calore accidentalí : & phantasma impressum quandoque linguam ad loquaciam excitat , ac movet : unde quidam in somno loquuntur : quandoque os , ut in pueris qui fugere videntur . Itaque hi simpliciter dormiunt : quia per se eis causa somni inest : scil . frigiditas immobilitans organa . Vigilant autem secundum quid : quia secundum quid insunt vigiliæ causæ : nimirum calor ille accidentalis ; & phantasma impressum .

10 Accedit autem in his , quod hujusmodi operum in somnis à se patratorum non recordentur ; cùm tamen cæterorum somniorum memorentur . Cujus causa est : quia videlicet somnis eis simpliciter inest : & ea somnia quæ tunc eis imprimitur in virtute interiori , phantasia nimirum , simpliciter imprimuntur : unde expergefacti hujusmodi somniorum bene memorantur . At vero vigilia secundum quid ipsis inest , ut diximus . Unde ea opera sensibus non nisi secundum quid , & per accidens solutis , imprimuntur . Eapropter eorum impressio à fortiori motu phantasiæ facile deletur , & ideo hercùm non memorantur operum à se patratorum : Quod autem in somnis non adveniat recordatio eorum ,

[¶] in vigilia patravimus : cùm tamen in vigilia recordemur somniorum , ideo contingit : quia in somnis memoria non nisi per accidens agere potest : unde facile non potest memorari eorum quæ in vigilia præstabilitur : quia nequit reverti in rem exteriorem prius acceptam à sensibus cum intentione præteriti temporis . Quia quod est exterius oportet accipere à sensibus : quod est præteriti temporis à sensu communi : qui in somno non sunt soluti , ut diximus . D . Alb . M . loc . cit .

476 Quæst. XV. De Anima passion. &c.

11 Ex his facile erit explicare causas, & modum
nunt somnis, & vigilia. Cum enim quatuor sive cau-
sæ nimirum efficiens, materialis, formalis ac finalis, tot in
somno reperiuntur. Loquendo de causis per se ipsius
somni: causa efficiens illius est evaporatio, seu vapor
è nutrimento exspirans, sursum elevatus ad cerebrum,
& ibi infrigidatus, postea fluens ad organa sensuum
immobilans, ac gravans ea. Revoca in memoriam
ea quæ diximus supra, nimirum & ab hepate, & à cor-
de fieri nutrimenti digestionem, & digestum per venas
mesaraicas per corpus distribui. Quia igitur nutrimen-
tum est humidum, & vaporabile, ideo calor cordis,
vapores sursum ad caput attollit, qui infrigidantur ibi,
& fluentes ad organa sensuum, gravant illa, ac immo-
bilant: & hoc pacto somnum efficienter causare di-
cuntur. Id ex eo probatur, quod quedam edulia &
potiones; ut lactucæ, buglosæ, mandragoræ &c. som-
nifera dicuntur, quia ex eis plurimus vapor sursum effi-
fertur, cerebrum suaviter irrigans, & ab eo fluit ad
organa. Deinde pueri ex praetextum somno maxime la-
borant: quia calor in eis tenuis est, & corpus tunc
nutrimentumque magis liquidum ac fluidum, natura-
aque multum affluit: unde sursum fit multa vaporum
exspiratio, quam somni causam esse dicimus.

12 Causa autem illius formalis est defectus spiritu
sensilis, & caloris naturalis in exterioribus. Ogni-
atis enim & obstructis meatibus, per quos hujusmodi
spiritus, & calor, ad exteriora ferebantur, ad interiora
resiliunt; unde in exterioribus est defectus illorum, &
ideo hujusmodi revocatio spirituum ad somnum, cui
que suavitatem conferre dicitur. Idec Algazel lo-
cum diffinivit, retractionem spirituum ab exterioribus
ad interiora. Causa autem somni materialis in qua
membra exteriora sensibilia, & motiva, quæ a somniis
immobilitantur. Finalis tandem illius causa est quies or-
ganorum, & recuperatio virtutum, sensibilis, & mo-
tivæ, animaliumque quies; quod pulchre descriptis
Tertull. lib. de anim. c. 43. his verbis: *Somnus est re-
creator corporum, redintegrator virium, probator va-
letudinum, pacemaker operum, medicus laborem, cui*

gitu. & fruendo dies cedit, nox legem facit, serens rerum etiam colorem. Debet tamen somnus, ut ad haec conseruat, esse moderatus; alias si immoderatus, non parum valetudini officit. Laxat enim membrā, calorem nativum hebetat, caput gravat, stupidos, socordes, obliviousos, & ad vitia proclives reddit, multaque alia mala, & incommoda adfert. Quemadmodum & vigiliæ, si immodicæ fuerint, & intempestivæ, spiritus exhauriunt, consumpto vitali sicco maciem invehunt, cruditates pariunt, vires labefactant, sensuum functiones debilitant, multaque alia incommoda mortalibus accumulant. Uidendi sunt Hypoc. lib. 2. Aphorif. 3. Galen. com. 2. ad 1. Proreth. lib. 7. Aphorif. & lib. 7. Method. Averroës & collig. c. 4.

13 Dices: omnibus animalibus somnum inesse oportere supra docuimus, cum tamen non omnia cerebrum habeant: non ergo causa universalis somni efficiens potest esse ejusmodi evaporatio. Resp. D. Alb. M. loc. cit. a. 4. omnibus animalibus cerebrum, vel aliquid loco cerebri inesse. Licet in animalibus imperfectis valde imperfectum sit, cum hujusmodi animalibus, tum sensus exteriores, tum interiores, non omnes insint. Multæ sunt aliæ causæ somni efficientes per accidens, quas latè prosequitur D. Alb. M. loc. cit. apud quem videri possunt.

14 Ex his patent causæ vigiliæ, & modus quo aliquis à somno excitatur. Nam duplex illius causa assurgari potest: altera per se, altera per accidens. Causa per se est complementum digestionis. Quia tunc segregatur sanguis, & purus ab impuro, ac corpulentus sanguis elevatur: impurus autem deorsum ferri. Ille surincipio enim digestionis calor est vehemens; & purum climi impuro sursum trahit: ideo in hujusmodi materia fortificatur frigus cerebri expulso calido, unde ipsi sensus tunc gravantur. Sanguis autem subtilis, cum in fine digestionis remittitur calidum sursum elevatus, secum attrahens calidum per venas excurrit, & vigiliam inducit. De modo autem quo aliquis per vim aut clamorem excitatur potest esse difficultas. Quia non satis apparet quomodo clamorem percipient, cum sen-

45. Quæst. XV. De Anima passio. &c.

senius auditus ligatus, ac immobilatus sit. Respon-
dent PP. Coaimbr. lib. de som. c. 6. ex ment. alle-
ssi, Fracastorii, Buridani, & aliorum, instrument
sensuum externorum in dormientibus non omnino pri-
vari influxu cerebri, nec ita deserit à spiritibus anima-
libus, ut aliqui ipsis non suppetant, quorum opera
sensus in actu fiant, & sensibilia præsertim vehementia
percipere valeant. Unde primò confuse ionum
percipiunt, dein clarus, & refluenteribus ab interiori
paulatim spiritibus animalibus ad sensum communem,
patent ad sensoria propria vitæ, & penitus evigilat.

15 Scitu dignum est an Adamus, ejusque posteri in
statu innocentiae somnum capturi essent? Negarunt
nonnulli apud D. Th. in 2. d. 19. q. 1. a. 3. q. 1a non
fuisset in illo felici statu virium desperatio, at labor,
ob quæ necessarius fuisset somnus. Attamen S. D. di-
ferte, & probabilius asserit ibid. & 1. p. q. 3. art. 3.
capturos fore somnum. Quem tamen labor ac lassitu-
do non induisset, sed suavis nutrimenti evaporatione.
Qui plura de hac materia desiderat consulat D. Alb. M.

16 Plura circa somnum dubia, ac problemata di-
solvenda proponi solent. Quorum connuita breviter
dissolvemus. Primum est, cur galli stato noctis tem-
pore expergesiant, & canant. Omisis variis senten-
tiis, quæ videri possunt apud Scaligerum excret. 229.
in Cardan. & Conimbricenses loco cit. resp. ex D.
Alb. M. lib. 23. de animal. tr. unic. tit. de gallo. Gal-
lum optimo naturæ instinctu, quo prædictus est
& avis solaris reputatur, facile perficere au-
tationes, quæ statim illis temporibus noctis
motibus Solis: & ideo cantu horas accipiunt, &
autem excutere, ut vigilantiū canat. Quidque alas
solum instinctum naturalem velint PP. Conimbricenses
spectare, & reduci, ut in causam, satis non capio-
cum agere hoc modo ex instinctu non competat dor-
mientibus; saltet si perfectè agere debeant. Deb-
go in cœlestem causam reduci, à qua talis instinctus
moveatur. Vide quæ diximus q. præced. a. 3.

17 Secundum est, cur melancholici parum dor-
miant, cum tamen sint edaces, & multum cibum ca-
niant:

Articulus I.

17. Resp. ipsos frigidæ admodum compunctionis eius. unde vi caloris intestini non sit multa evaporatione animi inducens. Vel si siccum ac prætorridam habent temperaturam , nihilominus atra bilis , qua redundant , nutrimenti conceptacula obsidet , evaporationemque multam fieri prohibet . Idem fere accedit in his qui multo cibo ventrem ingurgitarunt . Calor enim nativus ciborum copia , velut strue lignorum oppressus tardè , ac segniter decoquit : unde vaporum copia sursum exspirare prohibetur .

18 Tertium est , cur primus somnus arctior esse solet ? quia nimirum tunc sanguis impurus magis cum puro ascendit , qui paulatim decoquitur , & purificatur , unde in fine somnus non est ita arctus , quemadmodum in principio . Ex D: Alb. M. supracit.

19 Quartum est , cur tristitia somnum adimat , somnus verò tristitiam levet ? Primum evenit , quia tristitia propter vehementem imaginativæ occupationem coctionem impedit : imo & superiùs multi spiritus efflunt , quibus somnus impeditur . Quod ad 2. respondeat S. D. 3. 2. q. 39. a. §. id evenire : quia , cum tristitia repugnet vitali motioni corporis ; quæcumque corporis affectionem in vitalis motionis statum vendicant , ea tristitiam oppugnant , minuuntque . Sic verò sepe pavet somnus . Quandoquidem reparat spiritus , quem ministerio fit motus , estque commune naturæ subsidium . Speciatimque ob id tristitiae allevamentum est : quia tristium rerum cogitationem amovet , & melan-
umoris malitiā emendat , & spiritus tur-
me obscuros , causam sobolemque mœroris ,

20. Quintum est , cur somnus post nimiam & subi-
s exinanitionem , debilitatem , fractionem-
que angeatur , imo & deliquum nonnunquam inducat ?
Quia nimirum somnus residuum illud caloris , quod in
membris supererat , introrsum revocat , sicque moles
corporis calore , & spiritu destituta collabescit .

21 Sextum est , cur matutinus somnus jucundior ?
Quia , videlicet , Solis remeantis propinquitas è nos-
tris corporibus halitus soporiferos denuo excitat : si-

100 Quæst. XV. De Anima palu...
cum ex aliis corporibus vapores. Qui suaves sunt ut
ad cerebri etiam dulcem parvum somnum.
titus autem somnus potissimum damnatur: quia im-
portuno potissimum urget tempore. Recedentes enim
Sole, qui innatum calorem foveat, noxia omnia plus
incommodi afferunt; est autem omnis fere diurnus
somnus noxius.

ARTICULUS SECUNDUS

De Somniis.

22 **S**omnium est passio somni, solis dormientibus
accidens. Describitur ab Arist. lib. de somn.
Phantasma, quod est à motu simulaebrorum, cum in
dormiendo sit in eo quod animal dormit. Vel ut aliis
verbis res explicetur: Somnium est phantasie, seu ima-
ginatricis facultatis operatio, qua phantasmata sive
simulachra quedam speculatur animali dormiente.
Dicitur operatio phantasie, seu imaginatricis faculta-
tis: quia simpliciter non est passio intellectus: nam
quia in somniis res sub determinata quantitate, figura,
colore &c. percipiuntur: quod non est intellectualis
virtutis proprium. Tum etiam quia intellectus in somno
solummodo per accidens immobilitatur: & si quis sit
in somno illius libertas, & solutio, non erit ordinis
ejus conversio ad ea, quæ in somnis apparen-
phantasiis admixta, judicans de ipsis phant
ac de rebus: unde frequentissime errat: u-
gisat, aut versificat.

23 Est etiam quodammodo sensu
suo: prout relationem, & ordinem ad
dicit. In vigilia enim est motus sensibilium
ad imaginationem, ita ut principium sit in ipsis sensi-
bus, & finis in imaginativa, ut in arca formarum
sensibilium à sensu communi acceptarum. In senso
autem est motus sensibilium præacceptorum ab ima-
ginatione ad sensum: ita ut principium motus sit ab
ipsa imaginatrice facultate, ad sensum autem termi-

nam. Hac de causa Art. docet motum somniū esse velut motum vertiginis, qui ex pulsū, & tractū componitur: sensibilia enim prīmō à sensu communī ad imaginationem tendunt, qui motus est veluti pulsus; & postea ab imaginativa ad sensu communē refluunt, qui est veluti motus tractus. Sensus autem communis hujusmodi simulachra ad sensus proprios ceterū: unde in somniis videtur sibi homo sensuum exteriorum actiones agere; videlicet audire, videre, tangere &c. Eapropter somnium est simpliciter, & ab solute imaginatricis facultatis, seu phantasie passio, ut principii, & causæ: aliorum sensuum nonnisi per effluxum, seu refluxum simulachrorum ab ipsa; & intellectus per accidens, quaenam hujusmodi phantasmibus immiscetur.

24 Sed cùm experiamur nos in somniis, non solum res sensatas apprehendere: sicut cùm quis inter dormitum viuetur sibi intueri hominem districto gladio; sed etiam insensatas, ut cùm quis eundem hominem percipit, ut hostem, & inimicum; quæ intentiones non sunt imaginativæ, sed aestimativæ, seu cogitativæ, & memoriae, difficultas oritur; an etiam somnium sit aestimativæ, & memoriae passio. Quidam animant; ita ut nonnunquam ambæ potentiae circa eundem eventum occupentur: nonnunquam autem altera ipsarum tantum. Attamen per se, ac simpliciter somnia non esse ipsius cogitativæ, vel aestimativæ ratione, sed ipsius imaginativæ, & sensus communis dicerendum est: quia sensibile phantasma in somno accipi debet, & secundum aliquid particulare in ipsa ratione cuius no[n] catur sensus communis, & per ipsum species in sensus exteriores refluant. Quia vero aestimativa, cogitativaque organa, imo & irascibilis, & concupisibilis sunt valde propinqua organo phantasiae, in eam refluunt intentiones ex ipsis adphantasiae, quæ ut coniunctæ cum aliquo sensato, seu sensibili particuliari sensum communem movent: ut in exemplis adductis patet.

25 Itaque causa efficiens somniū particularis est phantasma sensibile movens ipsum sensum communem.

item: inquit, itum sensibile est, & fluens à phantasia, seu imaginatrice ad ipsum principem sensum. Circa hujusmodi species duo inquirentur veniunt. Primum est quomodo illæ species fiat in actu, & à quo, ut refluendo in sensum communem, ipsum movere queant in ordine ad ipsos sensus proprios: videmus enim omnia sensibilia exteriora, ut sensus proprios immutare valeant, fieri actu per aliquid adveniens, sicut color lumine perficitur, ut actu visum immutare, ac movere possit. Resp. D. Alb: M. loc. cit. q. 42. quod simulachra interiora sunt in actu in imaginatrice facultate in qua conservantur: quia sunt species à materia separatae: unde non requirunt proprium agens extrinsecum, cuius interventu ad actum reducantur; sed sufficit virtus communis, nimis rursum spiritus et currentes; vel causa superior, ac cœlestis. Unde disputat est ratio de sensibilibus exterioribus: in quibus species sensibles non sunt nisi in potentia, & non in actu. Unde ut actu proprios sensus immutent, agente proprio indigent, cuius ope & actione ad actum reducuntur. Nec tamen illæ species, que somnium inducunt, sunt aliquid rerum ad extra, sed carum imagines, ac similitudines; & per similitudinem istam ad rerum sensibilium cognitionem reducimur. Ipsæ autem abundantibus sensibilibus in imaginativa, seu thesauraria & arca, fuerant conservatae. An vero sensus interiores illas species de novo producant, vel aliquo modo agant illas, dictum est supra.

26 Secundum est quomodo illæ species ad sensum communem refluant. Sunt qui dicant, ut imaginatrix à speculo ad oculum reflecti, ita si bulus ita à sensu phantasie repercuti, redireque possit ad sensum communem. Alii credunt vel in actu sensuum animarum reduci. Quæ videtur expressa Arist. sententia in lib. de somniis c. 3. ubi ait: *Dormientibus plurimam sanguinis copiam ad sensum principem letabatur una motionis illas descendere: quia in ea materia continetur: aliæ potentia; aliæ actus.* Alio modo recte explicant PII. Combricenses hoc de somniis. Sed paratum nihil discrepat. Audiendus est D. Mi-

Articulus II.

de nom. tr. I. q. 44. a. 1. ubi ait : Cū fiat vē poratio à loco digestionis ad cerebrum , sanguis elevatur , & descendit ad interius capitis animalis , cum quo progreditur animalis spiritus deferens simulachra phantasie ad organum sensus communis , qui cū movet sensum communem fit somnium : & videatur sentiri forma delata à phantasia ad sensum communem . Cum autem ipse spiritus deferens formas sit de natura humidi aerei , & feratur cū humido & jucundā sanguine , quasi vaporabili , motus simulachrorum in ipso est , sicut motus ramunculorum liquefacti salis in aqua calida . Cum enim in aqua calida liquefit sal , subtile elevatur sursum ex calido movente , & humido liquefaciente sicut ramunculus albus ; & postea iterum residet ex natura gravis , quod est in terrestrate salis . Sic formae , & imagines descendunt descendente spiritu , & sanguine ab imaginatione ad sensum communem , & revertuntur ad cellam imaginationis , tanquam ad locum proprium in quo habent comanere . Quia vero hujusmodi motus fit in sanguine subtili , & spiritu , propter hoc unus motuum frequenter inequitur aliud , & infringit ipsum : quemadmodum nubes super aliam immigrans figuram centauri , vel hominis impressam permutat .

27 Varia sunt somniorum genera . Omissis variis Autorum sententiis nobis dividerida videntur in *Divina* , *Dæmoniaca* , *Naturalia* , & *Animalia* . Divina sunt , quæ à Deo inspirantur , sive immediate , sive Angelorum interventu : ut somnia Iacob , Genes. 28. Joseph , cap. 37. & similia , quæ Deus immittit ; ut rerum attentum , & fulgarum prænotionem hominibus impertiat : vel avas imprimendo species tum sensibiles , tum intelligibiles : vel componendo , & adunando eas , quæ nobis antea inerant : intelligibileque lumen communicando , si ita opus fuerit . Angeli vero species imprimunt minimè id præstant , & efficiunt : sed coadunando spirituum ministerio , qui Angelis quemadmodum & cetera corpora ad nutum obtemperant , ut docet S. D. i. p. q. III. a. 3.

8 Dæmoniaca somnia dicuntur illa , quæ à dæmo-

Quæst. XV. De Animaæ pali. on. &c.

411 nibus induuntur. Possunt verò ab eis induci eo p[ro]acto, quo ab Angelis cùm utrique similiem naturam, ac virtutem habeant; tametsi non eundem finem spectent. Angeli enim gloriam Divini numinis, hominumque in iis, ut & in cæteris rebus querunt: dæmones autem his omnino contraria. Ac duo potissimum sunt, quæ illi impuri, ac nefarii spiritus somniorum interventu assequi nituntur. Alterum est hominum, si melius non possint, faltem corpora, obsecræns cogitationibus, & voluptatum illecebris contaminare. Ake[re] est ignoros homines vana superstitione imbucere: si eos aliquorum somniorum eventu ad irrogandam iis fidem pellexrint.

29 Naturalia somnia dicuntur, quæ ex affectione corporum, temperamento, humerum incurso[n]ibus, aliisque hujusmodi nascuntur. Nam iij, quos melan-cholia infestat, somniant tristia; ut funera, caliginem, tenebras. Qui flava bili redundant, iras, iugula inimicitias. In quibus est sanguinis redundantia, vide sibi videntur rubentia, ignes, combustiones. In quibus multum insidet pituitæ, aquas, natationes, pluviam, & id genus. Similiter quibus animarum humorum multitudine premitur, gravia quedam ferre onera sibi videntur: & contra qui levius tenuique temperamentu sunt, nunc volare, nunc velocissimo curru se ferri purant.

30 Animalia somnia dicuntur, quæ versantur circa res eas, quibus per diem occupati fuimus. H[ic] sunt namque simulachra, ut sunt recentia, ira plerunque magis movent. Ad id genus pertinent somnia rerum, aut personarum, in quas odio, amore, timore, aut spe vehementer afficimur. Cùm similiter horum species, ob assiduum ipsarum usum, valde actuolent, & ad excitandam potentiam emittentes. Hinc liberales & magnifici somniant se aliis largiri: mendicantes: cantores canere: Philosophi disputare: ri pecuniam congerere; alii alia similia. *Cadet Arist. i. Ethic. c. 13.* bonorum hominum ait somnia meliora esse, quam aliorum: propterea quod consilia, quæ ad virtutum officia exercenda sollicite agitant, eadem eis

omno occurrunt. Videndus est D. Alb. M. sum. de
hom. tr. i. q. 49. & 50.

31 Ex his deducitur solutio quorundam problema-
tum, quæ in hac materia proponuntur. Quorum pri-
mum est, cur nonnulli tota vita non somniarint? Du-
plicem causam assignat Philosophus: alteram ex par-
te corporis: alteram ex parte animæ. Quod ad pri-
mam spectat, illi feruntur non somniare, qui com-
pleta cibi digestione somno nequaquam indulgent, ob-
nimum calorem in loco digestionis vigente in toto vi-
te curiculo: qui dum elevat, & sursum tollit vapo-
res, deorsum quidem feruntur, sed iterum ab eo sur-
sum attolluntur: ideo profundus eos occupat somnus,
nec somnio locus relinquitur. Quod ad 2. spectat,
imaginatricis facultatis debilitas in causa est: quæ non
est formandis imaginibus fortiter moventibus idonea.

32 Hac eadem de causa quibusdam in juventute
somnia non accidunt: quibus tamen videntur, cum
ad proiectam devenerint ætatem; quia nimis冗re
dundans, & vegetus in juvenibus calor simul & una
purum cum impuro ad caput sustollens, fortem ac ve-
hementem inducendo somnum, somnia prohibet. In
istis autem remissus hujusmodi calor non nisi purum,
præsertim dum somnus ad finem pergit, elevat, in quo
facile resultantes somnum inducunt.

33 Pueris quoque raro somnia contingunt. In his
enim prædominium equidem est humili labilis, ac flu-
xibilis, veruntamen vegetus in eis calor in somno vi-
res nimias accipiens hocce humidum cum impuro ad
caput sublate commiscet: unde formæ resultare, ac
imprimi non possunt: indeque somnia prohibentur.
Eadem profus de causa in fine somni contingunt sæ-
pius somnia: quia videlicet in principio digestionis
invalicicens calor purum cum impuro permiscet: per-
turbatusque vapor sursum elatus non facile impressio-
nen formarum suscipit, nec bene. In fine autem
somni, cum sanguis impurior deorsum ruens, subtilis,
ac purus sursum fertur, spiritus animalis purior eva-
dit: simulacraque in somnis resultant, ac mōventur
denuo.

34 Secundum est , cur quidam incerta quædam sunt somnia , ac prorsus inordinata fortiantur ? Resp. D. Alb. M. loc. cit. q. 45. dupli ex causa id evenire . Prima ex parte corporis se habet : quia videlicet fluxibilis complexio inest , facileque mobilis : unde inundantes , ac irrumptentes varia figuræ , rerumque simulacra diversa sese infringunt , instabilitaque efficiunt somnia . Quod potissimum juvenibus , puerisque accedit ; iisque qui desideriorum varietate fluctuant & agitantur . Secunda est mentis instabilitas : quia videlicet sibi inconstans vero parum adharet ; unde mendaces somniis falsis plurimum deluduntur . Quod autem nonnullis multa accident somnia , evaporatio debilis in causa est ; vel digestio completa : in his enim motu imaginationis intenso , appareptibusque crebro phantasmatisbus somnia plurima fiunt .

35 Tertium est , cur nonnulli somniorum proflus non rememorentur , alii verò facile somnia in memoriam reducant ? Resp. D. Alb. lib. 2. de somn. & vigil. tr. 2. c. 5. id contingere , quia videlicet motu aliquo fortiore superveniente perceptio imaginationis in somno conspicuarum interclusa : idcirco eos qui post somnum forti aliqua agitatione præveniuntur , antequam eis relinquatur locus in memoriam sua somnia revocandi , omnino somniorum oblitisci : præsertim si ad finem somni acciderint somnia . E contrario autem causa , nimis quiete facile in memoriam somnia reduci , præsertim si corum imagines fuerint fortiter impressæ , & non obturbare spissis , ac dilatantibus vaporibus ad cerebrum subducantur .

36 Quartum est , cur dormientes aquando graviter conficitur , quasi oppressione dæmoni cubantis , & vocem ac spiritum intercludentis . aut alicuius rei similis pondere ? Resp. quia potissimum post affluentem satietatem multis sanguis , aut spiritus , ob defectum coctionis parum defœcatus , proprieque obscurus , ac tetricus in cerebrum evadit , ipsumque gravat : atque accusatu suo terrificam illam imaginem moveret . Et quia parva in somnis magna apparent , videtur sibi qui ita est affectus , superjecta

mō premi , ac susto ari , eluso phantasiē sensu , à quo labore , ut se expediat , & ut lemures illos , aut friges , quibus se opprimi imaginatur , excutiat , conatum facit , ac nonnunquam diu luctatur , & suspīcia , ploratusque gemebundus edit , & sicciamat . Nec se omnino excitare potest , multo halitu vias spirituum obsidente ; imò & pravo humore cor , pectoris musculos , dorsum , & tendones simul occupante . Quādūcūtū autē istiusmodi affectiones ex stomachi incoctione , & humorum colluvie originem habent , sicut graviorum morborum anteambulones esse . Ita ex Fracastorio , Christophoro à Vega , & aliis rem decidunt PP. Conimbricensi lib. de somniis c. 6.

37 Quintum est , cur ea , quæ somno percipiuntur , multò ma jora & vehementiora judicentur , quādūcūtū ipsa sunt : v. g. pituitæ defluxus ad linguam , quia aliquantulum dulcis , dormientibus ut mel sapit : exigui fœti ut tonitrua reboare videntur : & si tantillum caloris aliquam partem corporis occupet , videtur sibi quod per ignem , aut ardentes prunas incedat ? Pētū obvium sensum , dum nequit sensuum differentias exactè internoscere , ac discernere , se ad id conferre , quod in quovis genere notissimum est : qualia sunt in his , quæ sub sensum cadunt , objecta majora , atque acriora , magisque sensum ipsum immutantia .

38 Sextum est : quare sub lucem clariora habemus somnia , minusque distorta , & inepta ? Resp. quia nūcula iam somni decursu vaporum copia , factaque remissior spirituum agitatio non ita sensuum internum functiones turbat . Opposita de causa ineunte somno præterit si post cibum imus cubitum , non st̄ : somniāmū quia vehementior vaporum agitatio non sinit exhibere se se imagines , sed ut in aqua mota , & agitata evanescunt .

39 Quid ad divinationem somniorum spectat , res proculs ardua est , & difficilis explicari: ut satis superque ostendit summa de hac re Autorum dissensio , qui potius balbutiendo , quam aliquid determinando pronuntiantur . Imò & ipse Philosophorum Princeps ,

in ceteris disertus , parcus ad meum in hac materia fuit . Hinc Socrates hanc Deorum scientiam nuncupavit , qui et si Deorum judicio sapiens habitus sit , tamen in publico Atheniensium cœtu se hanc post iot atlantatos labores nondum fusse adeptum confessus est .

39 Duæ potissimum de somniorum divinatione fuerunt inter Antiquos sententiae . Prima fuit Xenophanis Colophoni , & Epicureorum , qui cuncta somnia aiebant nullius prorsus esse significationis , & ideo contemnda . Secunda vero è diametro huic opposita asseruit nullum esse prorsus somnum , quod alicuius futuri eventus prognosticum non esset . Primam damnant Sacræ paginæ , dum ipsæ quamplurima somnia ad indicia futurorum eventuum nobis enarrant , ut somnia Pharaonis , Iosephi , & alia hujusmodi . Secundam pariter sententiam præcludunt , & damnant varia S. Scripturæ testimonia . Nam Ecclesiast. c. 1. dicitur : *Ubi multa sunt somnia , plurimæ sunt vanitatis .* Et Ecclesiastici 34. Somnia extollunt imprudentes . Quasi , qui apprehendit umbram , & persequitur ventum , sic & qui attendit ad visa mendacia &c. Communiter Peripatetici multa esse somnia faciunt prorsus vana absque ulla futurorum significatione : aliqua vero esse significativa . Et hæc in duas classes distribui possunt . Quædam apertam , & claram significationem fortinatur : ita ut cuique scienti somnum , ejus significatio facile pervia occurrat . Hujus generis multa narrantur somnia à Deo , vel Angelis immissa , ad erudiendos dormientes de eventibus futuris . Alia sunt ænigmatica , & obscuræ prorsus significationis : ita ut cuique scienti somnum non statim , aut facile eis significatio pervia sit , & aperta sed multa indagine ac sollicitudine opus sit ad ejus interpretationem veram internoscendam : hujus generis fuit somnum immisum Pharaoni de vaccis ; & somnia Pincernæ , & Pistoris de quibus Genes. 40. sermo habetur .

40 Quomodo autem ex somniis hujusmodi cognitione futurorum eventuum colligi possit , res est explicatu haud facilis . Nota ex D. Allo. M. tr. 1. sum. de hom. quæst. 48. art. 1. quod somnia significantia triplicem

ac sua significata ordinem inducent; scilicet causæ signi, & incursum accidentalis. Illius enim, quos cognoscitur, aut habetur cognitio ex propriis, aut ex communibus. Si ex propriis, tunc per causam dicitur cognosci. Si autem ex communibus, id sit aut per propinquum, vel remota? si per propinquum? ejus tunc cognitio ex signis haberi dicitur, quia propinquum accidentia sunt signa. Si vero per remota, tunc cognoscitur per incursum accidentalem. Si cognoscatur per causam: vel ex parte corporis, vel animæ causa se tenet. Ex parte corporis quidem: ut cum aliquis somniant se in ignem projectum; vel mel comedere: quod nimirum calor immodicus occupet corpus, vel corporis partem; aut phlegma dulce in palatum, & linguam illabatur. Et alia id generis signa, quæ naturales somniantium complexiones, aut ingestos cibos digestosque consequuntur. Id enim quod per se efficit complexio, id cibus per accidens præstat. Causa vero, quæ est ex parte animæ duplex est: nimirum ex parte scibilium, & ex parte operabilium. Ex parte scibilium, cum videlicet inquisitio aliquorum in vigilia præcessit, & motus mortui in somniis accidit: & in eis futura sciplina indicantur. Ex parte operabilium autem, cum dispositio aliquorum operabilium in vigilia præcedat, & motus simulachrorum eorundem in somniis futuram operationem præmonstrat.

41 Signum vero triplex est: nimirum in Cœlo, elementis, & somniante. In Cœlo quidem, cum Sidera motu suo diversaque dispositione imaginationem dormientis mutant, & simulachra quædam rerum sensibilium prodeunt his impressionibus conformia. In elementis, ut cum ex aere continent, & ambiente hujusmodi immutatio provenit, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 9. art. 5. Signa vero ex parte somniantis sunt dispositiones quædam modicæ, quæ non nisi inter somnia percipiuntur; ut exempli gratia, si quis somnians ignem futuram non interpretetur: aut somnians se incurrisse in os putridum, aut scorpionem, futuram detractionem, aut falsi criminis impositionem interpretetur. Accidentaliter autem incursum est de his, quæ procul sunt tempore,

vel loco: & quorum notitia nostra in prudentiam capere
rare idetur: et navalis belli futuri præcognitio, aut re-
gni subvertendi, ut accidit in somnio Nabuchodonosor.

42 Igitur somnia quæ causas naturales intrinsecas, &
proximas habent, immo & extrinsecas, sicut motus Cœlo-
rum, Siderumque ac elementorum impressiones, ali-
quid portendunt, & quo usque eorum causalitas se exten-
dere valet, absque Daemonum invocatione tacita, vel
expressa, ex eis futuros eventus conjicere licet, ut docet
S. D. loc. cit. At vero ex somniis, quæ ex solo incursum
accidentali eveniunt de rebus illis, quarum præcognitio
omnem cognitionem humanam exuperat, notitia ha-
beri nequit absque divina revelatione: ut docet D. Alb.
M. loc. cit. Unde vanitate, ac superstitionis vitio non
caret velle quidpiam scire per hujusmodi insomnia, ut
colligitur ex eodem S. D. loc. cit. Si quis plura de hac
materia scire desideret audeat D. Th. Interpretæ loc. cit.
Raphaelem à Turri ibid. D. Alb. M. loc. cit. & lib. 3. de
som. & vigilia per totum.

QUÆSTIO XVI.

DE ANIMA RATIONALI, seu intellectiva secundum se, & illius potentiis in communi.

Postquam de ipsa anima sensitiva, illiusque potentiis,
ac passionibus sermonem fecimus, nunc de anima
rationali, seu intellectiva, ipsiusque potentias differen-
tiam eff.

ARTICULUS PRIMUS

*Vtrum anima rationalis seu intellectiva si. perse
subsistens, & spiritualis, seu insorporea.*

1 **S**upponimus id quod apud omnes notissimum est, nimirum animam rationalem seu intellectivam esse. Cujus tanta dignitas est, ut ad divinam similitudinem proprius accedat, sive veluti totius divini operis summa: *Recte, inquit Ambrosius epist. 38. na-
vissimus creatus est homo, quasi totius summa operis.* Et licet Angelus natura præstantior sit, nescio tamen quid in anima rationali peculiare eluceat, quæ hominem non modicum super alia condita extollit, ut idem Ambrosius pulchre effatur in Psalm. 118. *Cælum, ait,
non ad similitudinem, homo ad similitudinem.* *Angeli ad ministerium, homo ad imaginem.* Esto & Angeli ad imaginem, Scriptura tamen de homine locuta est, quod sit ad imaginem. Habemus nempe aliquid, quod fortasse non habent. Hoc ipsum eleganter observavit D. Gregorius Nyssenus lib. de opif. hom. cap. 16. ubi ait: *Quia bonorum ipsorum multa probatur esse congestio,
quæ non possit numero facile comprehendendi, idcirco gene-
rali quadam voce universa Scriptura complectens signi-
ficare curavit, cum ad imaginem Dei hominem factum
retulit: hoc enim aquale est ac si diceret, humanam
naturam omnis boni factam esse partipem.* Nam si Dei natura perfecta quadam copia est bonorum omnium, homo autem ejus est imago, hanc dubiè simulachrum hoc princeps exemplum ita referet, ut & ipsum bonis omnibus abundet. Itaque in nobis est expressa omnis hon-
estæ species, omnis virtus, omnis sapientia: quidquid de-
nique præstantissimum comprehendendi vi intelligentæ po-
tent. De hac ergo impræsentiarum inquirimus, num
sit aliquid per se subsistens atque incorporeum sive
spirituale.

2 Notandum ex S. D: 1. p. q. 29. a. 2. c. & quæst. 2.
sic pot. a. 1. c. subsistens illud dici, quod non in alio,
sed ipso existit. Unde est aliquid distinctum contra-

ac idens, cui debent esse in alio tanquam in subiecto inhalationis. Scilicet etiam contra formas materiales, quæ in se non habent esse aliquod absolutum & independens à corpore sed tantummodo in illo: quocirca sensus difficultatis est, utrum anima humana sit quædam subiecta, non quidem sicut forma corpora, sed spiritualis & incorporea, habens esse per se absolutum & independens à corpore, seu per se existens, & proprias operationes independenter ab ipso habens & exercere valens.

3. Animam humanam esse aliquid subsistens ex antiquis Philosophis negaverunt specialiter Empedocles & Galenus. Et enim Empedocles suam de primis rerum principiis opinionem insequutus afferuit animam esse quidam ex quatuor elementis concordiaque ac discordia constans, seu harmoniam quandam: cui consensit Dinarchus Philosophus ut autor est D. Gregorius Nyssenus lib. 2. Philosop. & ret. ert D. Thomas lib. 2. coar gent. c. 64. Galenus autem lib. de loc. affect. cap. 6. animam esse sensit quoddam qualitatum corporis temperamentum: quanquam lib. 7. de usu part. cap. 8. dubius hæret, atque naturam ipsius animæ satis compertam, non habere ingenuè fateatur. Quocirca uterque ipsam animam quoddam accidens fecisse videtur, & subinde aliquid non subsistens, sed in alio esse habens.

4. Sed hæc positio, inquit S. D. q. unica de anim. a. r. state non potest, nec quantum ad animam vegetabilem, cuius operationes oportet habere aliquod principium, qualitates activas & passivas superegrediens, que in nutritiendo & augendo instrumentaliter duntaxa, i.e. habent, ut dicitur lib. 2. de anim. tex. 49. & 50. compunctione autem & harmonia qualitates elementales non transcendunt: nec etiam quantum ad animam sensitivam, cuius operationes propriæ sunt in recipiendo ipsæ conditione intentionaliter & sine materia, ut probatur ibidem tex. 120. qualitates autem activæ & passivæ, cum sive ipsius materiae dispositiones ultra materialam se non extendant & multominus quoad animam rationalem spectat, cuius operationes propriæ sunt intelligere & abstrahere species non solum à materia, sed etiam à conditionibus mite.

rialibus individuantibus , quod ad cognitionem universalis requiritur . Quinimo adhuc aliquid amplius propriè in anima rationali considerare opus est ; quia non solum absque materia & conditionibus materiæ species intelligibiles recipit , sed nec etiam in propria ipsius operatione corporale aliquod communicare organum possibile est ; ea scil . ratione ut aliquod corporeum sit organum intelligendi , quemadmodum lib . 3 . de anima tex . 6 . demonstratur . Quocirca oportet ut anima intellectiva per se agat , utpote propriam absque corporis communione operationem habens . Et quoniam unumquodque agit inquantum existit acta , necesse est ut anima intellectiva habeat esse per se absolutum à corpore non dependens . Formæ enim quæ habent esse à materia vel subiecto dependens , per se operationem non habent . Non enim calor agit sed calidum , ut statim amplius declarabitur .

5 Quapropter posteriores Philosophi judicaverunt , partem animæ intellectivam esse aliquid per se subsistens . Ita habetur ex Arist . lib . 3 . de anima tex . 19 . & 20 . Quod prius asseruit Plato constituens ipsam animam immortalem & per se subsistentem , ex eo quod seipsum moveat , hoc est , ex seipsa operetur . Sed tamen in hoc inter se dissenserunt , quod Plato , nedum animam per se subsistentem fecit , sed etiam ei completam speciem naturam arrogavit , cuius oppositum sensit Aristoteles , animæ tribuens quod possit per se subsistere , non autem quod speciem completam sortiatur , sed corpori ad complementum speciei adveniat . Quæ postea opinio in Scholis , præsertim Peripateticorum receptissima fuit : & apud Patres & Catholicos Doctores ita invalvit , ut oppositum errori tributum fuerit : quemadmodum videre est in Decret . 24 . quæst . 3 . cap . *Quidam hæretici* , ubi opinio asserens animam non esse spiritualem & incorporam , sed corpoream & per se non subsistentem inter hæreses refertur , & Tertulliano arrogatur .

6 Coacl . Anima humana est quoddam principium incorporeum & subsistens , seu per se existens . Sumitur hæc veritas ex S . Scriptura , quæ sæpe sapientis animam rationalem vocat Spiritum utpote psal . 145 . *Exhibit* , inquit ,

qui, *Spiritus ejus, & revertetur in terram suam*.
 Vt Hieronymus: *Hic Spiritum pro anima ponit; Pater tu manus tuas commendo Spiritum meum. Item Ecclæst. 12. Revertatur puluis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad eum qui dedit illum.* Et iteram ad Rom. 8. c. *ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro.* Sed in sacra Scriptura Spiritus hominis distinguitur contra carnem sive corpus, ut patet ex illo Isaiae c. 31. *Egyptus homo & non Deus, & equi eorum caro & non spiritus.* Et Lucæ 24. *Spiritus carnem & ossa non habet:* Et tandem ad Galat. 5. c. *Caro contumescit ad versus Spiritum: ergo anima rationalis est spiritualis & per se subsistens, & non forma corporeæ aut corpus.*

7 Idem sumitur ex Concilio Constantinopolitano VI. act. 11, ubi expressè docetur quòd Verbum Divinum assumpit carnem & animam rationalem atque incorpoream. Idem habetur in Concilio Lugdunensi, & referatur in Clementina unica de sum. Trinit. ubi dicitur, quod Verbum Divinum assumpsit corpus & animam intelligentiam. Præterea in Concil. Lateran. sub Innocentio III. Et habetur in Extrav. de sum. Trin. & fide Cathol. Firmiter, ait, credimus, quod Deus de nihilo condidit creaturam Spiritualem & Corporalem, Angelicam videlicet & Mundanam, & deinde humanam quasi communem ex Spiritu (hoc est anima) & corpore constitutam. Idem asseruit Clemens Apostol. constitut. lib. 7. cap. 11. Animam, inquit, in nobis confitemur expertem corporis & immortalitate præditam, nec interiu deleri sicut corpora, sed immortalē esse, utpote rationis partem & sui compotem.

8 Idemasserunt communiter Patres. D. Dionyius lib. de divin. nom. cap. 6. D. Martialis, iactus Apollonius in epist. ad Burdigalenses cap. 8. Arnobius lib. 2. advers. gentes. D. Basilius hom. de Paradiso ubi ait: *Illuc posuit hominem quem finixerat. Alibi fixerat, illuc autem illum introduxit. Quemadmodum Luminaria seorsum fecit Deus, & posita in Firmamento locavit, ita & hominem pulverem quidem finxit è terra, posuit autem in Paradyso.* Notandum verò quòd non dictum

est, quem fecerat, sed quem fixerat, quem enim fecerat secundum imaginem suam fecerat. Is autem corpus aliis non est, & quod corporale non est, loco non circumscribitur. Nam comitur quidem quod factum est sanguinem, hoc est, anima factum corpus. Similiter enim est, quod compositum est, peculiariter tamen corporum est locus. Anima vero appendicis modo in loco est propter habitum, quem habet ad corpus, non propter naturam suam. Idem docet ferm. in verb. Mo. Attendite: Incorporeum, inquit, nosce ante omnia Deum ex anima tua incorporea tibi inexistente. D. Greg. Nazian. orat. 42. D. Gregorius Nysi. lib. de anim. & resurrect. & lib. de opif. hom. D. Damasc. lib. 2. fidei orthod. cap. 12. Origenes lib. 7. cont. Cels. D. Hieronymus in epist. ad Pammachium, ubi contrarium Origeni tribuit. D. August. lib. 10. sup. genef. ad lit. cap. 25. epist. 157. & lib. de hæres. c. 86. D. Ambros. lib. de Noe & arca c. 25. & lib. de Isach & anima cap. 2. D. Gregorius Mag. lib. 4. Dialog. cap. 5. Natura quippe animæ, inquit, invisibilis est. Et infra. Dubitare non debes (scil. Deum) invisibilia obsequia habere. Debent quippe ea, quæ ministrant, ad eius similitudinem tendere cui ministrant: ut & quæ invisibili serviunt, esse invisibilia non dubitentur. Hæc autem, quæ esse credimus, nisi Sanctos Angelos & Spiritus iustorum. Idem asseverant uno ore Theologicum D. Th. 1. p. q. 75. a. 2.

9 Probat S. D. imprimis autoritate D. August. lib. 10. de Trinit. cap. 7. ubi ait: Quisquis videt mentis naturam & esse substantiam, & non esse corpoream, id est, non minorem sui parte minus occupare loci spacio, magisque majore, videt eos qui opinantur eam esse corpoream, non ob hoc errare quod mens desit eorum notitia, sed quod adjungunt ea sine quibus nullam possunt agitare naturam, sinephantasis enim corporum quidquid visi fuerint cogitare, nihil omnino esse arbitrantur. Ex quibus sic: quod est substantia & est incorporeum est per se subsistens: sed anima humana est substantia, & est incorporea, ut constat ex D. Augustino, & aliis Patribus, Conciliis, & S. Scriptura, supra adductis: ergo anima humana est subsistens. Vide lector, quo-
modo
'om. VI.

modo testimonia quæ probant animam esse incorpoream, cum in conceitio sit etiam esse substantiam, probare manifestè animam esse subsistentem; unde jure à nobis adducta esse.

10 Deinde probat S. D. ratione, quæ in hunc modum deduci potest: Anima est principium intellectuali operationis: sed id quod est principium intellectuali operationis oportet esse incorporeum & subsistens; ergo anima est incorporea & subsistens. Maj. est Arist. lib. 2. de anim. tex. 24. dicentis: *Anima id est, ut patet, quo vivimus & quo sentimus, ac intelligimus primo.* Min. vero prob. quoad 1. p. scil. quod debeat esse incorporeum: Principium intellectualis operationis esse corporeum duplaci duntaxat ratione intelligi potest: primo quidem, quoad esse seu naturam suam, hoc est, quod secundum naturam suam & esse sit aliquid corpus; secundo non quoad naturam & esse, sed quoad instrumentum seu organum cognoscendi, quo vtitur & in quo residet, sicut visus in oculo: sed nullo ex his modis principium intellectualis operationis potest esse corporeum, scil. neque ut corpus, neque ut virtus affixa organo corporeo: ergo principium intellectualis operationis debet esse simpliciter incorporeum. Min. prob. imprimis nequit esse corporeum, quoad naturam & esse: quia homo per principium illud intellectuale omnium corporum naturas cognoscere potest: sed quod naturas omnium corporum cognoscere valer, nequit esse aliquod corpus secundum suam naturam & esse: ergo principium illud intelligendi nequit esse corpus, seu aliquid corporeum secundum naturam & esse. Maj. patet, quia homo per intellectum potest cognoscere corpora simplicia, & composita, animata & inanimata, cælestia ac sublunaria, ut experientia constat. Minor vero propter quidquid apprehendit aliquid, primò est in potentia illud, deinde in actu: sed nulla virius corporea est potentia omnia: ergo omnia apprehendere nequit. Major patet, quia qualibet potentia apprehensiva nata est moveri ab apprehensibili media specie: sed nihil movetur ad aliquid, seu ab aliquo, nisi sit in potentia ad illud, com
motus

motus sit actus entis in potentia : ergo quod apprehendit aliquid , primo est in potentia ad illud . Deinde , quia si aliquid ei actu in sit , aliorum cognitionem impedit , sicut lingua humore cholericō , & amaro affecta aliquid dulce percipere non valet , sed ei omnia amarorem sapiunt .

11 Minor vero prob. omne corpus seu natura corporea habet naturam determinatam circa determinatum objectum , ultra quod se extendere nequit ; cum nihil ultra suam speciem agat : sed quod est determinatum ad unum , non est potentia ad omnia , sive corporea , sive incorporea : ergo nulla virtus corporea determinata ad corporalia secundum se est potentia ad omnia , sive corporea , sive incorporea : ergo cum intellectus sit potentia ad omnia illa ; apprehendatque iam substantialia , & essentialia rei , quā nō qualitates corporeas , & sensibiles secundum quidditates suas , non erit corpus , aut virtus corporea dependens à corpore in operando : ergo neque in essendo . Conseq. prob. aliquid eo modo operatur , quo est : quoniam operari non est nisi entis in actu : unde non dicimus quod calor calefaciat , sed calidum , quia calor in re non est actu , sed calidum : ergo si per se operetur , per se erit , ac subsistet .

12 Deinde quodd nequeat esse virtus corporea , ut virtus affixa organo corporeo prob. supponendo quod in qualibet viriute corporea seu potius organo illius est quædam certa complexio , & proportio , ratione cuius est susceptiva proprij sensibilis in linea intentionali : alia enim est complexio in organo visus , alia in organo auditus , alia in organo sensus communis , imaginationis &c. corpus enim ex se non sentit , nec sensata percipit nisi mediis qualitatibus sensitivis : & hæ natæ sunt immutari à qualitatibus extraneis sensibilium objectorum ; ut explicuimus supra . Vnde experimur , quod destructa complexione organi , jam non sentiat , nec percipiat sensibilia , aut immutetur ab illis . Quo supposito :

13 Sic efformo argumentum : omne corpus , seu virtus corporea in ratione sensitivi determinatam ha-

de naturam , ac complexionem organi , qua constituitur à ratione sensitivi ; ita ut quælibet qualitas extranea immutet ipsam , nisi vertatur in naturam ; ut calor in Ethico : imò si sit qualitas extranea excellens , dum actu afficit ipsum , prohibet operationem illius debitam , ut patet in exemplo adducto de lingua amarore affecta , cui omnia sapiunt amara : ergo si principium intellectuæ operationis sit corporeum , affectum esse debet certa qualitatum sensibilium complexione , quia quodlibet organum corporeæ virtutis eam habere debet : ergo dum erit actu affectum specie aliqua particularis sensibilis actu immutante ipsum , non poterit apprehendere qualitatem aliam advenientem : sed intellectus , sive anima apprehendit non solum hoc sensibile particolare , sed & quodlibet aliud , imò substantias incorporeas ut abstrahunt à ratione sensibilis ; & dum afficitur specie unius objecti , non prohibetur suscipere species alterius : ergo non potest esse virtus apprehensiva corporea , ac particularis .

14 Conf. virtus corporea quælibet est coarctata ex parte sui objecti , quia respicit materiam cum appendicis suis , & ut affectam qualitatibus sensibilibus ; quæ in genere apprehensibilis sunt limitativæ , ac determinativæ , quia sub determinata ratione particulari mouent : ut patet in objectis omnium sensuum : imò & in se , quia in organo suo certam qualitatum sensibilium complexionem exigit : ergo dum est actu affecta aliqua specie particularis sensibilis , arctatur ejus virtus , & prohibetur aliam suscipere : ut in exemplo posito manifestum est . Vnde si intellectus esset virtus corporea per susceptionem cuiuslibet speciei impediretur quod patet esse falsum : cum intelligat , & substantiam & accidens , & omne ens : & species unius non impedit speciem alterius .

Solvuntur argumenta contraria .

15 A Rg. i. omne subsistens est hoc aliquid , & per se operans : sed anima non est hoc aliquid , nec per se operatur independenter à corpore , quia nec intel-

intelligere ipsam contingit sine phantasmatibus : ergo non est per se subsistens .

16 Resp. ex S. D. loco cit. quod hoc aliquid potest dupliciter sumi : uno modo pro quoquaque subsistente, quo pacto excludit inherentiam accidentis & formae materialis, quae non habent esse nisi in materia vel subjecto . Alio modo pro subsistente completo in natura alicujus speciei : qua ratione non solum excludit inherentiam accidentis & formae materialis, sed etiam imperfectionem partis , unde manus v. g. hoc modo non potest dici hoc aliquid , sed primo duntaxat modo . Sic igitur , cum anima humana sit pars speciei humanae, potest dici hoc aliquid primo modo quasi subsistens : sed non secundo modo . Sic enim solum compositum ex anima & corpore dicitur hoc aliquid .

17 Cujus rei gratia nota , quod aliquid propriè denotat substantiam , quae est ens cui debetur esse per se , hoc autem est pronomen demonstrativum : unde hoc aliquid denotat substantiam habentem esse per se demonstratum , ac determinatum , seu particularisatum , & ab aliis segregatum . Et quia hoc proprie competit subsistenti completo in natura speciei , ideo simpliciter est hoc aliquid . Verum quia ab alio habet quod sit completum in natura speciei , nimurum à principiis essentialibus ut determinatis : & ab alio habet quod sit subsistens , nimurum ex modo particulari essendi per se , & independentia à subjecto : bene stat quod aliquid sit per se subsistens , etsi non sit completum in natura speciei : sed pars speciei , non comprehensa tamen à materia totaliter , quae est pars speciei , dummodo sit ut per se secundum naturam suam , seu potens esse per se . Et hoc modo anima rationalis est per se subsistens , & hoc aliquid : ut docet D. Thom. quest. unic. de anim. art. 1.

18 Arg. 2. omne quod est subsistens potest diei operari : sed anima non dicitur operari : ergo non est subsistens . Min. prob. ex Phil. lib. 1. de anim. tex. 64. ubi ait , dicere animam sentire aut intelligere simile est ac si dicat aliquis eam texere vel ædificare .

16 Resp. ex S. D. primo neg. min. Ad prob. dico ,

verba illa ab Arist. dicta , non secundum propriam sententiam , sed secundum opinionem illorum qui asserabant , quod intelligere nil aliud sit quam moveri , ut patet ex his , quæ ibi præmitit . Vide S. D. loc. cit. lœc. 10.

20 Secundò resp. adnotando , quod aliquid , duplicitate dici potest per se existens , sive subsistens : primum prout *per se* excludit inhærentiam accidentis , vel formæ materialis , non autem imperfectionem partis : qua ratione manus , oculusve potest dici per se existens , quia non est in alio neque ut accidens , neque ut forma materialis in subjecto , quamvis sit ut pars integralis in toto . Secundò prout *per se* excludit nendum inhærentiam accidentis aut formæ materialis in subjecto , sed etiam imperfectionem partis : & quod hoc modo est per se existens , est propriè subsistens . Qua ratione oculus v. g. non potest dici per se subsistens , ac per consequens neque per se operans . Vnde & operationes partium toti per partes attribuuntur . Dicimus enim , quod homo videt per oculum & palpat per manum : aliter quam calidum calefacit per calorem : quia calor nullo modo calefacit , propriè loquendo . Quo adnotato dicimus ad majorem : omne subsistens equidem posse operari , eo tamen modo quo est subsistens . Si enim verè & propriè , atque simpliciter a omni modo subsistat , propriè ac per se operatur : si verò aliquo duntaxat modo subsistat , dicitur tantummodo operari aliquatenus seu aliquo modo : unde quia aliquo modo anima humana est per se existens , dicitur etiam aliquo modo per se operari : non tamen simpliciter & omni modo , quia simpliciter & omni modo non est per se existens . Quocirca magis propriè dicitur quod homo per animam intelligat , quam quod anima intelligat .

21 Arg. 3. si anima esset aliquid subsistens , esset aliqua ejus operatio sine corpore sed nulla ejus operatio , etiam ipsum intelligere , est sine corpore : ergo anima humana non est aliquid subsistens . Prob. min. non contingit absque phantasmate intelligere : sed phantasma non est sine corpore : ergo ipsum intelligere non est sine corpore .

24 Resp. S. D. dist. min. nulla est operatio animæ humanæ absque corpore, sicut organo quo talis actio exercetur, nego min. sic enim intelligere est sine corpore. Non est operatio animæ sine corpore, ratione proprii objecti motivi, quod est quidditas rei sensibilis, concedo: nam hoc pacto non est intelligere absque phantasmate, quod ad intellectum comparatur sicuti color ad visum. Sic autem indigere corpore ad operandum non prohibet quin aliquid sit subsistens, quoniam animal est aliquid subsistens, & tamen exterioribus sensibilibus, tanquam objectis quibus ad operandum movetur, indigeret ad sentiendum. Unde negatur consequentia. Et ex hac parte contingit animam in intelligendo defatigari, & non quia deficit virtus corporea.

25 Arg. 4. contra rationem D. Thomæ: sensus tactus habet in se qualitates tangibles: & tamen percipit eas actu. Purilla est diaphana, & non nihil lucis habet: & tamen lucem, ac diaphanum percipit. Cognitiva denique apprehendit res corporas; cum tamen ipsa sit actu corporea. Tandem ipsa anima cognoscit se, essentiamque suam; cum tamen non sit potentia ad se; sed in actu.

26 Resp. ad 1. quoddam sensus tactus habet qualitates tangibles per modum naturæ, & non per modum qualitatis extraneæ, & immutantis ipsam: unde non prohibetur qualitates extraneas persentire, nisi continent eas in naturam verti. At vero, si demus intellectum esse virtutem corpoream, oportet illi certam complexionem assignare: & huic non potest esse conaturalis omnis res, sed extranea, quia est virtus limitata, & consequens certam naturam sensitivam: ergo non noterit se, & omnia percipere, nec omnium rerum species: quia in genere sensitivo nequit omnibus proportionari. Ex his patet ad 2. & 3. Ad 4. dico animam intellectivam in esse naturæ non esse in potentia ad essentiam suam: bene vero in esse intellectivo; quatenus ipsa est quoddam intelligibile comprehensum sub intelligibili ut sic, quod est indeterminatum: quia ipsa est virtus universalis, & non limitata cum reip-

472 Quæst. XVI. De Anima rationali &c.
ciat universalissimum objectum : quod in virtute corporeâ reperiri nequit , cùm exigat certum organum , organique complexionem .

ARTICULUS SECUNDUS

*Utrum anima rationalis sit vera corporis
forma ?*

27 **C**onclusio est affirmativa , & de fide ; definita in Concilio Vienensi sub Clemente V. ut refertur in Clementina unica de sum. Trinit. §. Porrò ubi dicitur : Porrò omnem Doctrinam , seu positionem tenetem afferentem , seu vertentem in dubium quod substantia animæ rationalis seu intellectivæ , vere ac per se , & essentialiter non sit forma humani corporis , tanquam erroneam , & inimicam veritati , & Catholicæ Fidei , Sacro approbante Concilio , reprobamus . Idem definitum habetur , & confirmatum in Concilio Lateranensi sub Leone X. Desumiturque ex Concilio Lateranensi , sub Innocentio III. c. 1. ubi habetur : quod natura humana constituitur ex corpore , & spiritu . Compositio autem substantialis , in qua resultat unum per se , seu una natura , exigit ut forma substantialis materiæ uniatur : ergo anima rationalis est vera corporis forma .

28 Prob. 1. ex S. D. 1. p. q. 76. a. 1. forma physica , per quam aliquid constituitur in specie , & à qua sumitur differentia illius specifica , est essentialis & intrinseca : sed per animam rationalem homo constituitur in specie & ab ea desumitur ejus differentia specifica , nimirum rationale : ergo est vera , & essentialis , seu intrinseca forma hominis .

29 Secundò prob. illud , quo primò aliquid operatur , est forma illius substantialis , hæc enim est radicale operandi principium : quia instantum aliquid operatur , in quantum est actu ; est autem actu per formam , quæ est actus primus illius : sed per animam rationalem corpus primò vivit , sentit , & intelligit :

ergo est vera hominis forma.

30 Major difficultas est, an etiam prout est intellectiva, seu secundum gradum intellectivum, & prout est principium intellectio[n]is, quæ est operatio à corpore independens, sit vera hominis forma? Quidam viri docti apud M. Bannez dicta q. 76. art. 1. dub. 2. negativam sententiam amplectuntur: tum quia secundum gradum illum est per se subsistens, & separabilis à corpore, seu ab eo independens. Tum etiam quia non præberet corpori esse intellectivum; cùm intelligere sit absque organo corporeo: Tertio quia secundum gradum intellectivum superereditur capacitatem materiae: ergo non est ei immersa, ut forma ejus. Tandem, quia si anima prout est intellectiva est forma corporis, sequeretur operationes ei competentes, quatenus intellectiva est, fore dependentes à corpore: quod est falsum. Sequela prob. quia operationes proportionari debent principio à quo egrediuntur. Unde & operationes animæ sensitivæ sunt à corpore dependentes, quia ipsa est forma corporis.

31 Oppositorum communiter asserunt Theologi, ac Philosophi, nimirum animam intellectivam esse veram corporis formam. Ita M. Bannez loco cit. ubi multis probat hanc sententiam esse D. Th. Ratio est: quia homo veram formam habere debet, per quam in esse hominis, seu specie humana constituatur: quæ nulla alia esse potest quam anima rationalis, prout est intellectuale principium. Unde Concilium Vienense, supra-adductum, docet animam rationalem esse secundum essentiam suam, seu essentialiter formam corporis: propria autem essentia animæ, prout à sensitiva, & vegetativa distinguitur, est quod sit intellectuale principium.

32 Nota quod intellectivum in homine dupliciter sumi potest: primo identice, & substantialiter: prout dicit essentiam intellectivi limitatam ad speciem humanam ex ordine ipsius animæ ad corpus, per quod suscipit esse completum, non quidem absolute, sed esse completum talis speciei, nimirum humanæ; de cuius ratione est ut intelligat cum aliqua dependentia

à corpore. Secundò prout dicit virtutem gradus intellectivæ substantiæ , prout contradistinctæ à substantia materiali ; estque quid commune Deo, Angelis , & hominibus . Primo modo anima quatenus intellectiva , id est , quæ habet essentiam intellectivi , & substantiam limitatam ex tali ordine , est forma corporis : non verò prout intellectivum dicit virtutem gradus intellectivi : quam anima ex se habet , licet cum deficientia , & casu à virtute intellectivi quod est in Angelo , & Deo . Quod indicat S. D. ibidem in solut. ad 18. dicens ; *Quamvis esse animæ sit quodammodo corporis , non tamen corpus pertingit ad esse animæ participandum secundum totam suam nobilitatem , et virtutem . Et ideo est aliqua operatio animæ in qua non communicat corpus .*

33 Hujus rei gratia nota ex eodem S. D. ibid. quòd inter formas naturales est ordo , & tanto aliqua est perfectior , quanto magis accedit ad superiores , eisque assimilatur . Duo sunt ordines formarum , quedam sunt prorsus in materia immersæ , ut elementorum , mineralium , lapidum , plantarum , & animalium brutorum . Quædam simpliciter separatae à materia , ut substantiae separatae , nimirum Deus & Angeli . Homo quasi medius inter istos duos ordines constituitur : est enim in confinio substantiarum separatarum , & supra materiales omnes substantias quantum ad animam . Virtus autem essentiæ superioris est in inferiori forma , licet cum deficientia , quia forma inferior est casus superioris . Unde virtus intellectivi est in anima secundum suum esse : licet cum deficientia , quæ provenit ex recessu à forma superiori , & accessu ad inferiorem , quæ est forma materialis cognoscitiva dependens in suo esse , & agere à corpore , licet quodammodo corpus transcendat : inquantum est cognoscitiva , rerum quidem materialium duntaxat .

34 Dico igitur animam ut est intellectuale principium identicè , substantialiter , & limitatum ex accessu ad formas materiales , inquantum sua cognitio quodammodo à corpore , ut objecto perficitur , esse formam corporis : non verò secundum accessum ad Angelum , & secundum virtutem , & nobilitatem intellecti-

lectivi. Unde esse formam corporis non est ei causa, cur intellectiva sit, nec intellectivum absolute est ei causa cur sit forma, sed intellectivum limitatum, ex recessu à perfecto esse intellectivi, & accessu ad intellectivum deficiens, quod est sensitivum. Et quia intelligere est propria operatio intellectivi, ut intellectivum est, & non intellectivi ut limitati, ideo secundum se est operatio à corpore independens, ejusque principium simpliciter quoad virtutem intellectivi: licet non sit prorsus à corpore independens, ut limitatum, & ordinatum ad complementum speciei humanae.

35 Dices 1. anima est eadem cum virtute illa intellectiva essentialiter: ergo si secundum essentiam suam est forma corporis; etiam secundum virtutem illam. Resp. dist. antec. anima est eadem cum virtute illa secundum accessum ad substantias separatas; concedo: prout est actus materiae, præcise, nego: sic enim solum est virtus intellectiva identice, seu habens virtutem intellectivam; prout ipsa est potens subsistere per se. Unde virtus intellectiva solum identice erit actus corporis, sed non formaliter. Vide D. Caet. 1. p. q. 76. a. 1.

36 Dices 2. si anima esset forma corporis non posset esse per se subsistens; sed est per se subsistens: ergo non est vera corporis forma. Prob. esse per se subsistens & esse in alio opponuntur: sed si esset forma corporis esset in corpore: ergo non esset per se subsistens.

37 Resp. neg. maj. Ad prob. dist. maj. esse per se subsistens, & esse in alio opponuntur, si sit in alio penes omnem terminationem essentiae, & virtutis, seu per omnimodam comprehensionem formæ à subiecto, concedo: si sit in illo per modum perfectionis non comprehensa, nec habentis causam sui esse in illo, nego. Anima autem rationalis est in corpore ut perfectio non comprehensa, sed potius ut comprehendens corpus, nec habet causam sui esse in illo: unde est per se potens subsistere. Non vero formæ materiales, quæ sunt totaliter à materia comprehensa secundum essentiam.

& virtutem. Ratio definiuntur ex dictis : quia nimirum anima rationalis attingit ad substantias separatas secundum esse intellectivum : ergo cum super omnem ordinem materiae eleventur, impossibile est, quod secundum esse intellectivum a materia comprehendatur ejus esse aut operatio : ergo ut sic est per se subsistens absolute, immo & complete : sed non completere quantum ad id quod habet in anima, scil. limitationem ad speciem humanam, quatenus ipsa est actus corporis.

38 Ex his sequitur primò animas rationales non esse eiusdem speciei cum Angelis. Eorum enim quorum est diversa essendi ratio, horum est diversa species : sed esse animæ rationalis non est unius rationis cum esse ipsius Angeli, seu substantiæ separatae : ergo non sunt eiusdem speciei. Prob. min. nam substantia separata in esse nullatenus habet communicationem cum corpore: bene vero esse animæ rationalis. Confirm. ex propria operatione rei, species percipitur : operatio enim demonstrat virtutem, quæ speciem indicat : sed propria operatio animæ rationalis, & substantiæ separatae quæ est intelligere, est diversæ rationis in utroque : ergo & diversa virtus, essentiaque, seu species. Prob. min. quia operatio animæ rationalis est dependens a phantasmatibus, non vero operatio substantiæ separatae. D. Th. i. p. q. 75. a. 7. c. & q. unica de anim. a. 7.

39 Sequitur 2. animam rationalem non esse aliquid compositum ex materia & forma. Tum quia est pars speciei humanæ, & forma illius, unum per se cum ipso corpore constituens. Tum quia ipsa anima intellectiva cognoscit rem aliquam in sua natura absolute : puta lapidem inquantum est lapis absolute : sed unumquodque recipitur ad modum recipientis : ergo necessarium est animam rationalem esse quandam formam simplicem : & non compositam ex materia, & forma. Si enim composita esset, formæ rerum non recuperentur in ea simpliciter, & absolute, sed ut individuales sunt : & sic non cognosceret nisi singulare : quemadmodum & ipsæ potentiae sensitivæ, quæ recipiunt formas rerum cognitarum in ipsis organis corporalibus.

40 Sequitur 3. animas rationales ad multiplicationem

cor-

corporum numero multiplicari: & non esse unam in omnibus hominibus, quemadmodum neque & unicum intellectum. Quia plurium impossibile est esse unicum esse simpliciter, aut unicum essendi principium, alioquin plura non essent: sed anima rationalis est homini essendi principium: ergo &c. Esto enim anima rationalis non habeat materiam ex qua sit, ad cujus divisionem multiplicetur: tamen est actu, & perfectio materiae, intrinsecè perficiens illam: unde ad multiplicationem corporum ipsam multiplicari numero est necesse.

41 Sequitur ultimò, quod licet anima dependeat à corpore, quoad sui principium, ut in perfectione naturæ suæ incipiat: non tamen à corpore dependet quoad suum fieri, vel esse: quia acquiritur ipsi esse in corpore, ut rei subsistenti, puta esse absolutum, non depresso, vel obligatum ad corpus. Unde pereunte corpore nihilominus manet in suo esse individuali, & ab alia anima distincta, licet non in completione naturæ suæ: quam habet ex unione ad corpus: ut dicetur art. seq.

ARTICULUS TERTIUS

Utrum anima rationalis sit immortalis, vel an simul cum corpore corrumpatur?

CAPUT PRIMUM.

Statuitur Animam rationem esse immortalem & ex consensu omnium nationum prob.

42 C^{ontra} tertum est Animam rationalem, imò & Angelos ipsos, ceteraque creatura suspendentes Deo concursum, posse desinere esse, & in nihilum redigi, ut docet D. August. 4. de Genesi ad Lit. c. 12. Totâ difficultas est utrum insit animæ potentia ad non esse, sitque perinde intrinsecè corruptibilis: an vero huiusmodi potentia per ordinem ad causas intrinsecas ei minime insit, sed sit penitus incorruptibilis, & immor-

talis, ita ut corpore intereunte ipsa perduret?

43 Spurci quidam homines, quibus virtus horrori est, ut genio suo facilis indulgerent, hominum animos fecere mortales, interitique obnoxios: qui error jamdiu disseminatus radices in impiorum animis ita alte defixit, ut nunquam satis potuerit eradicari, ac funditus everti. Ut inumeros propemodum homines hujus erroris lue conspurcatos præteream, ante Christi adventum apud Sadducæos præserum invaluit: ut habetur Matth. 22. & Actor. c. 23. à quibus hoc venenum pleno poculo hauserunt multi Hæretici apud D. Damascen. in Catalogo Hæref. 9. qui animas nostras, quemadmodum ac pecorum simul interire cum corporibus existimarent. Quos initatus est quidam Hermannus Hollandus, ut refert Castro de Hæref. v. Anima Hæref. 7. Ex Philosophis, & Gentilibus eundem errorem fuisse amplexi dicuntur Plinius lib. 7. c. 55. Aratus, & Zeno. Imo ipsum Aristotelem in eadem sententia versatum fuisse asserunt S. Justinus Mart. in orat. ad Gent. Theodoreus lib. 5. de Curand. S. Nazianzenus in disp. cont. Eunom. Caietan. lib. 3. de anim. & alii. Veruntamen ab hoc errore eum liberat August. Eugub. lib. 9. de peren. Philosoph. c. 9. & 10. ubi multa ejusdem testimonia adducit, ac disertè explicat ostendens ipsum docuisse animalium immortalitatem. De quo nos plurainfra. Idem error ex Peripateticis tribuitur, cui dux taxat Alexandro Aphrodiseo in lib. de anim. sed ipsum sensisse omnino contrarium fuscè probat idem Eugubinus in eod. lib. c. 11.

44 Conclusio: constantissimum ac certissimum est Animam rationalem esse immortalem, & incorruptibilem. Prob. i. quod communi hominum existimatione, cunctarumque gentium consensu, & sapientum approbatione firmatum est, non potest non esse constantissimum, certissimum, ac verissimum: *Nec enim*, inquit, Alexander Aphrodiseus in libello de fato ad Imper. Vana, aut omnino à vero aberrans est communis hominum natura, secundum quam de aliquibus inter se se assentiunt: immo ipsemet Aristoteles lib. de divinat. per som. ait: *Quod omnes aut complures sentiunt aut* di-

dicunt, id falsum esse non est putandum: atqui animam eile immortalem neque cum corpore interire est communis populorum, nationum, gentium & sapientum consensio, ab ipsis Mundi exordio ad hanc usque diem perducta ac perseverans: ergo ut constantissimum, certissimum, ac verissimum existimandum est Animam rationalem esse immortalem, nec cum corpore interire. Min. prob. imprimis ex Cicerone dicente: *Permanere Animos arbitramur consensu omnium nationum.*

45 Deinde prob. eadem minor discarrendo per varias Mundi nationes. Et quidem ab Hebrais desumendo exordium, apud quos primum vera sapientia præluxisse creditur, ipsos hanc de immortalitate animorum veritatem omni tempore constantissime amplexos suisse luce meridiana constabit si per Sacrarum Scripturarum monumenta animis expatiemur. Imprimis Moy-ses, qui primus res gestas Hebraeorum scripto manda-se creditur, statim cap. i. Genes. hominem ad imaginem ac similitudinem immortalis Dei efformatum ab eo tradit: nam cum secundum corpus Deo, qui est omnino incorporeus minime similis esse possit, projecto secundum animam illi assimilari debet, & perinde haec immortalitate gaudere. Quod egregie observavit inter alios D. Basilius Mag. homil. 10. in Hexam. scribens: *Quomodo ergo, inquit, Scriptura nos ad imaginem Dei factos esse dixit? Quæ Dei sunt doceamus, quæ nostra sunt cogitemus, quod illud ad imaginem Dei factos esse in forma corporis non habemus: corrupto enim corpore figura perit. Incorruptibile non figuratur incorruptibili: corruptibile non est imago ejus, quod est incorruptibile. Corpus augetur, minuitur, senescit, immutatur. Aliud est in juventute, aliud cum sanum est, aliud cum passionibus premitur, aliud in metu, aliud in rebus lati, aliud in egestate, aliud in abundantia constitutum, aliud in pace, aliud in bello. Aliud est color vigilantis, alius dormientis: hujus quidem rubicundior floret ad exteriora se se recipiente calore: illius vero refrigeratus, et ad profundiora contractus est calor. Propterea et suppallida sunt dormientium corpora. Quo ergo patto poterit quod alteratur ei, quod*

al-

alterari nequit , simile fieri ? ei quod semper in eodem
statu est , illud quod nusquam consistit , quod nos effugit
instar nocturnum ? Ante quam spectemur superlabimur .
Aliud ex altero apparet humanum corpus . Oportet
igitur hanc similitudinem & imaginem incorruptibilis
& immortalis Dei in immortali animo , & mente esse
impressam , cui & contulit super cætera principatum ,
ut præsit , inquit . Unde ubi eadem Scriptura Genes.
c. 2. de formatione hominis loquens ait : *Spiravit in*
faciem ejus spiraculum vita , in Hebræo legitur . *Vi-*
tarum ut indicio sic duplice quasi vita hominem esse do-
natum , altera quæ cum corporis interitu deperit ; aite-
ra vero quâ immortaliter secundum animam vivit .

45 Deinde per totum fere librum dum quempiam
supremum obiisse diem significat his uititur phrasibus ,
ire ad patres suos , congregari , seu apponi , colligi , &
jungi ad populum suum , ut patet ex cap. 25. Genes. ubi
de morte Abraham Scriptura loquens ait : *Mortuus est*
in senectute bona :::: congregatusque est ad populum
suum , id est , reliquis ante ipsum mortuis adjunctus .
Idem repetit de morte Ismaelis v. 17. scribens : *Defi-*
ciens mortuus est , & appositus ad populum suum . Ex
qua phrasi eruditii Interpretes , inter quos Cajetanus & Ly-
ranus , & Theodoreetus animorum immortalitatem col-
ligunt . Nam , ut optimè arguit idem Theodoreetus , *Si*
homines prorsus interirent , & nec transirent ad aliam
vitam , minimè dixisset , appositus est ad populum suum .
(Siquidem appositus dicitur , quod est juxta , vel ad ali-
quid positum) *Hoc autem ipsum Deus omnium dixit*
Abrahæ , tu autem ibis ad patres tuos , in pace sepultus
in senectute bona . His adde populum propriè dici mul-
titudinem juris consensu & concordi communione so-
ciatam : cum ergo patres defuncti populus nominen-
tur , oportet ut post mortem quedam eorum societas per-
maneat . Vnde meritò Rupertus & alii putant per po-
pulum intelligi societatem justorum hominum , ad quam
colliguntur iusti morientes : adduntque non pauci
anima[m] mortuorum socialiter quasi in populo vivere , sive
in Cælo , sive in Limbo , ut erat tempore Abrahæ .

46 Sed , ut alia omittam , luculenter animorum im-
mor-

mortalitatem astruit illud quod Jacob accepto nuncio mortis Ioseph dixit Genesis c. 37. *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* In Hebreo habetur vox *Scheol*, quæ licet à quibusdam sepulchrum significare dicatur, tamen ibi nonnisi pro inferno inferiori seu limbo patrum usurpari valet: tum quia, ut notat Maluenda ibid. qui accuratius & majori studio Hebraica intospererunt, & loca ipsa Scripturæ inter se contulerunt, observant, vocem *Scheol*, plerunque in Scriptura pro loco mortuorum, sub terra posito esse usurpatum: & ab Hebreis sic dictum à radice *Schaal*, hoc est, *petiit*, eo quod gravia quæque deorsum perant ac tendant: vel quod infernus nunquam satiari possit, & nunquam dicat sufficit, sed semper nova postulet, ut habetur Proverb. c. 50. Unde & Postilio Deus quidam manum est appellatus, quasi postulatio, ut videre est apud Liliu Giraldum Syntag. 6. quasi proprium sit inferorum postulationes postulare: & subinde hic commodius vocem *Scheol* redi non posse, quam *infernum*. Quem idcirco Moses Deuteron. c. 32. vocat infernum inferiorem: & idem legitur Psal. 85. nimurum majoris explicationis causâ. Tum etiam quia Jacob filium suum Ioseph à bestiis devoratum credebat, ideoque insepultum esse: ergo non putabat, neque optabat ad eum descendere in sepulchro positum, sed in infernum inferiorem, puta in Limbum patrum, ubi Josephi mortui superstitem animam videre cupiebat, & se visurum sperabat: quoniam scil. ex majorum instructione, & traditione credebat animas in limbum descendere, & post mortem etiamnum vivere.

47 His adde, quod Deus Exodi c. 3. se vocat Deum Abraham, Isaac & Jacob. *Ego sum*, inquit, *Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob*. & non rectè diceretur Deus esse Deus corum, qui mortui erant, nisi quoad animas superstites & viventes essent, quia Deus non dicitur esse Deus alicujus, nisi vivat, & colat eum, ac veneretur; ergo dicendo eorum se esse Deum, aperte ostendit eos post mortem corporum vivere: quemadmodum præter alios innumeros egregie annotarunt Caeteranus & Lippomanus ibid. Ea de causa Christus redarguturus Sadducæos, qui animarum immortalitatem, & subiele-

resurrectionem earum negabant, hoc utitur testimonia
Matth. c. 22. dicens: *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, et Deus Jacob?* Non est Deus mortuorum, sed viventium. In quæ verba D. Hieronymus in Catena D. Thomæ hæc scribit: Considerandum, quod sermo hic ad Moysen jam factus fuerat sanctis ipsis Patriarchis jam pridem quiescentibus. Erant ergo quorum Deus erat, nihil enim habere poterant, si non erant, quia in natura rei est ut esse id necesse sit, cuius est alterum, atque ita habere Deum viventium est, cum Deus aeternitas sit, et non sit eorum quæ mortua sunt, habere id quod aeternum est, quomodo esse illi futuri semper negabuntur, quorum se esse profiteatur aeternitas. Et Origenes ibid. Deus etiam est, qui dicit: *Ego sum qui sum: sic ergo impossibile est, ut dicatur eorum Deus esse qui non sunt.* q.d. quod non est, non potest alium habere qui est, & semper habere: sed Abraham, Isaac & Jacob post mortem dicuntur habere Deum, & Deum qui est ipsum esse, & vivens immo ipsa vita; & semper illum habere: igitur oportet, eos post mortem in anima immortaliter vivere.

48 Insuper in Iobi historia, quam aliqui volunt ab eodem Moyse conscriptā, vel saltem in Hebraicum tractu-
dam, cum prius sermone Syriaco esset ab ipso Iobo
scripta, tot & tam preclara immortalitatis animorum ha-
bentur testimonia, ut omne dubium amovere satis sint.
Quid enim luculentius illo c. 19. *Scio enim quod redemp-
tor meus vivit, et in novissimo die de terra surrectu-
rus sum, et rursus circundabor pelle mea, et in carne
mea video Deum salvatorem meum.* Plena sunt hujus
sententiarum verba singula asseveratione, & merito, est
enim totius pietatis & sanctitatis fundamentum fides Re-
demptoris, immortalitatisque animorum ac resurrectionis
corporum. Ait igitur *Scio enim*, hoc est, certò no-
vi, & absque dubitatione, ac si res oculis mei subjaceret,
aut experientia didicisset, quod redemptor meus vivit
semper felix, semperque beatus, à quo vitam & bono
rum operum præmia spero, resurrectionemque mortuo-
rum futuram. Unde S. Hieronymus in Epist. ad Pam-
mach.

mach. Quid, inquit, hac prophetia manifestius? nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur. Sperat resurrectionem, timo novit et vidit. Eadem fere habent D. August. lib. 22. de Civit. Dei c. 29. D. Cyprianus in exposit. Symboli. D. Gregorius Mag. in eum loc. Cassiodorus lib. divin. lect. cap. 5. & alii. Vnde S. Irenaeus lib. 2. c. 56. quosdam Hæreticos hunc locum de resurrectione spirituali, & metaphorica exponentes redarguit; & eruditus Tertullianus lib. de resurrect. carnis c. 19. eosdem sapienter hac nota inussit: *Resurrectionem mortuorum manifestò annuntiatam ad imaginariam significationem distorsquent.*

49 Et forsitan ad hanc eandem veritatem alludens infra c. 29. ait: *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* Alii ut Tertullianus lib. de resurrect. c. 13. Tigurina, Caietanus, Rabbi Salomon vertunt, *sicut phœnix multiplicabo dies*, quoniam scil. idem nomen palinam, & avem hanc significat. Quidquid de hac re sit, mirum in modum favet hic locus ad stabilendam mortuorum resurrectionem, & perinde animorum immortalitatem. Et quidem phœnicem mortuam ad vitam redire testatur imprimis D. Clemens Romanus lib. 5. c. 6. scribens: *Narrant avem quandam esse unigenitam, qua resurrectionem affatim demonstrat.* Hanc dicunt non maritari, et unicè atque solitariè gigni, Phœnicem vocant. Qui etiam narrant quingentesimo quoque anno in Ægyptum ad aram Solis, quam vocant, cum multo cinamomo et cassia, ac xilobalsamo volare, et stantem ad Orientem Solem, ut aiunt, precari et sponte incendi, atque in cinerem redigi, ex cinere autem vermem renasci, atque ex eo tepefacto formari novam Phœnicem et cùm facta est volucris, ferri in Arabiam. Cui consentiunt communiter cæteri autores, etiam profani, inter quos Herodotus lib. 2. Plinius lib. 10. c. 2. Philostratus lib. 3. de vita Apollonti. Solinus c. 35. Oppianus, & Ovidius lib. 11. Metamorph. quod & eleganter descripsit Laetantius his carminibus:

*Paret et obsequitur Phœbo memoranda satelles,
Expectat radios, et iubar exoriens.*

*Illa ter alarum repetito verbere plaudit
Igniferumque caput ter venerata filet.
Tum legit aero sublimem vertice palmam,
Vitalique toro membra quieta locat.
Construit illa sibi seu nidum, sive sepulchrum,
Deposititanti nec timet illa fidem.*

De quodam autem genere palmæ Plinius lib. 13. c. 4. hæc scribit: *In meridiano orbe (inter genera palmarum) præcipuam nobilitatem obtinent Syagri, proximamque Margarides: eæ breves, candidæ, rotundæ, acinis, quam balanis similiores: quam paucem à margaritis accipere. Una earum arbor in Chora eæ traditur, una et Syragrorum: mirumque de ea accepimus, cum phænix ave, quæ putatur ex hujus palmae argumento nomen accepisse, emori ac renasci ex seipsa; eratque cum hæc prodarem fertilis.*

50 Præterea liber Psalmorum, cuius tanta est autoritas, ubique testimonii Animorum immortalitatem apertere stabilientibus plenus est. Nā imprimis psal. 24. dicitur *Anima ejus in bonis demorabitur, hoc est, Anima ihu beata erit in Cœlis, quemadmodum ex Chaldæo interpretatur Cenebrardus. Et psal. 26. Credo videre bona Domini in Terra viventium, hoc est, in Cœlesti regione, in vita æterna. Sicuti enim inferi dicuntur in S. Scriptura Terra mortuorum, ita & cœlestis patria Terra viventium. Insuper psal. 83. Beati, qui habitant in domo tua Domino, in facula sæculorum laudabunt te. Quæ sanè verba de hæc ærumnosa vita & miseriis plena, vix aut ne vix quidem intelligi valent: quis enim in ea beatus esse, & in perpetuum Deum laudare potest. Videndus D. Augustinus ibid. Et tandem psal. 141. Educ, inquit, de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant justi donec retribuas mihi. Accedit Ecclesiastes cap. 22. dicens: Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Si autem anima corrumperetur, ad Deum minimè rediret, sed in terram, quemadmodum & corpus. Præterea Sap. c. 3. *Justorum, inquit, animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & affinita est afflictio ex i-**

exitus illorum , illi autem sunt in pace : & si eorum hominibus tormenta passi sunt , spes illorum immortalitate plena est . Et iterum c. 5. Justi autem in perpetuum vivent , & apud Dominum est merces eorum . Insuper Tobias c. 4. dicit filio suo : Cum acceperit Deus animam meam , corpus meum sepeli . Et tandem nullus est Sacrae Scripturæ liber in quo hæc veritas de immortalitate Animorum non insinuetur , & tam constans est apud fideles hæc veritas , ut D. August. epist. 3. ad Volusian. scribat : Quis nunc est extremus idiota , vel quæ muliercula , quæ immortalitatem animæ non credat , vitamque post mortem futuram .

51 His accedit , quod Hebræorum Philosophi perpetuo Animorum immortalitatem docuerunt . Et impri- mis quidem Essæi doctrina & virtute præstantissimi toti fuerunt in Animorum immortalitate prædicanda , ut scribit Cælius Rhodig. lib. 3. cap 9. Essæi , inquit , summi omnium atque maximi sunt à sanctitate , sicut mihi videtur nuncupati :: triplici regula vitam transfigunt , Amore in Deum ardentissimo , Virtutis cultu diligentissimo , Charitate in proximum ferventissima :: Animas putant immortales . Præterea Pharisei qui fuerunt apud Hebraeos summo semper in honore habiti , ac viri primates , eodem referente , Iudicium Dei sentiunt futurum , nam Animas astruunt immortales :: ob hac ipsorum dogmata populis unicè grati . Et paulò infra : Phariseorum plac ita Apostolus Paulus vehementer extulisse videtur , cum ait : Israelites , inquit , sum , lege Pharisæus . Idem illis tribuit Josephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. Et denique eandem veritatem universum sere populum Hebraicum fuisse professum argumento est tum religiosa observantia in sepeliendis mortuorum corporibus , cum etiam epitaphia sepulchris eorum incisa , nimirum . Sit Anima ejus in horto voluptatis , vel , sit Anima ejus in fasciculo vita . Soli Sadducæi leguntur Animas fecisse mortales . Quorum autoritas omnino contemnenda & abjicienda venit ; tum quia , ut alibi ostendimus , initium habuere à quodam Sadoc , qui paternæ legis prævaricator ad Samaritanos deflexit , & ibi sectam instituit : tum quia Sadducæi fuerunt homines pessimis moribus :

de quibus idem Cælius Rhodig. sub jungit: Eorum, qui in ejusmodi Philosophia profecerint, mira paucitas est: discrepart inter se moribus feris, invicemque sunt perinde ac in exteris inhumani. Deum extra omnem mali patrationem, inspectionemque constituunt. Unde cum Pharisæi & Scribæ tam multa Christo docenti objecisse reperiantur, nunquam tamen ipsi, vel alii, exceptis Saducæis, tam multa de immortalitate Animæ, & statu illius post mortem docenti Salvatori aliquid in contrarium objecisse reperiuntur. Quod evidentissimum signum est fuisse inter Hebræos hanc de immortalitate Animorum sententiam receptissimam.

§ 2 Si alias nationes quæ doctrinæ ac sapientiæ laude primis illis temporibus floruisse leguntur, adeamus, projectò omnes istas constantissimè Animorum immortalitatem agnoscisse, credidisse, ac statuisse reperiemus. Et quidem Chaldæos atque Indos ita sensisse autor est Pausanias lib. 4. in Messen. scribens: *Chaldeos, & Indorum Magos memoriae prodidisse novi, Animos hominum esse immortales. A sensi deinde sunt eis, tum alii Græcorum, tum Aristonis filius Plato.* Et certè Zoroastris Oracula Paradisum quendam, in quo post mortem Animæ degenerent decernunt; Videndus Cæsar Longinus lib. de Oraculis Chaldæor. Refert etiam Eugubinus lib. 6. de perenni Philos. c. 15. & explicat vetustissimam illam Animæ descriptionem, apud eosdem Chaldæos celebrem: *Anima ignis potentia Patris existens lucidus, immortalis manet, & vita domina est, atque simu retinet Mundi multas plenitudines.* Et cit. Rhodig. lib. 3. c. 6. Hæc, inquit, Magorum princeps, Zoroastes cecinit, ad verbum fere translata sententia: *Hominum Anima Deum quodammodo contrahit ad seipsum, quando nihil retinens mortale, tota divinis haustibus inebriatur.*

§ 3 Sed potissimum sapientissimus ille Mercurius Trismegistus, cuius doctrinam & sapientiam tota Ægyptus venerata est atque secuta, apertissimè veritatem hanc professus est. Etenim naturam hominum describens dixit: *Et idem, scil. Deus, ex utraque natura immortalis et mortali unam faciebat naturam hominis, eundem partim immortalitem, partim mortalem*

lem ficiens : et hunc ferens in medio divinae ac immortalis naturae, et mortalis mutabilisque collocavit, ut omnia videns omnia miraretur. Et in Asclepio in princip. O Asclepi omnis Anima humana immortalis. Eandem veritatem docet ibi c. 2. & 2. Et ut cœteria præmittam, Herodotus lib. 2. hanc fuisse Aegyptiorum receptissimam opinionem tradit: Brachmanas etiam Indorum sapientissimos in hac versatos opinione narrat Philostratus in Vita Apoll. lib. 3. idem illis tribuit Strabo lib. 15.

Sed Græcos, qui maximè de sapientia ac doctrina inter ceteras nationes extolli & laudari consueverunt, universim hanc sententiā fuisse amplexatos constat. Et imprimis quidem Græci Vates, vel Theologi, quos Plato sapientie patres atque duces appellat, itemque Deorum filios, hanc veritatem constantissimè docuisse reperiuntur. Et quidem Homerus Iliad χ de Hectore ab Achille imperfecto ita canit:

*Sic itaque hunc locutum finis mortis obtexit,
Anima autem ex membris avolans inferos adiit.*

Eandem veritatem decantat Homerus pluribus aliis in locis; sed præsertim Iliad. ¶ ubi refert animam Patrocli Hectoreo ferro perempti apparuisse Achilli, cum que de sepultura & sui ipsius morte admonuisse. Quapropter jure optimo Plutarchus in vita Homeri ascribit, firmam constantemque de animorum immortalitate ejus fidem extitisse. Hesiodus etiam, qui iisdem fere temporibus vixisse fertur, inter alia de heroibus loquens scribit, eorum animas in beatorum insulis juxta Oceanum profundum feliciter habitare. Orpheus etiam in hymno ad Mercurium ait, ipsum animas post fatum sub inferiora terræ deducere. Et hymno ad Titanas eandem veritatem de immortalitate animarum profitetur. Unde Plato ei transanitionem sicuti & Pythagoræ ascribit dicens: *Vetus fama est Orphica et Pythagorica, quæ dicit animas iterum ad corpus, itemque à corporibus educit, idque in circulum sæpe.* His successit Pherecydes, qui diviniore quodam afflatus paritus ita canit: *Animæ enim manent incorruptionibiles in mortuis: Spiritus enim est, usus mortali-*

bus, & *imago*: *corpus enim ex terra habemus*, & *omnes ad ipsam soluti pulvis sumus*, aer vero iterum *spiritum recipit*: id est, *Aethereum Cœlum*, divinum illud *domicilium*, unde *animus demissus est*, iterum illum recipit. Pythagoram illius discipulum cum suis *sextatoribus* in eadem de immortalitate animorum opinione versatum nullus est, qui jure dubitare posset. Nam Cicero lib. 1. *Tuscul.* ita de illo scribit: *Pheracydis opinionem de animorum aeternitate discipulus ejus Pythagoras maximè confirmavit*. Unde Epicharminus præcipuus illius auditor, apud D. Clementem Alexand. lib. 4. *Stromat.* ait: *Si fueris mente pius, nihil mali patieris, cum fueris mortuus, sursum in Cœlo permanet spiritus*. Et à Plutarcho in *Orat. Consol.* introducitur ita loquens: *Concreta sunt, & discreta sunt, & abierunt unde venerunt, terra quidem in terram, spiritus vero sursum*. His accedit Pindarus, quem ad probandam immortalitatem diuinus Plato in *Mem.* adducit; ubi introducit Socratem dicentem: *Tradunt præterea Pindarus & ceteri quicunque poetarum divini sunt hominis animam immortalem esse*. Et D. Clemens Alex. cit. lib. 4. *Strom.* hæc ejusdem Pindari verba exscribit: *Impiorum autem animæ sub Cœlo volant in cruentis doloribus sub malorum jugis inevitabilibus: piorum autem in Cœlis habitant*. Videndus ipse Pindarus in *Olympieis Ode 2.* Eandem veritatem professus est Euripides in *Supplicibus* actu 5. Melanipedes etiam apud D. Clement. Alex. lib. 5. *Stromat.* Anacreon, Aristophanes, Sophocles, Aeschylus, Menander, & alii vates uno ore hanc veritatem decantarant, uti ex citatis Divini Platonis verbis constat.

Sed & Philosophi Græci in aliis rebus multum discordes, in hac veritate concordes inveniuntur usque ad Epicurum, & alios quosdam hujus farinæ deliros homines. Nam imprimis Thales Milesius Ionice Philosophia princeps & Græcorum sapientissimus Apollinis oraculo declaratus Animæ immortalitatem aper-te statuisse refertur, ut videre est apud Suidam, & Diogenem Laertium lib. 1. Quam cæderem veritatem

conf-

constantissimè illius discipuli docuerunt ; inter quos Anaximenes , de quo refert Laërtius lib. i. quod cui-dam illi importune exprobranti , quod patriæ nullam prorsus curam haberet , responderit : *Mibi patræ cu-ra & quidem maxima est , ostendens Cœlum.* Deinde Heraclitus , esto omnia in continuo fluxu versari existimarit , tamen arbitratus est animas post mortem superstites vivere , & per aërem cum Dæmonibus vagari . Et de codem refert Arist. lib. i. de anim. text. 32. quod cum illo idem de Anima senserit Alcmæon , qui Animam fecit immortalem & interitus expertem . Idem sensisse fertur Democritus , tum quia doctrinæ Pythagoricæ omnino addictus fuit , tum etiam quia integrum elaboravit opus de his , quæ in inferno sunt , sive aguntur : tandem quia eum Chaldæis Animam dixit ignem quendam : patet autem Chaldæos Animam esse ignem lucidum potestate Patris immortalis . Eandem Animæ immortalitatem astruxit Empedocles , siquidem se post mortem Deum fore immortalē publicavit . His merito adjungendus Xenocrates , qui lib. de morte hunc in modum ratiocinatur :

„ Non est timendum homini de putrefactione futura ,
 „ & sensuum amissione , quia dissoluto eo , quod com-
 „ possum fuit , & anima in proprium locum abeun-
 „ te , hoc quod restat terrenum & irrationale corpus ,
 „ homo nullo modo est . Nos namque sumus anima ,
 „ immortale animal in habitaculo mortali clausum ;
 „ idque umbraculum malum ad malum natura con-
 „ truxit , ubi plures morbi , pituitæ , corruptiones ,
 „ dulcia adulterina , fluxa , caduca , & plurimis per-
 „ mixta molestiis . quibus anima necessariò condolet ,
 „ per singulos diffusa meatus ut singula vincat . Quo
 „ fit ut cœlestem , cognatumque ætherem jam deside-
 „ ret , sicutque vitam chorumque supernum . Nam vi-
 „ ta hujus amissio à malo in bonum est transitus . Quæ
 „ verba exscripsit Petrus Greg. Tholof. lib. de immortal.
 „ animæ . Eandem viam secutus est Cratippus , ut vi-
 „ dere est apud Ciceronem lib. i. de divinat. Insuper
 „ ~~Sæc.~~ omnes esto existimarint tandem aliquando Mun-
 „ dum omnem igne conflagaturum , & abiump̄am iri ,

tamen animas post corpora superstites esse arbitratī sunt. Eandem Animæ immortalitatem egregie deprædicarunt Xenophanes apud Laërtium, Isocrates orat. 2. ad Nicoclem, Xenophon lib. 5. de dictis & factis Socratis, & lib. 8. Cyri Pæd. Maximus Tyrius serm. 25. & 28. Epictetus & Arianus passim in Enchirid. Plutarchus pluribus in locis, præsertim verò lib. de se-ra Numin. Vind. & alii communiter.

56 Sed præ ceteris Philosophis antiquis Animorum immortalitatem stabilivit divinus Plato cum suis sectatoribus: quippe qui lib. 10. de Repub. postquam Animam rationalem ab omni interitu prorsus liberam, protulit, adjicit: *Mysteria hæc de immortalitate Animæ adamantinis rationibus probata sunt.* Et in Phæd. Socratem iotroducte dicentem: *Vetus hic sermo extat, cuius memores sumus, abire quidem illuc animas defunctorum, rursusque reverti.* Et lib. 12. de leg. ait: *Revera unumquemque nostrum secundum animam immortalem esse, eamque ad Deos alios proficisci, rationem suorum operum reddituram, ut lex patria continet.* Ubi veterem hunc sermonem vocat, & legem patriam. Quod & prius dixerat lib. 11. de leg. scribens, sermonibus de immortalitate animæ credendum, *cum sint tam triti, tamque antiqui.* Quo etiam testimonio utitur Tullius lib. 1. Tuscul. *Divino, inquit, igitur instinctu locuti sunt dicentes, famam de animorum aeternitate esse vetustissimam, autoritate priscorum sæculorum confirmatam à patribus per continuam successionem, quemadmodum notitiam Dei traditam.*

57 De Aristotele equidem in dubium revocari multis solet, an Animam rationalem mortalem fecerit: veruntamen cum constantissimam veterum opinionem de immortalitate Animorum illum secutum fuisse multis probari potest, è quibus pauca feligemus. Prima sit illa, quam eruditus Licetus lib. 4. de immortal. Animæ ration. c. 105. proponit desumpta ex libro de virtutib. ubi de speciebus iniustitiae loquens præclarum hujus immortalitatis testimonium reddit, scribens: *Iniustitiae autem sunt species tres. Impietas, Ava-*

Avaritia, immanior improbitas. Impietas quidem est aduersus Deos, & Dæmones, & circa defunctos &c. sed aduersus Deos & Dæmones nulla jam esset impietas, nisi illi mentes quedam essent realiter in rerum natura existentes, quippe nemo potest esse injustus vel impius aduersus id, quod revera non est: ergo ponens impietatem esse aduersus defunctos supponit illos revera esse: nec impietatem vocare potuit, quæ sola cadavera respiciat, cum optimè nosset cadavera instituo Patriæ variis modis male affici; suorum siquidem cadavera Græci, Romani, ac Indi rogo comburebant: alii vermis & putredine turpiter absumenta terræ mandabant; Trogloditæ cum risu lapidabant saxorum mole operientes: Indorum plerique comedebant; alii vulturibus dilanianda exponebant; Scythæ variis vulneribus transfodiebant ea sagittantes; Colchi suspendebant arborum ramis, Massagetae sub nive glacieque condebant; alii canibus, idcirco sepulchralibus nuncupatis, dilanianda tradebant; Tbareni crucifigebant, Ictiophagi & Loto-phagi in mare præcipitabant; qui singuli, & alii hujusmodi, jura patria servantes impietas nota non affiebantur, et si tot modis cadavera suorum male haberent: non igitur impietas erga defunctos est, quæ circa impiorum cadavera versatur; intellexit ergo Animas superstites morti corporum esse.

58 Secunda desumitur ex lib. 1. Magn. Moral. c. 2. ubi Animam esse immortalem principium scientiæ ac demonstrationis statuit, ceu quid certissimum & ab omnibus fere hominibus receptum dicens. „Expedit siquidem sua cuiuslibet sumere principia: absurdum enim sit volenti ostendere triangulum duobus rectis æquales habere angulos sumere principium hulusmodi, Anima immortalis est: oportet siquidem principium suum esse ejus rei, de qua agitur, atque conjunctum: nunc vero absque eo quod Anima sit immortalis demonstraverit quispiam duobus rectis æquales habere triangulum. Et lib. 1. Topicor. inter axiomata Sapientibus probata recenser dogma illud, quo statuitur, Animam esse immortalem. Præterea lib. 2. Topic c. 2. hæc de Genus scribit: Similiter autem & ingenia-

sum, cuius fuerit Genius studiosus: quemadmodum Xe-nocrates inquit, ingeniosum eum esse, qui Animam sortitus est; ipsam enim unicuique esse Genium. Ex quibus verbis constat quod Aristoteles Genius Animas ex stimarit humanas tam corpori societas, quam ab eo se paratas. Cum ergitur ipse met Aristoteles 4. Ethic. c. 2. numen Geniis attribuerit, statueritque illis debere ædificari templa, & offerri sacrificia, cum tamen senserit haec homini mortali condi & offerri non debere, manifestè constat, illum omnino existimasse, Animas rationales post mortem corporis superstites esse, ac vitam felicem agere, saltem quæ fuerant in hac vita virtutibus ornatae. Insuper lib. 7. Politic. c. 12. constituit, tempora distributa esse debere per regiones partim Diis, partim Heroibus: ubi per heroas intelligi homines virtute præstantes & vita functos, in felicitateque degentes certum est: nam heroibus in hac vita degentibus honores quidem decrevit, non autem tempora dicari volvit, aut sacrificia offerri. Tandem, ut alia innumera omittamus, quibus ostendi potest ipsum Animæ immortalitatem imprimis asseruisse, videnda apud Licetum de immortal. Anim. ipse lib. 7. Ethic. c. 1. ait homines ob virtutis excellentiam divinos effici, seu fieri Deos: quod non alia ratione dici potuit, nisi quia homines virtute præstantes post mortem ad immortalem Deorum sortem ac felicitatem transferrentur: quemadmodum communis eorum temporum erat opinio.

59 Tandem Aristotelem fecisse Animam rationalem immortalem potissimum ex eo convincitur, quod omnes illius Discipuli, uno Alexandro Aphrodiseo dempto, in hanc sententiam iniverunt. Et imprimis quidem Theophrastus ipsius Aristotelis auditor, & designatus ab eo Scholæ successor eam sententiam cum Aristotele docuit, ut testatur Marsilius Ficinus in comment. illius Opusculi, Patritius, ac Priscianus Lydus. Eandem viam sectatus est Hermias Eunuchus ejusdem Aristotelis discipulus, ut testatur Suidas his verbis: *Ab Aristotele, inquit, eruditus Hermias scripsit, quod Anima sit immortalis.* Quomodo autem si mortalem esse Animam pro cessus fuit, Hermiam potuisset erudire, quod Anima

fit immortalis? Eandem sententiam tribuit Aristotelis & Theophrasto Themistius lib. 3. de Anima c. 36. Similiter Ammonius in lib. Periherm. sect. 4. Immo Ioannes Grammaticus lib. 1. de Anima t. 66. dementes eos vocat, qui existimant Aristotelem Animam fecisse mortalem. Aristoteles, ait, *vult ipsum intellectum esse immortalem, hoc est, per se rationalem Animam: dementes ideo sunt, qui putant ipsum opinari, eam esse mortalem.* Eandem opinionem illi ascribunt Simplicius lib. 1. de Anim. com. 20. Plethon apud Cœlum Rhodig. lib. 3. c. 2. & Plutarchus lib. 1. de placit. c. 25. scribens: *Aristoteles somnum corpori cum Anima facit communem: Animam esse immortalem.* Id ipsum senserunt Arabes Aristotelis Interpretes ut Algazel, Avicenna supra citati, & Averroës 3. de Anim. com. 5. ubi asserit opinionem Alexandri Aphrodisi Animagam afferentis corruptibilem, maximè distare à verbis Aristotelis, & ab ejus demonstratione. Et paulò infra: laudat Anaxagoram in hoc quod dicit, quodd intellectus non est mixtus cum corpore. Eandem sententiam illi tribuunt Latini omnes Interpretes. D. Alb. M. 2. p. sum. de hom. & lib. de orig. Animæ tr. 2. c. 5. & seq. D. Thomas 1. p. q. 75. & pluribus in locis. Scotus Quodlib. 21. Et alii communiter. Solus itaque Alexander inter classicos Aristolelis Interpretes, ut etiam notavit D. Alb. Mag. ibid. existimavit questionem de Animæ immortalitate apud Aristotelem esse problema quoddam. Cui certè minime assentendum ei refragantibus cœteris Interpretibus: eò præser- tim quod eum palinodiām recantasse viri eruditī probent.

60 His omnibus accedit, quod Aristoteles ad Alexan. Mag. scribens immortalitatem Animorum illi egregie deprecicat. Duarum in præsenti illius epistolarum mentionem faciunt autores. Prima quidem est, de qua Cœsar Bertolius hæc refert: „Aristoteles in quadam „sua epistola ad Alexandrum, in qua quid senserit Pla- „to de Animarum statu ei explanat; quidque sit in hac „materia sentiendum insinuat dicens: Quare, Alexan- „der, te toto Animo ad virtutes & scientias capessendas „accinge, rejiciens vitia, ne post mortem Anima tua trif-

„ stetur æterno tempore . Hucusque Bertoliūs . Quæ
 mirum in modum quidam cum his , quæ scribit idem
 Arist. Ethic. c. 11. Secundam epistolam resert Patri-
 tius his verbis: „ Dubito quorumnam , vel qualum Prin-
 „ cipum me capiat ad te , in quæcunque enim respiciens
 „ mentem conscientio , omnia mihi videntur magna & ad-
 „ mirabilia obliuione nihil dignum video : memoria ve-
 „ rò propria & adhortationis , quorum nihil ullum ob-
 „ scurabit tempus . Bonæ enim præceptorum admoni-
 „ tiones & adhortationes spe latorem habent æternita-
 „ tem . Quare admittere principatum non in iniuriam ,
 „ sed in beneficentiam componere , quorum nihil majus
 „ eorum , quæ in vita , natum est ; quare & mortalis na-
 „ tura sæpe à necessitate dissoluta incorruptibilis ob ma-
 „ gnitudinem operum consequitur memoriam . Hucus-
 que Patritius .

61 Eandem doctrinæ viam secuti sunt unanimiter La-
 tini , quemadmodum ex innumeris eorum autoribus
 comprobari potest . Et imprimis quidem Tullius Ennius
 vetustissimi poetæ autoritate communibusque Romanæ
 religionis cæremoniis ac juris Pontificii decretis hanc
 sententiam stabilit lib. 1. Tuscul. Scribens: „ Itaque
 „ unum illud , inquit , erat insitum priscis illis , quos Cas-
 „ cos appellat Ennius , esse in morte sensum , neque ex-
 „ cessu vitæ sic deleri hominem , ut funditus interiret . Id
 „ que cum multis aliis rebus , tum ex Pontificio jure , &
 „ cæremoniis sepulchrorum intelligi licet , quas maxi-
 „ mis ingenii prædicti nec tanta cura coluisseint , nec vio-
 „ latas tam inexpiabili religione sanxissent , nisi hæsisset
 „ in eorum mentibus mortem non interitum esse omnia
 „ tollentem atque delentem , sed quandam quasi mi-
 „ grationem , commutationemque viæ , quæ in claris vi-
 „ ris ac feminis dux in Cælum soleret esse , in cœteris hu-
 „ mi retineretur & permaneret tamen : ex hoc & nostro-
 „ rum opinione

Romulus in Cælo cum Diis agit ævum

Ut famæ assentiens dixit Ennius .

Exstat ejusdem Enni epistaphium de Scipione Africano ,
 quo assert , si cuiquam , illi maxime ob egregia facta cœ-
 lestem referari sedem .

62 Insuper M. Varro, quo nemo unquam doctior vi-
xit, ut ait Lactantius lib. 1. Divin. Institut. c. 6. refe-
rente D. Augustino lib. 7. de Civit. Dei c. 23. dixit Ani-
mo similes homines Deo, & perinde immortales sicut
de illum. „ Varro, inquit, in libro de Diis selectis tres
„ esse affirmat Animæ gradus in omni, universaque na-
„ tura: Unum, qui omnes partes corporis, quæ vivunt,
„ transit, & non habet sensum, sed tantum ad vivendum
„ valetudinem: hanc vim in nostro corpore permanere
„ dicit inesse, unguis, capillos; sicuti in Mundo arbores
„ sine sensu aluntur, & crescunt, & modo quodam suo
„ vivunt. Secundum gradum Animæ dicit, in quo sensus
„ est, hanc vim pervenire in oculos, nares, aures, os, ta-
„ ctum. Tertium Animæ gradum esse summum, qui
„ vocatur Animus, in quo intelligentia præeminet, hoc
„ præter hominem omnes carere mortales; in qua qui-
„ dem homines videntur Deo esse similes.

63 His accedit eloquentiæ latinæ princeps Cicero, qui tandem veritate cœwiatus non uno in loco Animam af-
serit immortalem, idque rationibus suadet ut plurimum ex Platone allatis: & ut plurima illius testimonia omit-
tam. lib. de senect. ita scribit: „ Vestros Patres P. Sci-
„ pio, tuque C. Læli, viros clarissimos, mihiique amicissi-
„ mos vivere arbitror, & eam quidem vitam, quæ est
„ sola numeranda: nam dum sumus in his inclusi com-
„ pagibus corporis, munere quodam necessitatis & gra-
„ vis opere perfungimur: est enim Cœlestis Animus ex
„ altissimo domicilio depresso, & quasi demersus in ter-
„ ram, locum divinæ naturæ, aternitatique contra-
„ rium. Sed credo Deos immortales sparsisse Animos in
„ corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, qui-
„ que cœlestium ordinem contemplantes imitarentur
„ eum vitæ modo atque constantia. Et statim rationem
reddens cur iam firma fide immortalitatem Animorum
crederet, cum prius de ea re anceps videretur, ut pater
lib. 1. Tuscul. statim subjungit: „ Nec me solùm ratio
„ & disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas
„ etiam summorum Philosophorum & autoritas. Au-
„ dieram Pythagoram, Pythagoreosque, incolas pene
„ nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nomi-
„ nati,

„nati , nunquam dubitasse , quin ex universa mente di-
 „vina delibatos Animos haberemus . Demonstrabantur
 „mihō præterea quæ Socrates supremo vitæ die de im-
 „moralitate Animorum disseruerat , is qui esset sapientis-
 „simus oraculo Apollinis judicatus . Quid multa , sic mi-
 „hi persuasi , sic sentio : cum tanta sit celeritas Animorum ,
 „tanta memoria præteriorum , futurorumque prudentia ,
 „tot artes , tot scientiæ , tot inventa non posse eam natu-
 „ram , quæ res eas contineat esse mortalem . Et quod
 majus pondus verbis illius assert , est , quod alibi testetur ,
*Ut Deos esse opinamur , qualesque sint ratione cognosci-
 mus , sic permanere Animos arbitramur consensu omnium
 nationum .* Et iterum lib. de amicit. asserit opinionem
 de mortalitate & interitu Animorum recenter invectam
 esse , nimirum ab Epicureis , quorum , & aliorum Philo-
 sophorum Græcorum Philosophia Romam illis fere
 temporibus deuicta fuerat . Neqæ enim . ait , assentior
 iūs , qui hæc nuper disserere cœperunt ; cum corporibus
 scil. Animos nostros simul interire , atque omnia morte
 deleri . Plus apud me valet nostrorum autoritas , vel
 nostrorum majorum , qui mortuis tam religiosa jura tri-
 buerunt , quod non fecissent profectò , si nihil ad eos per-
 tinere arbitrarentur .

64 His adjungendus insignis ille vir ac doctrinæ præ-
 stantia præclarus Seneca , qui in Animorum aeternitate
 probanda totus esse videtur . Consulendus præsertim in
 præfat. lib. nat. quæst. tum epist. 31. 65. & 92. nec non
 epist. 102. ubi inter cetera scribit : *Cum venerit dies il-
 le , qui mixtum hoc divini humanique secernat , corpus
 hoc ubi inveni relinquam ; ipse me Diis reddam :* Dies
 iste , quem tanquam extremum reformidas , aeterni na-
 talis est . Accedit Salustius de bello Iugurth. suo insigni
 calculo hanc veritatem obsignans : Ingenii , ait , egregia
 facinora , sicut Animæ , immortalia sunt . Et paucis in-
 terjectis . *Omnia orta , inquit , occidunt , & aucta senes-
 cunt , Animus incorruptus , aeternus &c.* Eandem veri-
 tatem professus est , & multis stabilivit Macrobius lib. 1.
 Saturnal. c. 13. & lib. 2. in Somn. c. 13. 14. & 15. Qui-
 bus subscripte Virgilius præsertim lib. 6. Aeneid. Ho-
 ratius lib. 1. carmin. od. 10. & lib. 3. od. 30. atque alibi
 lape .

sæpe. Persius satyra 2. Silius Italicus, Juvenalis satyra 5. Manilius lib. 4. Claudianus lib. 2. de raptu Proserpinæ. Propertius lib. 4. elegia 7: & Ovidius lib. 15. Metamorph. canens .

Morte carent Animæ, semper priore relicta

Sede, novis domibus vivunt, habentque receptæ.

Denique Latini omnes, uno excepto Lucretio, & aliis paucissimis, immortalitatem Animorum unanimiter tenuerunt.

65 Tandem, ut uno verbo concludam, omnium gentium & nationum etiam exterarum, ac ferarum communis & unanimis consensus, atque professio hæc fuit, non interire Animas, sed vivere immortales. Ita senserunt Arabes, & inter eos præstantissimi Philosophi Avicenna p. 5. Natural. & Algazel in comment. lib. Phys. Idem senserunt Persæ, Thraces, Arcades: veteres etiam Galli, & eorum sapientes, vocati Druydæ, de quibus nos alibi, & Ualerius Max. lib. 2. de eis scribit: „Uetus mos Gallorum occurrerit, quos memoria proditum est, pecunias mutuas, quæ iis apud Inferos redderentur, dare: quia persuasum haberent, Animas hominum immortales esse. Gothi etiam, ut videre est apud Ludov. Vives præfat. in lib. de Civit. Dei, candem veritatem crediderunt.

66 Oportet igitur immortalitatis sensum esse à natura inditum, ac illos à naturæ principiis abhorrere, qui au-sint illam diffiri: nec istorum judicio & opinioni posse quempiam sapienter atque prudenter adhærere, cum constet eos & numero paucos, & moribus depravatis ut plurimum fuisse. Simile est enim quod Cicero lib. 1. Tuscul. de natura divina scribit: „Licet, inquit, multi de Diis prava sentiunt (id enim vitioso more effici solet) omnes tamen esse vim, & naturam divinam arbitrantur; neque id collocutio aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus, ut proinde firmissimum hoc afferri videatur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio.

67 Unde esto scribant quidem in novo orbe detectas

esse aliquas gentes adeo ferarum similes , ut illas nulla Animorum immortalitatis opinio imbuerit , hoc præjudicium aliquod communi omnium gentium consensui afferre nullatenus potest : tum quia maxima saltē earundemmet regionum pars sic immortales Animos putat , ut illis etiam , vel transmarina , vel transmontana assignet loca : & cùm deprehendantur aliunde exhorrescere Dæmonem , seu malum quempiam genium , perterreri nocturnis spectris , permoveri præstigijs , constat si quis ad vivum omnem eorum persuasionem resumpserit , inventum iri creditam omnibus Animorum immortalitatem : licet apud ejusmodi gentes forsitan sint aliqui depravatorum maximè morum , qui illam insipientur . Tum etiam quia quædam paucæ hujusmodi regiunculæ non sufficiunt contra universitatem gentium in hac opinione de immortalitate Animorum consentientem solidam persuasionem de illorum interitu stabilire . Ut eam licet aliqui nascantur unipedes , aut mortem sibi ipsis conscient , non argumentamur propterea non esse homines bipedes , aut propagandæ vitæ appetitu naturaliter teneri ; ita quamvis aliqui extent , quibus ratio male fana mortales Animos persuadeat , non idcirco opposita cæterorum persuasio habenda est non naturalis . Et licet quidam Philosophi id senserint , non est eorum habenda ratio , cùm & alioquin alia multa perabsurda docuisse reperiantur , & alii quamplures melioris notæ , sapientiæ , ac vita Philosophi oppositum asseruerint . Quorum consensus autoritate Ecclesiæ , & totius Christianismi consensu confirmatus invenitur , quæ inter præcipuas Christianæ Religionis veritates hanc de immortalitate Animorum recenser , ac constantissimè tuerur , ut dicetur infra .

68 Dices forsitan , potuisse hoc primorum legumlatorum commentum fuisse ad continendos in officiis suis populos , adeo ut exinde persuasio transfusione quædam permanaverit , ac tanto facilius radices egerit , quanto vitam amantibus nihil potuit gratius immortalitate promitti . Contra : quia sicuti singulares sunt nationes & gentes , ita & singularibus ac distinctis legibus gubernari consueverunt , nec est facile eandem

legem in omnibus populis reperire communem , nisi sit quedam lex naturalis aut naturae multum consonantia , quemadmodum ea quae est de curandis liberis , & honore parentum: quae vero ad inventae ad continentos in officio populos sunt apud diversos diversae : sed doctrina de immortalitate Animorum est ab omnibus saeculis apud omnes gentes receptissima , esto speciales leges de fide illius latet non reperiuntur : ergo oportet esse veritatem quandam naturaliter hominum Animis insertam , & cum ipso rationis lumine natam . Præterea si quae aliquando opinio falsa apud gentes invaluit , temporis decursu defluxit , hominibus contrarium expertis , ut est opinio quod Antipodæ non essent ; & quidquid falsitatis in opinionibus gentilium reperitur , neq; in Veteri Lege , neque in Lege Evangelica aliquando à populo Dei legitur acceptata , sed semper reprobata , ut de idolatria constat : at fides de Animorum immortalitate à Sacra Scriptura , præsertim vero in Lege nova invenitur à populo Dei semper habita : ergo illa ut verissima habenda .

69 Accedit tandem his communis Patrum Ecclesiæ consensus , præsertim D. Chrysost. hom. 4. de provid. & fato. D. Isidor. lib. 1. de sum. bono cap. 14. D. Ambros. lib. de bono ment. c. 9. & 10. ubi veritatē hanc adducit pluribus Sacrae Paginæ testimoniis confirmat. D. August. super Joan. tr. 23. & 47. & in epist. ad Volusianum: ubi ait: *Quis nunc est extremus idiota , vel quæ abjecta muliercula , quæ non credit Animæ immortalitatem.* Eadem veritatē Catholicam tino ore profitentur Theologi ac Philosophi cum D. Thoma 1. p. q. 75. a. 6. & lib. 2. cont. gent. c. 78. & 79. D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 58. ar. 2. estque hæc veritas autoritate Sacrae Scripturæ sancta ; definitaque in Concil. Lateran. ultim. sub Leone X. sess. 8. ubi ita habeatur: *Damnamus , & reprobamus , Sacro approbante Concilio , omnes asserentes animam intellectivam esse mortalem.*

CAPUT SECUNDUM.

Aliis rationibus eadem veritas stabilitur.

70 Secunda ratio desumpta ex D. Th. & D. Alb. M. locis cit. procedit in hunc modum: omnis substantia intellectualis est incorruptibilis: sed anima rationalis est hujusmodi: ergo est incorruptibilis, & immortalis. Min. experientia ipsa comprobata manet. Maj. vero probatur: nulla substantia intellectualis est composita ex materia, & forma: sed nihil in corruptionem abit nisi per dissolutionem formae à materia: ergo substantia spiritualis corrumpi nequit. Min. prob. res per corruptionem non abit in nihilum; quia non esset corruptio, sed annihilation, quam natura non novit, sicut nec productionem ex nihilo; cum sit primi & infiniti entis operatio: ergo oportet ut unum destruatur, & aliud maneat, quemadmodum in omnibus rebus naturalibus accidere quotidiana experientia docet. Et esto anima ex esse, & essentia componatur: unum altero manente destrui nequit: ut per se evidens est. Nec enim dici sanè potest essentiam suo proprio esse destitutam sub alio esse manere: quia nunquam mutatur res nisi ad ipsius esse mutationem.

71 Multò minus dici potest, equidem animam rationalem per se non corrumpi, bene vero per accidentem, & corruptione corporis, à quo dependet ceu à propria materia cuius ipsa est perfectio & forma. Nam anima humana est incorporea, & subsistens per se: ergo nequit per accidentem ad corruptionem corporis corrumpi. Consequenter probatur: illud per se subsistens dicitur, quod esse per se, & à quocunque alio independens fortitur; sicut individua dicuntur per se subsistentia, quia per se sunt, nec in suo esse ab aliis individuis dependent: capropter unum ad corruptionem alterius non corrumpitur, sed corrumpitur per se actione corruptiva ad se terminata: accidentia vero aut aliæ formæ substanciales, præter rationalem, & humanam, non subsistunt per se, nec corrumpuntur; sed producun-

rum, ac corrumpuntur ad productionem, & corruptionem compositi in quo sunt: ergo si anima est forma per se subsistens, evidenter sequitur eam non esse corruptibilem per accidens ad corruptionem corporis. Quod autem anima rationalis sit incorporea, & per se subsistens, fusè satis probatum reliquimus art. i. hujus quæst. Qui plura desiderat, consulat. M. Bannez p. p. qu. 75. art. 6. dub. 2. & sapientiss. M. à S. Thoma hic q. 9. a. 1.

72 Tertia ratio desuntatur ex eisdem, nec non ex D. Chrysost. serm. 4. de provid. & fato. & proceedit in hunc modum: Si nihil sit anima post hanc vitam, neque Deus erit: nam si Deus est, justus est; si justus est, juxta merita unicuique distribuit. Si autem nihil est post hanc vitam: ubinam accipiunt singuli pro suis meritis. Sed quia posset aliquis dicere, quod in hac vita distribuat singulis juxta merita, statim adjicit D. Chrysostomus: Multi in hac vita bene habent, & in honore habentur, licet mali: alii autem affliguntur, & male habent, licet justè vivant: si igitur post hanc vitam nihil est, emigrabunt justi affecti injuria, & injusti immerito fœlicitate potissi. Hanc eandem rationem adduxit Socrates apud Platonem in Phædone, seu lib. de anim. Ipsam tamen licet tantorum virorum probatione, & autoritate insignem, ac de se evidenter, minus efficacem reputat Scotus in 4. dist. 43. q. 2. quia videlicet unum supponit, nimirum, Deum remuneratorem esse; quod adhuc lumine naturali ait non esse demonstratum. Imò & justis sua præmia non defesse afferit, virtus enim secum suum præmium assert; scilicet pacem internam, voluptatem maximam, honorem externum, & similia.

73 Quod ad primum spectat, profectò nihil magis sancitum in Philosophia morali quam Deum, eum ipsum debere esse, qui justis præmia conferat, malis poenam infligat: nam cum id quævis Res publica bene instituta servet, imò neque Princeps, sed Tyraanus habeatur, qui ab hac lege deviat: profecto sicut Deo rerum omnium moderatore omnis tyrannidis sapientia amovetur; ita & ipsi tribuendum est, quod op. mun-

quemque Principem decet; nimurum nec virtutem sine præmio, nec culpam sine pœna velle relinquere. Et hoc per se notum est cuilibet sapienti, & habenti animum rectè dispositum, & non obnubilatum sensibus vel pecudum more viventem. Nec enim omne illud quod per se notum est, demonstrabile est; sed quædam soli sapientes pro comperto habent, ut exempli gratia incorporalia non esse in loco; & id generis reputo Deum esse justum, ac remuneratorem. Et ideo à quibusdam hanc veritatem credi oportet: ut sumitur ex Apost. ad Hebr. 11. c. Nec virtus sibi ipsi profectò præmium esse potest: cum meriti rationem habeat. Insuper hæc omnia virtuti connaturaliter competunt: quod præmio repugnat. Adde fœlicitatem virtuti pro præmio debitam, carere debere molestiis, ac perturbationibus; laboribusve, alias fœlicitas non esset: quod in exercitio virtutis haud evenit: nam, ut inquit Apost. 2. ad Timoth. 3. *Omnes, qui volunt piè vivere in Christo, persecutio nes patientur.* Igitur justè in Republica etiam bene instituta præmia virtuti aut supplicia culpæ debentur: cum virtus nec sibi sufficiens præmium sit, nec è contra peccatum sibi sufficiens pœna. Vide M. à S. Thoma, & M. Bannez loc. cit. Ex his patet veritatem hanc lumine naturali esse demonstrabilem.

74 Conf. quia si secus sit, janua præcludetur virtuti, aperietur sceleri; religio omnis corruct, pietas omnis evertetur, & societas omnis turbabitur. Quo argu mento præclarè Epicurum urget Lactantius lib. 3. c. 17. scribens: „Si periturae sunt Animaæ, appetamus divinitias, ut omnes suavitates capere possimus. Quæ si nobis desint, ab us, qui habent, auferamus clam dominio, vi, è magis si humanas res nullus Deus curat; quandocumque spes impunitatis arriserit, rapiamus, necemus. Sapientis enim est male facere, si & utile sit & turum; quoniam si quis in Cœlo Deus est, non irascitur cuiquam. Aequè stulti est & Bene facere, quia sicut ira non commovetur, ita nec gratia tangatur. Voluptatibus igitur quomodo possimus servimus, brevi enim tempore nulli erimus omnino.“

75 Quarta ratio ex appetitu homini innato deduci potest:

test: nemo quippe est, qui à morte superesse non appetat; immo immortalitatis ille status ab Hegesia discipulis & aliis tanto desiderii ardore concupitus legitur, ut potiundi desiderio præmaturam mortem oppetierint: nemque reperitur, qui secula consecutura ad se pertinere non existimet: sed naturæ desiderium frustra esse nequit: igitur immortalem oportet esse Animam, ad quam immortalis illa vita, sive futuræ vitæ status spectet. Major sumitur ex Cicerone lib. I. Tuscul. ubi ait: „Nescio quomodo inhæcat in membris quasi quoddam augurium futurorum idque in maximis altissimisque animis, & existit maximè & apparet facillime, quoquidem de morte, quis tam esset amens, qui semper in laboribus & periculis viveret. Præterea hoc naturæ desiderium satis demonstrat summam illa magnorum viorum cura perennandi famam & nomen suum erectis æternitati mansolæis, pyramidibus, aliisque magnificis statuis: adoptione filiorum, susceptione liberorum, condicione testamentorum.

76 Dices, simile esse in vita honoris desiderium atque possidendi opes ac divitias: cum igitur desiderium istud naturale non sit, seu à natura institutum, non est cur illud ab ea insertum existimemus. Sed contra, desiderium istud accumulandi divitias ad vitæ sustentationem etiam naturale est, qui enim naturæ impetu sinecū desiderat, media simpliciter ad eum consequenda parimodo appetit: superfluas autem opes appetere, equidem naturale non est, sed neque inest hujusmodi cupidio & appetitus magnis animis, ac sapientissimis viris, qui facillime & sèpissimè opes contemnunt, abscipiunt, aliis largiuntur, & si vi auferantur minime dolent: sed non ita de desiderio illo immortalitatis: & subinde valde dispar est ratio.

77 Nec prætereundum est argumentum, quod ex hominis forma & statura desumptum elegantibus proponit verbis Lactantius lib. 7. divin. Instit. dicens: „Solum homo ex omnibus cœlesti ac divinum animal est, cuius corpus ab humo excitatum, vultus sublimis, status erectus originem suam querit, & quasi tempta humilitate terræ ad altum nititur, quia sen-

tit sumnum bonum in summo sibi esse quærendum
memorque conditionis suæ , quâ Deus illum fecit ex-
mum , ad artificem suum spectat : quam spectatio-
nem Trismegistus ~~Geoplat~~ rectissimè nominavit , qua-
in aliis animalibus nulla est . Hucusque Laetantius
Scio pisces nobis objici à Galeno lib. 3. de usu part. c.
3. qui idcirco ~~hyalesthotos~~ dictus est , nempe Cœli spe-
culator , quod Cœlum speculetur . Sed profectò id ac-
cidit ob dispositionem naturalem corporis , & non ut
Cœlum demiretur , aut suum bonum ibi esse conside-
ret , quod secus in homine accidit , qui & ad Cœlum
extollit oculos quasi auxilium in laboribus quærens , &
spem ibi repositam habens .

78 Tandem ad pervicacem ejusmodi Epicureorum
intellegim convincendum satis essent frequentes Ani-
marum apparitiones , nisi veritati tam apertæ fores oc-
clusissent . Notum est imprimis ex Sacris Literis 1. Reg.
c. 28. Animam Samuelis visam Pythonissæ ac Sauli :
Animas Oniæ & Hieremiac per visum ~~Indx Mach~~ apparuisse lib. 1. Mach. c. 15. Animas Mosis & Heliæ
in monte Thabor Christo transfigurato se se obtulisse
præsentes . Apostolos Petrum & Paulum Constantino
Imperatori apparuisse refert VII. Synodus act. 2. Et ple-
ni sunt libri ejusmodi apparitionibus . Videndi inter
alios D. Greg. Mag. lib. 2. Dial. c. 34. & lib. 4. c. 10. &
40. Quæ negare perficitæ frontis est , & hominis lu-
mine rationis destituti , dum mavult imprudens Epicuri
sententiæ & frigidis rationibus contra communem con-
fensem ac veritatem fidem habere , quâm Sacrae Scrip-
turæ , & tot viris doctrina & sanctitate conspicuus hac
referentibus . Sed nec solùm divini Patres , sed & pro-
batissimi autores gentiles similia multa referunt . Vi-
dendi Valerius Maximus hb. 1. c. 7. Pausanias de re-
bus Atticis . Suetonius in Caligula c. 59. & in Othone
c. 7. Plutarchus lib. de sera num. vindicta , & in vita
Romuli . Philostratus in vita Apollonii Tyanei . Plato
lib. 10. de Repub. lib. 1. de legib. & in Phædone . Cicero
in libris de Divinat. de nat. Deor. & Tuscul. quæst. Ma-
crobius lib. 1. in somn. Scip. c. 14. Laertius in vita Py-
thag. & Eucanus lib. 1. Pharsalia . Vide ndi prætere-

Arnobius lib. 8. cont. gent. Maximus Tyrius serm. 27.
 Lactantius lib. 2. divin. Instit. c. 2. D. Gregorius Turo-
 nensis lib. 5. Histor. c. 34. Gregorius Tholosamus lib. 1.
 de immortal. animæ cap. 16. Alexander ab Alex. lib. 2.
 Genial. dierum, & alii innumeri de hac materia tra-
 tantes.

CAPUT TERTIUM.

Solvuntur Argumenta Contraria.

79 **A**rg. 1. autorit. S. Scripturæ Ecclesiastes c. 3.
 ubi habetur: *Vnus est interitus hominis, & jumentorum, & aquæ utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: ergo sicut jumenta, ita & homo rapte natura formam habet corruptibilem: licet post mortem Dei beneficio conservetur. Quod indicatur in Synodo Generali in Epist. Sophronii ab eodem S. Concilio approbata in qua diffinitur invisibilia, & intellectualia non habere naturam immortalem; sed per Dei gratiam à morte coerceri.*

80 Resp. ad arg. ex D. Th. 1. p. q. 75. a. 6. ibi, quemadmodum & in aliis multis locis illius libri Ecclesiastes, ut notat D. Gregor. lib. 4. dialog. c. 4. loqui Salomonem in persona hominum perditorum: quibus valde familiare est similia ructare de animæ mortalitate; ut liberius venti serviant, ac genio suo indulgeant. Præmisserat enim Salomon illa verba: *Dixi in corde meo de filiis hominum ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis, idcirco unus est interitus hominis, & jumentorum &c.* Quasi diceret: quia excœcavit illos malitia peccati; & permisit Deus eos ire in reprobum sensum, inde provenit ut ita vivant ac si unus esset interitus hominum, & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Unde conquerens subdit; *quis eos adducet ut post se futura cognoscant?* Itaque patri suo Diabolo morem gerentes, qui falsa veris commisceret, ut facilius decipiatur incautos, & non tanquam mendax rejiciatur, sed ut hac veritate alia mendacia suadeat, ut egregie notavit D. Ambros.

506 Quest. XVI. De Anima rationali &c.

lib. de parad. c. 13. hice homines perditi verè protulerunt eundem esse interitu nō hominum , & jumentorum quoad corpus , æquam etiam exspirandi necessitatē : sed male intulerunt hominem nil habere jumento amplius &c.

81 Resp. ad autorit. Sophronii , animam per Dei gratiam dici incorruptibilem , & immortalem , quemadmodum & ea erat intellectuales creatoras : non quidem per gratiam supernaturalem ; sed quatenus hoc Dei creantis beneficio acceperunt ; qui cùm suapte natura sit solus immortalis absque alterius interventū , aut largitate , eis contulit ut incorruptibles , & immortales essent secundūm naturam suam , nec tamen sine Dei largitate , cui placitum est tale esse conferre , cui ab intrinseco incorruptibilitas competeteret .

82 Arg. 2. ex Arist. 1. de anim. t. 12. afferente non contingere intellectum separari , si sit phantasia , aut non sine phantasia . Constat autem intellectum non sine phantasmatibus esse , & rem speculari . Ex 5. de anim. t. 2. expressè habet intellectum passivum mori . Deinde ex ejusdem doctrina constat omne illud , quod incipit aut generatur , desinere esse , & corrupti . Tandem , cùm ipse Mundum ab æterno posuerit , necessariò multisudinem actu infinitam admittere cogeretur , si Animas hominum fecisset incorruptibles & immortales .

83 Resp. ob hujusmodi & similia testimonia , multos Autores , eosque gravissimos , ut diximus , Aristotelī interrogasse , quod nunquam immortalitatem animæ satis concorditeret ; ut ait D. Theodoreetus in lib. de curand. affect. Græcorum serm. 8. Veruntamen oppositæ sententiæ acquiescentes respondemus ad 1. cum D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 54. a. 4. intellectum possibilem duobus modis intelligere : scilicet mediis formis sibi inditis , seu per formas substantiarum separatarum ; & hoc in statu separationis à corpore ei competere . Alio modo dependenter à phantasmate , seu objecto , abstrahendo universale à particulari , & hic modus ei connaturalis est , & competens prout est corporis forma . Et hoc pacto intelligit Philosophus intellectum non separari à phantasia , quoad actum nimisrum , pro hoc statu . Non autem

autem hinc sequitur quod secundum substantiam, & potentiam non sit separatus, & incorruptibilis per se; licet ex adjunctione ad phantasmata contingat eum oblivisci intelligibilem, & hoc pacto dicitur per accidens corrupti. Unde ipse Philosophus lib. de mem. & reminis. asserit post mortem non fore in anima reminiscientiam; cum tamen pro hoc statu reminiscendo, & cogitando intelligat. Et in hanc solut. inclinat S. D. loc. cit. p. p.

84 Resp. ad 2. ex eodem S. D. nomine intellectus passivi intelligi ipsam cogitativam; quae verè corruptitur, cum sit affixa organo corporeo. Vel dicto nomine intellectus passivi intelligi ipsam potentiam intellectivam, quatenus pro hoc statu ei dependenter à phantasmatis intelligere competit: à quibus quodammodo patitur; unde intelligere dicitur pati quoddam: ut dicetur q. seq. Et hic corrupti dicitur per accidens, & quantum ad species intelligibiles tali modo acceptas, non vero secundum substantiam, & potentiam. Quia nimirum separata anima non sic intelliget.

85 Resp. ad 3. ex D. Th. supra q. 46. a. 5. ad 3. Aristotelem illo in loco sermonem facere de rebus, quae per generationem physicam accipiunt esse ex materia; quas corruptibles esse constat. Agebat enim ibi contra Platonem asserentem Mundum ex materia genitum prodisse, & Cælum ex elementis. Ex qua positione optimè infert, quod essent corruptibilia, habituraque finem. At vero anima rationalis per creationem accipit esse. Et ita incipere agnovit ipse Aristoteles, si fides habeatur Soncinati 12. Metaphys. q. 15. & Javello ibid q. 5. Ad ultimum varias solutiones adducit M. Bannes loc. cit. in solut. ad 4. quae possunt apud eundem videri. Sufficiat nobis dicere cum S. D. 2. cont. gent. c. 81. contra nos, qui de facto æternitatem Mundi negamus, argumentum vim non habere. Quomodo autem adhuc dato Mundo ab eterno non esset infinitus animarum numerus, explicui- mus lib. 3. Physic.

86 Arg. 3. anima rationalis determinatas dispositio-nes corporeas exigit in corpore, ut ei infundatur non minus quam aliae formæ materiales: ergo & ipsa est corruptibilis sicuti formæ materiales. Conf. 1. anima

rationalis, & sensitiva sunt idem secundum substantiam in homine: patet autem animam sensitivam corruptibilem esse: ergo etiam rationalis erit corruptibilis. Conf. 2. anima, & corpus idem esse in homine fortiuntur: ergo corruptio esse ipsius corporis per mortem, non est possibile ipsum esse animæ rationalis remanere. Conf. 3. animæ rationales per ordinem ad corpus habent esse individuum, unde sunt inæquales in perfectione individuali substantiali: ergo secundum esse dependent à corpore. Conf. 4. non sequitur ex eo quod anima habeat operationem independentem à corpore, quod sit per se subsistens, & incorruptibilis: nam hoc stat dupliciter: uno modo sine corpore ut organo; alio modo sine corpore, ut supposito operante. Primo modo eisdem verum est animam fortiri operationem à corpore ut organo, sed non sequitur inde, quod sit per se subsistens, & incorruptibilis, cum alioquin fortiatur operationem dependentem à corpore ut supposito; non enim anima intelligit, ~~sed homo~~.

87 Resp. ad arg. animam rationalem non exigere dispositiones in corpore ut sit absolute, & per se: sed ut sit forma in materia, à qua tamen non comprehenditur secundum suum esse absolute, sed est ab ea independentis: & per id à formis materialibus discernitur. Resp. ad 1. conf. animam vegetativam, & sensitivam in plantis, & brutis corruptibilem esse, non vero in homine nisi per accidens; inquantum cessant carum operationes, manentibus ipsis secundum substantiam: quia nimis cum anima rationali in homine idem esse fortiuntur. Resp. ad 2. hoc ipsum esse, quod habet, esse ipsius animæ rationalis, ita ut corpori ab anima communicetur; non modo ut quo, scilicet tanquam à ratione recipiendi esse actu totius, sed etiam absolute & simpliciter tanquam à per se existente, & subsistente, non tamen complete, quoad esse speciei, unde ut hoc complementum suscipiat, exigit uniri corpori, cui suum esse communicat, fitque subsistens complete ipse homo. Ad 3. dicetur infra.

88 Resp. ad ultimum animam habere operationem independentem à corpore, ut organo: in modo ab ipso

sup.

Supposito absolutè loquendo ; licet ab eo dependeat quoad complementum speciei. Et rectè sequitur ex hac ratione quod sit per se subsistens , quia talis naturæ est , quod sit potens per se subsistere . Nam hoc ipsum quod homo intelligit , per animam habet , quantum in operando est à corpore independens .

ARTICULUS QUARTUS

*Utrum omnes Animaæ rationales sint in perfectio-
ne æquales ?*

39 **D**uæ sunt principiæ de hac re sententiæ : Prima asserit animas rationales esse æquales in perfectione substanciali , & solum extrinsecè , seu per diversas corporum dispositiones , magis vel minus perfectas distingui . Ita M. Soto c. de Substant. q. 2. ad 5. Soncinas 8. Metaphys. q. 26. Durandus, Henricus, Fonseca, Hurtadus, & Toletus apud M. Martinez lib. 2. de anim. q. 11. §. 1. ubi invehitur contra P. Toletum quod opositam sententiam ceu temerariam , & periculosam inculpaverit. Opositam sententiam , nimirum animas rationales in seipsis esse inæquales in perfectione substanciali tuentes Magist. in 2. d. 32. cap. 8. D. Bonav. ibid. Capreolus ibid. q. unice Caiet. 1. p. q. 8. a. 7. Bannes ibid. dub. unic. & alii non pauci , quos sequitur dictus M. Martinez loc. cit. n. 4.

40 Utraque sententia suis nititur fundamentis. Prima equidem ; tum quia substantia formaliter non suscipit magis , & minus ; nec forma substancialis potest intendi , & remitti : cuius contrarium accideret , si animæ rationales in perfectione essent inæquales intrinsecè , & substancialiter . Nam quælibet illarum intrinsecè posset sortiri perfectius esse per ordinem ad perfectiores dispositiones , quod est posse intendi . Tum etiam quia hæc differentia non esset duntaxat individualis , & numerica , sed specifica : nam quælibet additio , quæ sit penes gradum perfectionis substancialis spe-

510 Quæst. XVI. De Anima rationali &c.

speciem variat; ut patet in homine, & equo. Tertio, quia in eodem homine experimur dispositionem corporis variati, & penes hujusmodi variationem polle-re majori acumine ingenii, & dein hebetari &c. cum tamen absurdum sit dicere animam ipsam substantia-liter, & intrinsecè crescere, aut decrescere: ergo di-versa corporis habitudo non sufficit ad constitutas diversas substancialiter, & intrinsecè animas in per-fectione inæquales.

91 Secunda vero sententia primò adducit pro se D. Thomam i. p. q. 85. a. 7. dicentem: *Quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam.* Quod de perfectione extrinseca, & accidentali duntaxat intelligi nequit: quia ibi probat, quod ~~eandem~~ in rem unus altero melius percipiat ac intelligat: nimis quia animam sortitur meliorem, & majoris virtutis in intelligendo; quæ est perfectio substancialis, & intrinseca. Deinde rationibus agit ex eodem S. D. desumptis.

92 Prima est: quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam, secundum rationem specificam; ut patet de corpore humano, & de corpore bruti: ergo pari ratione inter animas ejusdem speciei, quo ipsa corpora fuerint individualiter perfectiora, animas individualiter perfectiores sortientur, ut sit proportio actus, & potentiarum. Nec sufficit dicere hujusmodi perfectionem esse accidentalem, & extrinsecam, non vero substancialem, & intrinsecam. Tum quia formæ & materiæ inanimatorum, non solum accidentaliter, sed etiam substancialiter, & intrinsecè inæquales sunt, ut magnus lapis, & parvus ejusdem speciei: ergo similiter materiæ, & formæ animatorum. Tum etiam quia illæ dispositiones organicæ, seu accidentia dimananter à propria rei substancialia: ergo sicut istæ inæquales sunt, ita & in ipsa substancialia inæqualitatem erit reperire.

93 Secunda ratio est: animæ rationales habent prin-cipia individuantia intrinsecè, & substancialiter inæqua-lia: sed illa, quæ habent principia individuantia intrinsecè, & substancialiter inæqualia, intra eandem spe-

Speciem inæqualia sunt: ergo animæ rationales inæquales sunt in perfectione substantiali individuali. Minor patet: tum quia principium intrinsecum individuationis proximum non differt realiter à substantia individuali. Tum quia differentia individualis est propria ipsius individui: ergo intrinsecè competit ipsi, & substantialiter. Minor prob. ex S.D.q. de spirit. creat. a. 9. ubi ait: sicut de ratione animæ est, quod sit forma corporis: ita de ratione hujus animæ, inquantum est hæc anima, est quod habeat habitudinem ad corpus: sed corpus organicum formaliter est inæquale in perfectione individuali, & suscipit magis & minus: ergo animæ rationales ex habitudine ad corpus hoc, vel illud habent principia substantialiter, & intrinsecè inæqualia.

94 Supponendum ex dictis animas rationales esse formas per se subsistentes, & ex se individuas, licet non sint hoc aliquid secundum completam speciem rationem. Nec tamen corpori accidentaliter adveniunt, quia perficiendo illud concedunt ei suramet esse, seu trahunt ipsum ad idem esse. Quod autem sint per se subsistentes, & individuae, hoc sortiuntur, quia sunt in confinio substantiarum immaterialium, & separatarum, quæ seipsis individuae sunt, & quarum nequit esse eadem numerica, & substantialis perfectio: immo neque specifica: quia non possunt ulterius materiali divisione dividi, per quam distingui possent, ut alibi dicemus. Itaque ut reperiatur inæqualitas in animabus rationalibus, oportet ut cum hoc, quod sunt per se subsistentes, includatur ordo ad corpus, seu materiam propriam cuius sunt actus, & formæ.

95 Ista autem inæqualitas tripliciter considerari potest: primo ex parte virtutis, & principii operativi proprietarum operationum animæ; quæ est virtus intelligendi, ad ipsam animæ essentiam consecuta: quæ tamen complementum suum non nisi in individuo sortitur, cuius est proprium in exercitio operari: operari enim est subsistentium, & existentium actu; quia instantum aliquid operatur, inquantum est actu. Unde quælibet diversitas in hac virtute secundum rationem

nem operandi in exercitio non est speciei , seu formæ specificæ secundum se , sed quatenus virtus ejus redundat in perfectionem individui , in quo suum exercitium sortitur . Secundò desumi potest ista inæqualitas ex parte receptivi , scilicet corporis organici , & dispositi ut possit eo uti anima ad suas operationes , in quantum ex parte objecti à corpore , seu corporeis phantasmatis dependet . Et hæc perfectionis diversitas non pertinet ad intrinsecum animæ ut causans diversitatem in illa : quin potius , quia anima est melior , & est finis corporis ; concinnatur corpus & aptius disponitur , ut sit domicilium , & materia perfectioris animæ . Ter-tiò considerari potest ex parte essentiæ animæ , & quatenus est actus primus corporis physici &c.

96 Dico igitur nullam esse inæqualitatem inter ipsas animas secundum essentiam animæ sumptas : quia essentiaz rerum sunt indivisibiles , & penes quamlibet additionem variatur species . Vnde si explicari debeat ratio essentialis cuiuslibet animæ , quælibet simpliciter , & indivisibili ratione erit actus corporis physici organici potentia vitam intellectivam habentis &c. Et hoc probant rationes pro prima sententia adductæ . Si vero sumantur secundum virtutem intelligendi , ut ipsæ sunt principia operationum concernientium speciem , ut habent in individuo exerceri secundum diversum agendi modum intrinsecè , & substantialiter sunt in perfectione inæquales : ut autem præcisè recipiuntur in diversis corporibus diversimodè complexionatis , & dispositis accidentaliter . Ita sumitur ex D. Thom. in 2. dist. 32. quæst. 2. art. 3. c. & 1. p. quæst. 85. a. 7. corp. ubi ait : *Manifestum est , quod quanto corpus est melius dispositum , tanto meliorem sortitur animam . Quod manifestè apparet in his , qua sunt secundum speciem diversa . Cujus ratio est , quia actus & forma recipitur in materia secundum materię capacitatem . Vnde etiam , cum in hominibus quidam habeant corpus melius dispo-situm , sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo . Vnde dicitur in 2. de anim. quod molles carne bene aptos mente videmus . Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum , quibus intellectus indi- get*

get ad sui operationem . Illi enim , in quibus virtus imaginativa , & cogitativa , & memorativa est melius disposita , sunt melius dispositi ad intelligendum . Prob. rationibus pro secunda sententia adductis .

97 Deinde prob. ratione desumpta ex hoc testimonio : aliqui homines sunt majoris virtutis in intelligendo , & perspicacioris ingenij , quam alijs : sed melior virtus arguit perfectionem intrinsecam meliorem ; sicut & melior operatio meliorem virtutem : ergo substantialiter & intrinsecè animæ omnes non sunt æqualis nobilitatis in perfectione individuali . Dices hoc provenire ab extrinseco , nimis à viribus interioribus sensitivis , quæ animæ rationali in intelligendo desercent . Non vero ab intrinseco , & per se , quia intellectus unius hominis secundum se non est perfectior intellectu alterius , cum sint proprietas simpliciter essentialia animæ consequentes , quæ indivisibilis est . Evidenter hæc solutio pugnat cum D. Thom. ibi enim distinguit duplē in æqualitatem perfectionis in animabus : unam ex parte virtutis intelligendi , aliam ex parte hujusmodi virium interiorum , ut ex ipsissimis illius verbis patet .

98 Et ut res magis , ac magis enucleetur , nota quod anima ut est principium radicale intellectus , & aliarum virtutum duplicitate considerari potest . Primo ut principium formale primum harum virtutum absolute in ordine ad operationes sibi proprias , & secundum speciem competentes , seu ad operationes specificativæ sumptas , & quatenus respiciunt objectum , seu rem intellectam . Et hoc modo certum est quod hujusmodi virtutes non sunt majoris perfectionis in uno , quam alio homine , seu anima : ut patet ex S. D. 1. p. q. xii. 85. ar. 7. c. Secundo prout hujusmodi virtus seu perfectione naturæ in perfectionem individuorum redundat , in quo virtus illa ad exercitium reducitur : nam ex principio speciei sequuntur operationes individuorum . Et hoc modo non sunt æqualis perfectionis substantialiter , seu materialiter , & numericè ; quia unum individuum ab alio substantialiter differt , sicut & substantialiter est unum : cum unum sit indivisum in se , &

divisum à quolibet alio : ergo neque animæ prout sunt principia hujusmodi virtutum , & operationum , non quidem specificativè sumptarum , sed materialiter & effectivè possunt esse ejusdem perfectionis , & nobilitatis .

99 Vnde impugnatur hæc solutio : anima non est propter corpus , sed corpus propter animam cum sit actus , & perfectio corporis : ergo quod nobiliori corpori , & melius complexionato , seu habenti virtutes interiores sensitivas detur anima nobilior , & melius intelligens , non se habet corpus in ratione causæ , sed potius in ratione effectus finalisati : ergo antecedenter intelligitur anima jam nobilior , licet non sine ordine ad corpus melius complexionatum , quod est propter ipsam : ergo major nobilitas , & perfectio non est omnino extrinseca animæ , & conveniens ei ex corpore ; sed intrinseca , non tamen competens ei in ratione absoluta formæ , sed prout virius , & perfectio consequens ipsam redundat in perfectionem individui , in quo actu habet esse illa virtus , & operatio .

100 Ex his patet solutio ad argumenta superius adducta pro prima sententia . Ad 1. enim dico quod substantia seu forma substantialis absolute , & secundum se intendi , & remitti nequit , bene vero virtus ejus ; ac perinde ipsa prout est principium talis virtutis : quod est materialiter , seu radicaliter , & in ratione principiū activi intendi : & hoc pacto una anima est in perfectione intensior , quam alia . Resp . ad 2. ex D. Thom . quod diversitas penes rationem format essentialiter , & ut forma est , eidem est specifica : non vero prout est actus secundum virtutem suam minus , vel magis nobiliter , & perfectè in materia participatus per ordinem ad nobiliorem dispositionem , non ut causam ; sed ut effectum seu occasionem . Et hoc modo contingit in diversis animalibus rationalibus . Ad 3. dico in eodem homine variari dispositionem corporis accidentaliter , & prout virtutes interiores habent sic , vel sic disponi ad subservientium virtutibus animæ . Non autem variari intrinsecè , & penes virtutem ut consequam ad ipsam animam , inquantum perfe-

perfectio speciei redundat ad perfectionem individui.
Ex his patet animam Christi substantialiter, & intrin-
secè quoad individuum fuisse perfectiorem ceteris om-
nibus; ejusdem tamen speciei cum illis.

101 Ex his sequitur 1. animam, quæ huic corpori
unitur, non posse alteri uniri, ut docet S. D. 2. cont.
c. 75. & 83. Primo: quia anima est forma corporis,
ejusque motor; sed inter movens, & motum, actum
& potentiam, materiam & formam proportio inter-
cedere debet; ita ut materia apta nata sit, & propor-
tionata ut à sua forma & actu perficiatur, & mobile à
suo motore agatur: ergo inter animam, & corpus ea
debet interesse proportio, ut, quemadmodum anima
hujus speciei corpus alterius speciei informare nequit,
ita neque hæc anima possit, aut valeat aliud numero
corpus informare, nisi illud quod sibi proportionatum,
ac coaptatum est. Secundò quia animæ re ipsa quidem
numero differunt: sed inter illas hujusmodi diver-
sitas eatenus intercedit, quatenus ad diversa corpora
ordinem inducunt: ergo ut salvetur earum numerica
diversitas, ita hæc anima huic corpori unienda venit,
ut non possit alteri conjungi, nisi cum præjudicio ejus-
dem unitatis numericæ.

102 Nec valet dicere animam rationalem ex se indi-
viduam esse, nec ad sui numericam unitatem exigere
corpus: ac perinde non minus huic, quam alteri uniri
posse, salvata propria unitate numerica. Non, in-
quam, valet: quia esto corpus non sit de essentia ipsius
animæ, ipsa tamen ad illud intrinsecam, & essentia-
lem habitudinem dicit, ut est illius forma; idcirco,
quemadmodum animæ ut sic rationi competit corpus
hoc modo organisatum, quo naturæ speciei illius com-
petit, ita prorsus de ratione hujus animæ est, ut for-
tiatur hoc corpus hoc modo organisatum, & in indivi-
duo coaptatum.

103 Nec tamen hinc inferas destructo corpore ani-
mag rationalem, quoad suum esse absolutum, non
remanere individuatam: esto non incipiat nisi in cor-
pore ejus esse, ac individuatio: quia in corpore non
acquirit esse in materia depresso, vel oblongum ad

corpus, è cuius sinu, & potentia educatur: sed infunditur illi cum esse terminato, licet non habente complementum speciei. Quod manifestat S. D. hoc exemplo: si aqua, vel corpus aliud quodlibet fluidum in vasis diversæ figuræ reponatur, in quolibet figuram variat; quia est corpus interminatum ex se, & solummodo alieno termino terminatum: ita accidit formis materialibus, quæ non retinent esse per se. At vero corpus terminatum termino proprio, & suæ naturæ figuram retinens, esto varia sigillet, vel in diversis reponatur, semper eandem servat figuram, etiam illis sublatis: ut pater in sigillo aureo, vel argenteo, quod esto ceræ imprimatur, vel luto, etiam his abrasis in se figuram, ac formam eandem servat: quia est terminatum termino proprio. Haud secùs anima rationalis, cùm sit proprio terminata termino, utpote per se subsistens, etto corpus destruatur, cujus erat forma, secundum idem esse absolutum remanet; licet non remaneat secundum idem esse completum speciei.

104 Sequitur 2. animam rationalem non uniri corpori mediantibus aliquibus dispositionibus, sed immediatè; ut docet S. D. i. p. quæst. 76. a. 6. ubi ait, quod si anima uniretur corpori solummodo ut motor, nihil prohiberet, imò magis necessum esset, alias mediare dispositiones inter ipsam & corpus; nimis potentiā ex parte ipsius animæ, qua corpus moveret: habilitatem vero ex parte corporis, qua ab ipsa anima mobile efficeretur: attamen quia ipsi corpori, seu forma substantialis unitur, fieri nequit, ut aliqua dispositio accidentalis inter utrumque mediet: quia, ut sè explicatum manet lib. i. Phys. cùm materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam, oportet, id quod in actibus primum est, primò in ipsa materia præintelligi: per formam autem substantialē aliquid est simpliciter in actu; per accidentalem vero secundum quid: fieri igitur nequit ut materia, seu corpus ante ipsam animam rationalē quibusdam dispositionibus accidentalibus investiatur. Vide quæ diximus lib. i. de gen. & corrupt.

QUÆSTIO XVII.

DE POTENTIIS ANIMÆ Rationalis.

Postquam de *Anima Rationali secundum se dictum est*, supereft de proprietatibus sive potentiis illius dicendum.

ARTICULUS PRIMUS

Quot sint potentiae animæ intellective, & quomodo ab invicem distinguantur?

1 **T**Res ipsius animæ rationalis potentiae communiter assignantur: nimirum intellectus, memoria, & voluntas. Et quidem quod intellectus sit animæ rationalis potentia, ac virtus propria, satis, superque ex illius operatione, quæ est intelligere, constat: hæc enim esse nequit alicujus virtutis sensitivæ; quæ, cum sit affixa organo corporeo, non nisi corporea intelligere potest, seu res individuas, & corporas, quæ habent esse hic, & nunc, ut diximus: intelliguntur autem non solum corporea, sed etiam res incorporeæ, & quidditates rerum, quæ sunt formæ habentes esse immateriale, & incorporeum, alias per se corruptibiles essent. Imò non intelliguntur corpora nisi incorporeo modo.

2 Vrum autem in anima rationali admittenda sic memoria præter ipsam memoriam sensitivam, difficultate non caret: tum quia ipse Philosophus lib. de mem. & reminis. expressè asserit memoriam non esse intellectivi, sed sensitivi. Quia videlicet memoria non abstrahit ab hic, & nunc: namque tempus de terminatum concernit, scilicet præteritum: intelligibilia autem, & anima intellectiva abstrahunt ab hic, & nunc.

Tum etiam, quia omnis potentia aliquem actum sibi proprium vendicat: sed memoria in anima rationali nullum sibi actum proprium vendicare potest: ergo &c. Prob. min. quia ad memoriam duo pertinent, nimirum cognitio præteriorum, & conservatio specierum; ut est cognitio præteriorum, ad animam sensitivam pertinet, non autem ad animam rationalem; ut autem est specierum retentiva, ac conservatrix nullum prorsus actum inducit. Tandem, quia in memoria species rerum conservantur, quæ actu non cogitantur: sed hoc sequit in anima intellectiva accidere: ergo &c. Prob. min. intellectus non potest informari specie intelligibili, quin ad actum educatur, ac perinde actu intelligat: ergo si informaretur aliquibus speciebus in memoria conservatis, semper actu esset intelligens res illas omnes, quarum apud se retinet species, ac conservat.

3 Veruntamen memoriam in anima rationali admittendam esse, prout est conservatrix specierum intelligibilium communiter docent Philosophi, contra Avicen. c. 6. de anim. & 6. natural. p. 4. c. 2. qui opus suum tenuit propter rationem tertio loco adductam: ut videtur potest in S. D. 2. cont. gent. c. 74. Prob. ex codem: quod recipitur in aliquo ad modum recipientis recipitur: sed intellectivum principium est stabilioris, ac firmioris naturæ, quam materia corporalis: cum ergo materia corporalis formas, quas suscepit, non solum retineat, dum actu per eas agit, sed etiam postquam agere desiderat: multi potiori jure intellectivum principium servius, ac magis inamisibiliter species, & formas intelligibles suscipiet, ac tenebit, sive à sensibus acceptas; sive etiam ab aliquo superiori intellectu effluxerint: ergo secundum rationem conservandi species memoria erit in intellectiva parte, seu in anima rationali.

4 An vero etiam in parte intellectiva sit memoria, prout est cognitio præteriorum, in dubium verti potest, ob rationes supra allatas. Affirmant Suarez lib. 4. de anim. c. 10. n. 4. Hurtadus disp. 5. sect. 8. nu. 70. Aversa q. §8. sect. 1. & alii Recentiores. Tum quia ipsi Angeli, & Deus perfectissimè præteriorum memoran-

rantur : cùm tamen non aliam , nisi memoriam intellectivam sortiantur : imò & anima separata , ut patet. Lucæ 16. ubi dicitur : *Recordare fili , quia receperisti bona in vita tua.* Deinde , quia intellectus rem cognoscit cum affectionibus , seu conditionibus peculiaribus , perfectius multò quām sensus : quippe qui novit tantum præteritum materialiter , intellectus autem formaliter ; cùm cognoscat ipsam temporis rationem: ergo in intellectu est memoria , ut est cognitio præteriorum .

5 Oppositum docet D. Th. loc. cit. & q. 10. de verit. a. 2. & cum eo communiter Philosophi , loquendo de memoria , & anima intellectiva pro hoc statu , quo illi debetur esse in corpore , & accipere rerum cognitionem dependenter à sensibus , ac sensibilium phantasmatibus . Ratio est : quia intellectus pro hoc statu directè singularia cognoscere nequit , ut dicemus infra : sed præteritum , ut præteritum sub cognitione particularis cadit , cùm significet esse sub tempore determinato : ergo à memoria intellectiva directè attingi nequit . Dixi , pro hoc statu , nam ut docet S. D. 1. p. q. 89. a. 4. intellectus separatus , seu anima cognoscit singularia , non per species à corpore acquisitas ; sed per species sibi inditas in separatione : unde pro illo statu memoria quoad cognitionem præteriorum esse poterit . Dixi , etiam ut præteritum est hic , & nunc , ac directè , nam reflexe cognitio præteriorum in intellectu esse potest .

6 Hujus rei gratia adverte ex S. D. dicta q. 10. de verit. a. 2. ad 3. quod præterino ad duo referri potest ; scil. ad objectum , quod cognoscitur , & ad cognitionis actum . Quæ ambo in parte sensitiva conjunguntur : quæ immutata ab aliquo sensibili præsenti apprehensiva illius est . Unde simul animal memoratur , se priùs in præterito sensisse , & præteritum quoddam sensibile persensisse . Ex parte autem intellectus præteritio accedit , & non per se convenit ex parte objecti . Intellectus enim hominem , quā homo est , intelligit , cui accedit in præsenti , præterito , vel futuro esse . Ex parte autem actus præteritio accipi potest etiam in intellectu : quia intelligere animæ nostræ est quidam specialis ac-

520 Quæst. XVII. De Potentiis Animæ &c.
tus in hoc, vel illo tempore existens: quatenus homo
nunc, heri, vel eras intelligere dicitur. Et hoc intellec-
tualitas non repugnat. Quia hujusmodi intelligere
quamvis sit quoddam particulare, tamen est immate-
rialis actus. Idcirco, quemadmodum intellectus seip-
sum intelligit, esto ipse sit quidam singularis intellectus:
ita intelligit suum intelligere, quamvis sit quidam
singularis actus, in præterito, præsenti, vel futuro exis-
tens. Hoc igitur pacto ratio memoriae salvatur, quoad
hoc, quod est præteriorum in intellectu, prout intelli-
git se prius intellectisse: non autem prout intelligit præ-
teritum, prout hic, & nunc.

7 Ex his patet solutio ad argumenta initio proposita.
Ad 1. enim dico memoriaem, prout est cognitio præte-
riti hic, & nunc esse sensitivi, non verò ut est specie-
rum retentiva, vel supra præteritum reflectens. Ad 2.
patet. Ad 3. resp. ex S. D. concessa maj. neg. min. ad
cujus prob. dist. antec. intellectus non potest informari
specie intelligibili per modum habitus, nisi actu pro-
deat ad actum intelligendi, nego: qui enim est in ha-
bitu, facultate potitur ut intelligere possit, cùm volue-
rit, vel non intelligere. Si informetur specie per mo-
dum actus completi, & actu moventis intellectum,
concedo.

8 Contra hanc solutionem objicies causas naturales
non esse in habitu, sed semper cum actu secundo con-
junctas, ut patet in igne, & Sole: sed species intelli-
gibles sunt agentia naturalia: ergo si species intelligi-
biles in intellectu conservarentur, semper actum se-
cundum intelligendi elicent. Resp. dist. maj. causæ na-
turales quæ perūnent simpliciter ad genus entis, & quarū
forma seu principium agendi est totaliter in materia
immersa, transeat: quia istæ sunt omnino determina-
tæ ad unum. Causæ naturales prout pertinent ad genus
intentionale, & cognoscitivum, nego; qui genus co-
gnoscitivi necessario involvit quandam indifferentiam,
& potentialitatem, cum natum sit non solum propriam
suscipere formam, sed etiam aliorum: species ante-
intentionales licet secundum esse pertineant ad genus
entis, tamen formaliter, & ut habent intellectum in-
for-

formare pertinent ad genus cognoscitivum: unde involvatae sunt cum aliqua potentialitate, & fiunt in actu movendi, non sine dependentia à primo movente, quæ in homine est voluntas movens etiam intellectum ipsum efficienter, dum agitur potentia formaliter cognoscitiva, ac per consequens præstat ut utatur illa specie in actu secundo, quam prius solummodo in habitu habebat. Vide alias solutiones apud M. Martinez de Prado lib. 3. de anim. q. 25.

9 Dari etiam appetitum rationalem, seu voluntatem in anima rationali, per se evidens ac manifestum est: cum homo universalem finem, & bonum appetat, seu omne bonum: quod ab appetitu sensitivo præstari nequit: qui bonum sensibile duntaxat, sive utile, aut delectabile amare, & in ipsum ferri potest. Major occurrit in præsenti difficultas circa distinctionem hujusmodi potentiarum adinvicem; num scil. realiter, vel solo opere intellectus distinguitur. Pro cuius decisione sit,

ARTICULUS SECUNDUS

*Quomodo potentiae Anima Rationalis ab invicem
distinguuntur.*

10 **M**Agister sent. in 1. dist. 3. cap. 7. & sequentibus, memoriam simpliciter in parte animæ intellectiva constituens, eam à voluntate, & intellectu realiter distinguui affirmat. Cui favere videtur D. August. lib. 10. de Trinit. c. 11. & 12. ubi in mente constituit memoriam, intelligentiam, & voluntatem manifestum est autem memoriam esse potentiam realiter à voluntate distinctam: ergo etiam ab intellectu. Attamen memoriam, prout in parte intellectiva constituitur non esse potentiam realiter ab intellectu distinctam communiter asserunt Theologi, ac Philosophi cum D. Th. 1. p. q. 79. a. 7. Quoad distinctionem intellectus à voluntate nullus est qui dubitet ab invicem realiter distinguui.

11 Prima concl. intellectus, & memoria intellecti-

ya non sunt potentiae realiter ab invicem distinctæ , prout memoria intellectiva est conservatrix specierum intelligibilium. Prob. ex S. D. ibid. potentiae animæ distinguuntur penes diversas formalium objectorum rationes : sed memória , & intellectus eandem communem , ac formalem objecti rationem respiciunt : ergo realiter non distinguuntur . Prob. min. communis ratio objecti intellectus possibilis est universalis ratio entis , intellectus enim possibilis natus est fieri omnia : sed secundum hanc rationem non distinguuntur intellectus , & memoria : ergo eandem communem objecti rationem respiciunt . Prob. min. intellectus possibilis respicit illam rationem sub ratione potentiae passivæ , & perfectibilis ab objecto illo : sed de ratione potentiae passivæ , quæ corporeis dispositionibus non vincularur , est non modo recipere , sed & conservare : ergo secundum communem rationem objecti , scilicet entis non distinguitur intellectus ut recipiens , & ut conservans : sub ista autem ratione habet rationem memorie .

. 12 Nec sufficit dicere quod sub diversa ratione memoria respicit illud objectum , nimirum prout dicit differentiam præteriti . Nam differentia præteriti omnino accedit objecto adæquato intellectus : sed secundum rationes speciales , & accidentales non distinguuntur potentiae ; v. g. non est alia potentia visiva circa album , alia circa nigrum : quia albedo , & nigredo non sunt nisi particulares objecti rationes , contentæ sub colore ut sic , qui est communis ratio objecti : ergo hoc non sufficit ut distinguantur realiter memoria , & intellectus , loquendo de memoria intellectiva , quæ ut intellectiva est , communem entis rationem respicere debet . Nec est instantia in sensibus interioribus , in quibus constituitur unus sensus ad recipiendum , scilicet sensus communis , & aliis ad conservandum . Nam ipsi respiciunt particulares objecti rationes , suntque potentiae affixa organo corporeo : in corporibus autem secundum particulares rationes alia est dispositio ad bene- suscipiendum , alia ad retinendum , & conservandum , ut diximus . Intellectus vero non est potentia cor-

corporea , seu limitata , sed universaliter respicit ens ; unde secundum particulares rationes entis diversificari nequit .

13 Dices intellectum agentem , & intellectum possibilem circa illam communem entis rationem versari ; attamen realiter inter se distingui : ut dicemus q. seq. S. D. ait discriminē esse ; quia principium activum , & passivum , movens , & motum , etiam respectu ejusdem objecti diversificari debent : nam principium activum praestat objectum esse in actu , passivum autem in potentia : quae sunt rationes prorsus diversae , & incompetibiles . At verò recipere , & conservare non sunt rationes oppositæ ex se , seu ex communi ratione potentiae passivæ : unde eidem competere possunt .

14 Dico 2. intellectus , & voluntas sunt potentiae realiter ab invicem distinctæ . Ita D. Thom. q. 22. de verit. a. 10. Prob. ex eodem S. D. ibid. voluntas , & intellectus simpliciter respiciunt diversas rationes genericas , & communes objecti ad animam pertinentis : ergo distinguuntur realiter , imo sunt diversa genera potentiarum . Prob. antec. res , prout ad animam inducit habitudinem potest dupliciter considerari : scilicet in quantum nata est esse in anima , non quidem secundum esse proprium , sed secundum modum animæ , id est , spiritualiter , & hæc est ratio cognoscibilis , prout est cognoscibile : alio modo aliquid dicit habitudinem ad animam , prout ipsa anima ad id inclinatur , & ordinatur , secundum modum ipsius rei in seipso existentis ; & hæc est ratio appetibilis , in quantum est appetibile : sed voluntas respicit rationem appetibilis ; intellectus autem rationem cognoscibilis : ergo respiciunt diversas rationes formales objecti .

15 Ut autem percipias , quomodo sint diversa potentiarum genera , nota ex S. D. ibid. c. quod esto omnes differentiae potentiarum desumantur penes diversas rationes formales objectorum , prout objecta sunt : tamen si differentiae essentiales objectorum , ut objecta sunt , respiciant aliquod speciale objectum animæ , & non simpliciter seu objectum universale , & adæquatum , tunc non constituunt diversa potentiarum genera , sed speciales potentias : v. g. sensibile nominat eisdem objectum

§24 Quæst. XVII. De Potentiis Animæ etc.

Etum animæ; non tamen simpliciter, sed quoddam objectum. Unde visus, auditus &c. sunt diversæ potentiaæ speciales, ad idem genus potentiarum animæ pertinentes, scilicet sensum, seu sensitivum. Sed cum differentiæ dividunt ipsum objectum simpliciter, ac communiter acceptum, prout habet aliquam habitudinem ad animam, tunc diversa genera potentiarum consti-tuunt. Et hoc modo intellectus, & voluntas sunt diversa potentiarum genera. Quia dividunt ipsum objectum simpliciter, penes diversam illam habitudinem, scilicet esse appetibile, & cognoscibile.

16 Argumenta, quæ contra primam conclusionem militare possunt, ex dictis soluta manent, Unum addimus, quod cum Sancti distinctionem ponunt inter intellectum, memoriam, ac voluntatem, loquuntur ex parte actuum, & non ex parte potentiarum: ut sumitur ex D. Th. in solut. ad i. scilicet memoriam usurantes pro habituali animæ retentione, intelligentiam autem pro notitia, quæ est actus intellectus, & voluntatem pro amore. Ad argumenta contra secundam conclusionem patet ex dictis supra q. 4. ubi actum est de distinctione potentiarum.

QUÆSTIO XVIII. DE INTELLECTU.

Postquam de anima secundum se, & potentissim illius in communi differuimus, de ipso intellectu nobis habendus est sermo, qui simpliciter est nobilior, & praestantior illius potentia, ut infra determinatur.



ARTICULUS PRIMUS

Kerum præter intellectum possibilem sit admittendus intellectus agens ab ipso realiter distinctus, & quid sit uterque.

I **Q**uidam absolute rejiciunt intellectum agentem. Ita cum aliquibus Antiquis Durandus in l. dist. 4. p. 2. q. 5. Cæteri Philosophi communiter ipsum admittunt cum Arist. lib. 3. de anim. text. 17. ubi ait: *Sicut in omni natura, ita & in anima est aliquid, quo est omnia fieri, & aliquid, quo est omnia facere.* D. Th. 1. p. q. 79. a. 2. & 2. contra gent. c. 76. & innumeris aliis in locis. D. Alb. M. 1. p. sum. de hom. tr. 1. q. 53. a. 2. & alibi sæpe. Licet autem omnes sere intellectum agentem admittant, non tamen eodem modo ejus naturam explicant. Quidam enim asserunt intellectum agentem nil aliud esse quam intellectum, seu habitum primorum principiorum. Qui videntur inniti autoritati Philosophi lib. 3. de anim. t. 17. & 18. asserentis intellectum agentem esse sicut habitum, & artem. Alii autem dixerunt intellectum hujusmodi lumen esse quoddam, ab Intelligentia, seu Substantia separata intellectui possibili communicatum. Alii aiunt ipsum esse quidem animæ potentiam, non tamen realiter ab intellectu possibili distinctam; sed solum formaliter. Ita Abulensis super caput 23. Exod. q. 74. Niphus lib. 1. de intellectu tr. 4. c. 21. Hanc sententiam nonnulli ex Recentioribus amplectuntur; alii valde probabilem reputant: inter quos P. Suarez lib. 4. de anim. c. 8. n. 13. Alii tandem asserunt intellectum agentem esse potentiam animæ nostræ realiter ab intellectu possibili distinctam. Ita D. Th. & D. Alb. M. locis cit. & communiter DD.

2 Supponendum est ex S.D. loc. cit. a. 2. Intellectum nostrum esse potentiam passivam; si comparetur tum ad proprium objectum, quod est quidditas rei materialis; tum ad speciem intelligibilem, qua informatur, & fœcundatur cu[m] principio activo seminali ad producen-

um

dum intellectuonem. Unde Philosophus lib. 3. de anim. t. 20. docet quod intelligere est quoddam pati: sumendo pati communiter, & in ampla quadam significacione: prout omne illud dicitur pati, quod recipit aliquis ad quod erat impotentia; nihil tamen ab eo abjecto, sed per novam sui perfectionem. Intellectus enim noster est in infimo, seu ultimo intellectualitatis gradu. Unde non æquè perfecte se habet ad cognitionem universalis intelligibilis, quod est ens universale, sicut Deus qui est in supremo intellectualitatis gradu totum intelligibile actu intelligens: nec sicut Angelus, cuius intellectus est equidem potentia ad intelligibile, cum non sit actus purus; tamen haec potentia est perfecta per actum specierum intelligibilitum sibi à Deo inditarum. Superest ergo ut intellectus noster non solùm sit potentia; quia deficiens, & cadens à perfectione intellectus divini, qui est actus purus; sed etiam sit potentia non perfecta per actum specierum: quia cadit à perfectione intellectus Angelici: qui sicuti ad Deum proprius accedit, ita & minus ab actualitate intelligendi cadit; licet actualitas sit in eo ut participata, ac per consequens ut cadens à perfectione, & actualitate divini intellectus. Unde ipse intellectus dicitur potentia passiva. Non tamen ita quod nihil agat, sed quia non agit nisi immutetur, & ab alio reducatur in actum: ut supra dictum est de sensibus.

3 Prima concl. necesse est in nobis ponere intellectum agentem. Prob. ex S. D. loc. cit. Intellectus noster est potentia ad omne intelligibile; ut explicatum est: ergo reduci debet in actum per intelligibile in actu: sed intelligibile in actu non est extra animam: ergo oportet quod fiat in actu per aliquam virtutem animæ, quæ hujusmodi intelligibilia præstet esse in actu: & haec virtus dicitur intellectus. Prima conseq. patet: quia nihil quod est in potentia ad aliquid reducitur in actum, nisi per aliquid, quod sit actu. Min. verò prob. quia res, quæ est extra animam est materialis, & corporalis: prout autem species ejus est in phantasia, est quidem potentia, & quasi actu inchoatio intelligentibilis, sed non actu: quia res sit actu intelligibilis, cum actu efficitur proportionata ipsi intellectui:

sed

sed hic est immaterialis: ergo sit actu intelligibilis cum est actu denudata à materia , appendicisque materiae; sed in phantasmate est cum appendicis materiae; nam est similitudo rei sensibilis secundum conditiones materiales: ergo non est actu intelligibilis.

4 Secunda concl. Intellectus agens non est substantia separata sed aliquid animae , quemadmodum & intellectus possibilis . Prob. ex S. D. lib. 2. cont. gent.c. 76. & q.unica de anima a. 5. Intellectus possibilis non est substantia separata , sed aliquid animae : ergo neque intellectus agens. Antec. patet ex eodem S. D. dicta q. de anim. a. 2. c. quia intellectus possibilis est quo anima intelligit : si autem intellectus possibilis es. set substantia separata , impossibile esset , quod eo intelligerer homo : quia actio attributa principali agenti non potest ullo modo esse alterius agentis: nam hoc est proprium instrumenti. Tum etiam quia nihil est in potentia nisi per aliquid intrinsecum: intellectu autem possibili anima est potentia ad omnia intelligibilia. Conseq. vero prob. agens , & patiens oportet esse proportionata : sed intellectus agens est proprium & proximum principium agens ; intellectus vero possibilis patiens : quia intellectus possibilis est quo anima nata est fieri omnia: ergo etiam intellectus agens erit aliquid animae .

5 Contra efficaciam hujus rationis est manifesta instantia : quia agens est aliquid extrinsecum ; sicut ignis respectu ligni : ergo quamvis demus intellectum agentem esse proprium activum ipsius intellectus possibilis , non tamen inde inferitur esse aliquid ipsius animae , sed potius oppositum. Multa congerit pro solutione hujus instantiae M. Ferrara loc. cit. Quibus omissis , sic arguo ex S. D. dicta q. de anima art. 5. c. sicut operatio intellectus possibilis est recipere intelligibilia , ita propria operatio intellectus agentis est ea abstrahere : sic enim intelligibilia efficit in actu ; & utrumque in nobis experimur: nam & nos intelligibilia recipimus , & abstrahimus ea : sed in unoquoque operante oportet esse aliquod formale principium, quo formaliter operetur : non enim potest aliquid forma-

liter operari per id, quod est secundum esse separatum ab ipso. Esto enim id quod est separatum, sit principium motivum ad operandum, nihilominus oportet esse aliquid intrinsecum, quo formaliter operetur, sive illud sit forma, sive qualisunque impressio. Oportet igitur in nobis esse aliquid principium formale quo abstrahamus intelligibilia, & faciamus ea esse in actu, & quo recipiamus ea. Et hujusmodi principium nominamus intellectum agentem.

6 Itaque cum S. D. ait oportere agens, & patiens esse proportionata, ita ut proprium passivum correspondeat agenti, & sit susceptivum illius, loquitur de agente formaliter sumpto, quod est actus passivi: & non efficiens primum esse, sed secundum. Nam omnis actio aliquod principium formale activum intrinsecum supponit, per quod agens agat: & cum hujusmodi abstractio sit immanens, & in nobis, illud principium in nobis esse debet, & proportionatum passivo quod recipit intelligibilia. Pro majori intelligentia nota ex D. Alb. M. loc. cit. quod anima est composita sicut totum potestuum ex suis potentias. In omni autem composito primæ partes sunt potentia, & actus: ergo in ipsa anima erit ratio potentiae, & actus respectu intelligibilium, in qua potest: sicut ergo potentia est radix intellectus possibilis, quo potest omnia intelligibilia suscipere, & est potentia ad illa, ita actus erit radix intellectus agentis, quo possit illa omnia facere actu: ergo sicut intellectus possibilis est pars animæ, seu proprietas ejus consequens rationem potentiae in ipsa, ita intellectus agens, erit proprietas consequens rationem actus in ipsa: & uterque erit de substantia illius; quia omne agens formale debet esse proportionatum patienti. Esto enim anima non sit composita ex materia & forma, tamen est composita ex quo est, & quod est, seu actu, & potentia, cum non sit actus purus: & secundum hoc consequitur quod sit passiva, & activa. Intellectus agens consequitur eam secundum id quo est: possibilis autem prout est id quod est.

7 Itaque spiritualiter, & intentionaliter anima nata est

st fieri omnia ; ergo debet habere actuum formale proportionatum proximum , quo fiat omnia ; quia proprio passivo correspondet proprium actuum formale : sed non est actuum proportionatum naturale in rebus , quo possit fieri omnia actu ; quia omnis virtus , & forma corporea est limitata : ergo debet esse hujusmodi virtus immaterialis , quae nata sit facere omnia , seu omnia operetur intelligibilia praestando esse in actu . Et cum hoc efficiat dependenter à phantasmibus , & actione propria , nullatenus potest hujusmodi virtus esse substantia separata .

8 Nec est difficile concipere quo pacto in eadem animæ substantia utrumque inveniri possit ; scilicet intellectus possibilis , qui est in potentia ad omnia intelligibilia , & intellectus agens qui facit ea intelligibilia in actu . Nec enim est impossibile aliquid esse in potentia respectu alicujus , & in actu respectu ejusdem secundum diversa . Si ergo consideremus ipsa phantasmatæ per respectum ad animam humanam , inveniuntur quantum ad aliquid esse in potentia , quatenus non sunt à conditionibus individuantibus abstracta , abstrabilia tamen . Quantum vero ad aliquid inveniuntur esse in actu respectu animæ : inquantum scilicet sunt similitudines determinatarum rerum . Est ergo in anima nostra invenire potentialitatem respectu phantasmatum , prout sunt determinatarum rerum repræsentativa . Et hoc ad intellectum possibilem spectat : qui de se est in potentia ad omnia intelligibilia , sed ad hoc , vel illud per species à phantasmatibus abstractas determinatur . Est etiam in anima invenire quandam virtutem activam immaterialem , quæ ipsa phantasmatæ à conditionibus materialibus abstrahit . Et hoc pertinet ad intellectum agentem , ut intellectus sit agens quasi quædam virtus participata ex aliqua substantia superiori .

9 Relp. itaque ad arg. efficiens , quod est purè efficiens esse extrinsecum : sed efficiens , quod est efficiens formale , & perfectivum , non potest esse purè extrinsecum , sed necessariò debet esse intrinsecum , & receptum , ut patet in habitu ; intellectus autem agens ,

ut notat D. Alb. M. q. 53. a. 2. est efficiens formale : unde & vocatur ars , seu habet similitudinem cum arte ; quatenus , sicut ars est efficiens formale , ita & ipse intellectus : species autem sunt sicut forma artificiata , intellectus possibilis , sicut materia .

10 Tertia concl. intellectus agens , & patiens sunt virtutes , seu potentiae secundum suas rationes formales realiter distinctæ . Prob. ex eodem loc. cit. art. 4. impossibile est idem secundum idem esse movens , & motum ; agens , & patiens , quia simul esset in actu & in potentia : sed intellectus possibilis est mouus , & patiens & potentia susceptibilis omnium intelligibilium : intellectus autem ageus est movens , & natus facere omnia actu intelligibilia : ergo realiter nequeunt idem esse .

11 Conf. quemadmodum in genere naturali materia prima est potentia passiva susceptiva omnium formarum naturalium : ita intellectus possibilis spirituallus susceptivus est omnium intelligibilium , seu potentia passiva ad omnia intelligibilia : cum sit id quo anima nata est fieri omnia : sed materia prima , ex eo quod sit potentia passiva simpliciter , ab agente distinto à se necessariò reducitur ad actum formæ ; & ex seipso non est se reducens ad actum : ergo neque intellectus possibilis ex seipso erit potens ad reducendum se ad actum intelligibilem ; sed alicujus virtutis ope , & interventu reducendus venit in actum . Nec valet dicere id præstare phantasmata : cùm hæc sint agentia improportionata , & solum potentia intelligibilia ; ut diximus supra , & latius explicaturi sumus ar. seq.

12 Quarta concl. intellectus agens non est habitus causæ primæ irradians super omnia intelligibilia , seu lumen communicatum ab Intelligentia separata , nec habitus aggregatus ex speciebus intelligibilibus , sed potentia animæ rationalis ab ejus essentia fluens . Ita S. D. in 2. d. 17. q. 2. a. 1. c. D. Alb. M. loc. cit. q. 53. art. 2. Prima pars probatur lumen intelligentiarum primæ non est motor conjunctus , nec agens dependenter à phantasmatis , ut patet in lumine Angelico : intelligere nostrum autem non est sine phantasmate .

mate. Deinde quia si intellectus agens esset lumen communicatum irradientis super omnia intelligibilia; non esset nobis occultum, sed manifestum: cum tamen ad ejus cognitionem intellectus noster sicut oculus vespitionis ad lumen Solis se habeat.

13 Secunda pars prob. intellectus agens neque est habitus simplicium, neque complexorum: ergo nullatenus est habitus. Prob. antec. intellectus agens semper est in actu: ergo si esset habitus simplicium, simplicia essent actu in anima, unde nullum eorum à sensibus acciperetur. Dices ipsum intellectum agentem esse habitum unius, vel plurium simplicium specierum, & non omnium. Contra in illis nonnisi potentia cætera continentur; v. g. homo & leo in ratione, & conceptu substantiæ: ergo secundum proprias rationes nunquam intelligerentur. Quod autem non sit habitus complexorum probatur: imprimis non est habitus primorum principiorum; principia enim per cognitionem terminorum cognoscimus, qui debent præcognosci: & horum notitia est habitus incomplexorum, & non complexorum. Nec est habitus consequentium ex principiis, alias à nobis actu omnia essent scita, & nihil addisceremus: quia omnium in nobis habitus esset. Superest ergo dicendum ipsum intellectum agentem esse potentiam, & virtutem animæ ab ejus essentia fluentem. Ipse tamen, esto sit potentia, habet similitudinem cum habitu, ut diximus, quia est ut principium formale effectivum, quemadmodum habitus, & perfectio intellectus possibilis, reducens ipsum de potentia in actum. Est etiam veluti quedam virtus participata ex aliqua substantia superiori, scilicet Deo. Urde Philosophus 3. de anim. t. 18. dicit quod intellectus agens est ut habitus quidam, & lumen. Et in Psalm. 4. dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* D. Tho. q. unic. de anim. a. 6. c.

Solvuntur Argumenta.

14 **A**Rg. 1. contra 1. sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia: sed non datur sensus agens; sive externus, sive internus: ergo neque intellectus. Maj. patet ex lib. 3. de anim. cap. 4. ubi dicitur quod intelligere est sicut sentire. Confirm. sicut se habet species sensibilis ad sensum, ita & species intelligibilis ad intellectum: cum utraque perficiat potentiam: sed species sensibilis seipsum in sensum immittere, & imprimere actu potest absque omni alio agente, quod sit sensus: ergo similiter species intelligibilis in intellectu.

15 Propter hanc, & similes rationes quibusdam visum est dari sensum agentem. Ita tribuitur Averroë lib. 2. de anim. t. 6. Ianduno quæst. 16. August. Niphon tract. de sensu agente, quos sequuntur aliqui Recentiores: quia sensus est potentia passiva non minus indigena activo sibi proportionata, quam intellectus. Et esto de sensibus internis id aliqui facile non concedant, tamen dari sensum internum agentem arbitrantur: cum sensus interni species habeant intentionales, quæ ab ipsis objectis produci nequeunt: cum sint quid insensatum: ut esse inimicum &c. Attamen nullatenus dari sensum aliquem agentem docent D. Thom. 1. par. quæst. 79. art. 3. D. Alb. M. sum. de hom. tract. 1. quæst. 34. a. 1. & 3. a. 1. & communiter Philosophi.

16 Duplicem rationem breviter insinuat D. Alb. M. loc. cit. Prima est: sensus non est unius potentiae sensibilis: ergo non potest esse universale agens ad omnia sensibilia: in intellectu autem est una, atque adem potentia recipiendi omnia intelligibilia: ergo necessarium est ei correspondere aliquod agens universale: nullum autem objectum sensibile est agens universale, ut disimus supra. Altera est: quia objecta sensibilia sufficienter immutant sensus, & agunt in illos mediis suis speciebus: unde nulla est necessitas constituendi sensum universaliter agensem in ipsa sensibilia, ut possint

sint sensus ipsos actu immutare: sed phantasma, quod est objectum intellectus, non sufficienter movet nec universaliter ipsum intellectum: unumquodque enim phantasma est particulare determinatum: ergo necessarium est constituere agens universale efficiens actu intelligibilia, & movens ipsum intellectum possibilem. Idem insinuat S. D. loc. cit. Itaque non negamus quin sensus particulares aliquid agant; cum enim ex objecto & potentia pariatur notitia, ad actum cognitionis simul cum specie concurrit quilibet sensus effectivè: sed negamus dari sensum universaliter agentem, qui sensibilia praestet esse in actu, & producat species, seu educat ex ipsis sensibilibus diffundendo lumen suum super illa, quibus speciebus informatus ipse sensus sensationem producat.

17 Ex quibus patet solutio ad arg. cuius conseq. negatur propter rationes discriminis adductas. Ad confirm. resp. ex D. Alb. M. Species sensibilium primò & per se non agere in sensum, sed in virtute objectorum, quæ sunt moventia prima, & activa proportionata ipsis sensibus, cœu potentiis propriis passivis, quas immutant mediis speciebus sensibilibus à se emissis. Vnde S. D. 4. cont. gent. c. 11. *Sensibile exterius*, inquit, *formam suam exterioribus sensibus ingerit*, à quibus procedit in *imaginationem*, & ulterius in *memoriae thesaurum*. Ab ipsis autem speciebus reservatis quandoque sensus interiores immutantur, ut contingit in somniis, & facti in actu quasdam novas species ex præconceptis formant; sed tamen nunquam ad id pertingunt ut primò agant in sua sensibilia, & illa illuminando faciant in actu sensibilia; quin potius à sensibilibus immutantur, quibus cooperantur ad formationem novæ speciei ex præconceptis, ut diximus supra.

18 Arg. 2. natura Angelica est aliquando in potentia ad cognoscendas plures veritates, in ordine ad quas in actu fieri potest: sed tamen in eo non constituitur intellectus agens: ergo hujusmodi ratio non cogit admittere in homine intellectum agentem: è præsertim quod ipse substantias spirituales etiam co-

gnoscat, quæ ex se jam sunt actu. Et profectò in statu separationis erit ejus cognitio à phantasmatibus independentis: unde ad nihil prorsus deserviet ipse intellectus agens. Tandem quia anima Christi fuit perfectissima, & ejusdem naturæ seu speciei cum aliis: attamen in ipsa non videtur S. D. in 3. d. 14. art. quæstiunc. 5. ad 3. admittere intellectus agentis operationes.

19 Resp. ad arg. M. Bannes 1. par. q. 79. art. 3. intellectum hominis esse in potentia nuda, & essentiali ad omnia intelligibilia, & ideo indigere proprio agente ut educatur in actum: at vero intellectus Angeli, esto sit in potentia ad aliqua intelligibilia, est tamen hujusmodi potentia accidentalis, unde non indiger aliquo agente intellectu ut educatur in actum. Verumtamen hæc solutio non nihil difficultatis involvit: nulla enim creatura essentialiter est actus omnium intelligilium, quia hoc est proprium solius Dei: ergo ex se uterque, tam homo, quam Angelus est in potentia ad intelligibilia. Discrimen ergo est, quia secundum naturalem modum potentia intellectiva animalis rationalis non est perfecta per actum, sed simpliciter est perfectibilis, unde indiget universali agente; quia est in infimo intellectualitatis gradu: & ideo in confinio materialium substantiarum, simpliciterque in nuda potentia, sicut materia prima in genere naturali. At vero potentia intellectiva Angeli est potentia perfecta per actum per species sibi inditas, nec competit naturæ illius à phantasmatibus, seu potentia intelligibilibus eas acquirere. Vnde non indiget intellectu agente, sed applicatione intellectus ad intelligendum: qui est enim in habitu operatur cum vult. Quia igitur substantiae immateriales nobis non sunt actu intelligibles pro hoc statu, nisi dependenter à phantasmatibus, ideo & respectu earum constitutus est in nobis intellectus agens.

20 Resp. ad 2. omnes Theologos in hoc convenire, quod intellectus agens in anima separata maneat: quia est potentia animalis immaterialis, ac proinde perpetua & incorrupibilis. Valde tamen inter se dif-

sentiunt in explicanda illius actione pro statu illo separationis animæ à corpore . Omissis variis dicendi modis , quorum nonnullos adducit , & refutat M. Barnes loc. cit. Resp. cum D. Thoma q. vnic. de anim. a. 15. ad 9. quod operatio intellectus agentis , & possibilis respicit phantasmata , secundum quod est anima corpori unita : sed , cùm erit anima à corpore separata , per intellectum possibilem , recipiet species effluentes à substantiis superioribus , & per intellectum agentem habebit virtutem ad intelligendum .

21 Quid sit autem hujusmodi virtus , haud facile explicari potest . Ferrariensis lib. 3. cont. gent. c. 45. rem ita explicat : in anima conjuncta intellectus agens duo facit : nam & intelligibilia in potentia facit intelligibilia in actu , & præbet intellectui possibili virtutem ad intelligendum per modum cuiusdam luminis , ita ut virtus animæ ad intelligendum sit tam ex intellectu possibili , quam ex intellectu agente . In anima vero separata non facit intelligibilia in actu , cùm in ipsa non sint phantasmata , quæ ad facienda intelligibilia in actu , simul cum intellectu agente requiruntur . Addidit autem S. D. quod anima separata intellectum Substantias separatas per lumen intellectus agentis , ut ostenderet non deesse animæ virtutem , quæ posuit Substantias separatas intelligere per influentiam Specierum ex superiori lumine , cùm habeat in se similitudinem quandam intellectualis luminis existentis in substantiis separatis , receptam à communi causa utrorumque , videlicet à Deo . In idem ferè coincidit explicatio Bergomensis Tabula aurea dub. 1218. ubi ait : intellectus agens potest esse sine hac operatione , scilicet abstrahere species à phantasmatibus ; nec tamen est frustra , ut patet in intellectu completo per omnes species , sicut est intellectus Christi : quia habet alias operationes , scilicet causare notitiam principiorum , & fortificare operationem intellectus possibilis , assistendo ei ut educat in actum ea , quæ virtualiter continentur in primis principiis .

22 Adverte intellectum agentem esse , ut formale principium effectivum , habereque rationem artis , &

luminis : intellectum autem possibilem esse illius proprium passivum . Vnde operatio intellectus , quæ est intelligere , est utriusque , sicut & quælibet actio naturalis est materia , & formæ ; formæ quidem ut quo , seu activè ; materia autem ut quod , seu tanquam subjecti . Quemadmodum ergo causalitas formæ est diffundere se super materiam per modum luminis , reducendo eam in actum : ita & propria actio intellectus agentis est diffundere se per modum luminis cuiusdam , reducendo intellectum possibilem in actum . Itaque ipsum intelligere propriè est ipsius animæ intellectivæ : quia actus , & operationes sunt subsistentium : sed est actus animæ secundum intellectum agentem , & possibilem : ad ipsum enim concurrit intellectus agens , sicut efficiens & forma ; intellectus autem possibilis , sicut recipiens , & subjectum intelligibilem . Et hoc pacto S. D. dicit animam separatam per intellectum possibilem recipere species effluentes à Substantiis separatis , & per intellectum agentem habere virtutem ad intelligendum : scil . tanquam à principio formalis effectivo per diffusionem sui in intellectu possibili . D. Alb. M. sum. de hom. tr. i. quæst. 55. a. 6. Ex his patet ad argum. de intellectu Christi adductum . Dico enim in ipso fuisse intellectum agentem , & esto non abstraheret à phantasmatis species ad intelligendum , tamen respectu intellectus possibilis necessarius erat per modum principii formalis effectivi reducentis ipsum in actum .

23 Arg. 3. nulla operatio intellectus agentis est necessaria in anima : ergo non debet poni intellectus agens à possibili distinctus . Ant. prob. vel operatio est necessaria ratione phantasmatis , vel ratione intellectus agentis , vel ratione utriusque simul : sed neutrum horum : ergo &c. Prob. min. imprimis non est necessaria ratione phantasmatis . Nam , vel est necessaria hujusmodi operatio ut in ipsa phantasmata agat ; & tunc , cùm effectus productus in illis sit necessariè materialis , sicut ipsa phantasmata , ex consequenti non magis movebitur quam ipsa phantasmata : vel est necessaria hujusmodi operatio ut abstrahat speciem intelligentibilem

gibilem à phantasmatibus; & neque ad hoc necessaria constituendus videtur: primò quia illæ species nunquam fuerunt in phantasmatibus, ista enim sunt materialia; species autem intelligibiles sunt immateriale: sed nihil abstrahitur ab eo, in quo esse nequit: ergo non requiritur, ut abstrahat speciem intelligibilem à phantasmatibus. Secundò, quia species illæ, cùm sint accidentia, non possunt de subjecto in subjectum migrare: ergo nequeunt à phantasmatibus extrahi.

23 Nec valet dicere intellectum agentem educere speciem intelligibilem de potentia phantasmati, quemadmodum agens naturale formam de potentia materiæ educit. Non, inquam, valet: quia forma, quæ educitur de potentia materiæ, semper in illa subjectatur: sed species intelligibiles in ipsis phantasmatibus non subjectantur: ergo non educuntur ex illis. Quod si quis responderit intellectum agentem operari in ipsa phantasmati, quia præstat, & efficit ut objectū appareat illic sine conditionibus materialibus, sicut lumen efficit, ut colores apparent visibles. Contra est: quia ista apparentia non potest fieri nisi mediante aliqua operatione ex suppositis; quas non requiri, immo impossibile esse probatum est.

24 Quod autem operatio ipsius intellectus possibilis non sit necessaria, neque exigatur ut agat in ipsum intellectum possibilem, prob. vel in ipsum intellectum possibilem agit solus intellectus agens, vel simul cum phantasmate? non soius: quia sequeretur, quod à principio omnes species intelligibiles produxisset, cùm ipse sit agens, & intellectus possibilis patiens, & sint sufficienter approximat; & ex alia parte nullum sit impedimentum: deinde quia oportet intelligentem phantasmati speculari: neque etiam simul cum phantasmatibus in ipsum agere potest: cùm enim intellectus agens sit immaterialis, phantasmati autem sint quid immateriale non rectè percipitur, quo pacto ex his duobus unum principium fieri possit ad species intelligibiles producendas: deinde quia phantasmati ex se illam virtutem non sortiuntur, cùm sint materialia: ergo neque etiam simul cum intellectu agente illam habebunt.

ARTICULUS SECUNDUS

An, & quomodo intellectus agens abstrahat species intelligibiles à phantasmatibus, & agat in ipsum intellectum possibilem.

26 **I**n intellectum humanum, quandiu anima est corpori immersa, necessariò ad phantasmata debere converti, est expressa Philosophi sententia lib. 3. de anim. t. 30. D. Thomæ, & D. Alb. M. ibid. & omnium ferè Philosophorum. Quod probat S. D. p. p. q. 84. a. 7. c. primo: cùm intellectus sit vis quædam non utens corporali organo, per læsionem alicujus organi corporalis minimè impediretur nisi ad intellectionem alicujus potentiae utentis corporali organo, actus exigeretur; cujusmodi sunt omnes potentiae sensitivæ: sed experimur, impedito actu virtutis imaginativæ per læsionem organi corporalis, ut in phræneticis accidit, aut etiam actu memorativæ, ut in lethargicis, hominem impediri in intelligendis, etiam illis, quorum scientiam præacceperat: ergo necessarium est intellectum nostrum, dum corpus hoc animam aggravat, converti ad phantasmata, seu species rerum sensibilium ut actu intelligat, sive de novo in actum intellectionis, & scientiæ prodeat, sive ut scientia jam accepta utatur.

27 Secundo prob. objectum nostri intellectus proportionatum, & connaturale est quidditas rei materialis: sed de ratione hujus naturæ, seu quidditatis est quodd in aliquo individuo existat, quod non est absque corporali materia: ergo nequit vere, & completem percipi, nisi cognoscatur ut in particulari existens: sed particulare sensu, & imaginatione apprehendimus: ergo ut intellectus suum proprium, & connaturale objectum percipiat, necessarium est ut ad phantasmata se convertat, ut naturam universalem in particulari existentem speculetur. Min. prob. S. D. nam de ratione naturæ lapidis, est quodd sit in hoc la pide: & de ratione naturæ qui est, quodd in hoc equo existat &c. non enim in re existunt naturæ universales.

28 Etsi communiter admittant Philosophi , & Theologici intellectum nostrum oportere ad intelligendum , phantasmatum speculari ; hanc tamen rationem D. Tho. non omnes admittunt , quin potius eam non pauci rejiciunt . Primo , quia nullatenus verum est , quod objectum intellectus nostri sit quidditas rei materialis : tam quia nullatenus Substantias separatas cognoscere possemus : quia nulla potentia extra limites sui objecti se extendere valet . Tum etiam quia , quanto aliquod objectum esset magis materiale , eo cognoscibilius esset : quemadmodum id quod magis album , aut lucidum est , magis visibile est . Tandem etiam anima conjuncta corpori impassibili hujusmodi conversione ad phantasmata indigeret : quod est falsum . Nec sufficit si dicatur disparem esse rationem : quia nimirum corpus passibile non est omnino subditum animae , quin potius deprimit , & aggravat illam ; impassibile autem plene subditum erit . Non , inquam , sufficit . Nam in statu innocentiae corpus animae perfecte subjiciebatur : attamen sine conversione ad phantasmata non intelligebat .

29 His tamen non obstantibus propositio D. Thomae vera est ; togliendo de objecto proportionato , & connaturali ipsius intellectus sensibus immixti , ut fuse explicatus lib. 1. Physic. q. 2. esto objectum adæquatum , & terminativum illius sit ens , ut infra dicemus . Unde resp. ad 1. nos etiam substantias separatas posse cognoscere , quia sub objecto formali adæquato continentur . Pro statu autem isto , quo ipse intellectus est sensibus immersus , non eas attingit secundum proprias illarum quidditates , & ut sunt in se ; sed ad instar corporalium rerum , ac per conversionem ad phantasmata . Resp. ad 2. quod sicut ens & verum est objectum intellectus secundum se sumpti , & simpliciter , & illud suapte natura cognoscibilius est , quod magis de entitate participat , ita & quidditas rei materialis est objectum intellectus , non quidem absolute sumpti , sed immersi sensibus : unde secundum hoc , & pro hoc statu aliquid est cognoscibilius , quo confusius est , & universalius : quod est esse materialius per modum quidditatis . Resp. ad 3. cum D. Caietano intellectum animae unita corporo-

ri passibili, conversione hujusmodi ad phantasmata indigere secundum naturam suam, seu naturaliter loquendo: unde & in statu innocentiae ad intelligendum oportebat ipsum phantasmata speculari. At vero cum anima corpori impassibili, & gloriose coniungetur, non erit modus naturalis, sed supernaturalis. Unde tunc temporis anima perficietur in modo intelligendi, ut possit in illo statu etiam directe singularia intelligere, sicut poterat, cum erat à corpore separata. Extolleatur enim tunc anima ad modum cognoscendi Angelorum.

30 Secundo in hac ratione D. Thomæ difficultatem ingerit id quod subsumitur: nemirum quod sit de ratione hujus naturæ, seu quidditatis materialis, quod in aliquo individuo existat. Unde infert non posse vere, & complete cognosci, nisi in aliquo particulari existat. Nam illud dicitur de ratione alicuius esse, quod per definitionem ipsius quidditativam explicatur: per hanc autem non explicatur existentia rei in particulari, sed prædicata quidditativa, aut propriæ passiones. Deinde quia sicut materialia habent quidditates abstrahibles à singularibus, ita etiam immaterialia: sed immaterialia perfectè cognosci possunt absque illo particulari modo essendi: ergo etiam materialia.

31 Pro explicatione hujus difficultatis multa adducit M. Barnes p. p. q. 78. a. 7. dub. 2. quibus omissis nota duplex esse universale; scil. Meraphysicum, quod est simplex natura, simplexque rei conceptus, & Physicum, quod est ipsa natura ut in particularibus existens, seu diffusa in illis: unde in ea cognitione qua attingitur natura, oportet etiam attingi particularia, saltem indirecte: alias non cognoscetur res physica, prout habet esse: non enim habet esse in re nisi in particularibus. Quidditas autem rei materialis, seu qualitatibus sensibilibus affectæ, est natura physicæ sumpta: unde ut cognoscatur perfectè, & vere, debet cognosci ut existens in aliquo particulari, in quo nata est movere sensum, & mediante sensu ipsum intellectum.

32 Nota insuper, cum dicit S. D. quod potentia cognoscitiva proportionatur cognoscibili, dupliciter intelligi: primò formaliter, & objective, & in linea intentio-

tentionali: secundò materialiter, & subjectivè, seu quoad rationem essendi in rerum natura. Et hoc secundo modo loquitur D. Thomas: unde statim subdit: *Intellectus Angeli, qui est totaliter à corpore separatus, objectum proprium est substantia intelligibili à corpore separata, & per hujusmodi intelligibilia materialia cognoscit. Intellectus autem humani, qui est conjunctus corpori, proprium objectum est quidditas sive natura in materia corporali existens.* Ubi advertendum est dupliciter dici objectum proprium: primò ex parte cognoscientis: secundò ex parte rei cognitæ. Proprium ex parte rei cognitæ est quod simpliciter terminat, ac specificat potentiam, ita ut sub illa ratione formaliter à nulla alia potentia attingi possit: hoc pacto color dicitur objectum proprium visus, sonus auditus, bonum voluntatis, & verum seu ens ipsius intellectus. Ex parte autem cognoscientis dicitur proprium, quia cognoscens peculiari modo fundato in suo esse tendit ad illud: hoc modo dicimus esse lucem Solis proprium objectus visus aquilarum, non autem noctuarum. Et hoc modo quidditas rei materialis dicitur proprium objectum intellectus, non simpliciter, sed prout habet esse in tali cognoscente, scil. homine, in quo habet peculiarem modum essendi; nemirum esse unitum corpori per animam, quæ est corporis forma, ad quam ipse intellectus consequitur. Et per hoc est distincta species potentiarum intellectivæ, sed non distinctum genus ab intellectu Angeli.

33 Et in hoc fundatur vis, & efficacia rationis S. D. intellectus Angeli est specie distinctus ab intellectu humano: ergo etiam intelligere humanum est distinctum specie ab intelligere ipsius Angeli; quia à potentias specie distinctis procedunt operationes specie distinctæ, sicut calefactio à calore, & infrigidatio à frigiditate: ergo distingui debent ex diversa habitudine formalis, & propria ad ipsum intelligibile: sed haec non potest esse, nisi quia ipse intellectus Angeli, qui est separatus à materia, respicit objectum in re à materia separatum, intellectus vero hominis in materia existens: ergo proprium objectum istius est quidditas rei materialis. Itaque uterque intellectus secundum

rationem communem potentiarum spiritualium, spirituali modo perficitur ab intelligibili, scilicet immaterialiter: sed prout est propria talis cognoscentis, & sequitur formam propriam, jam non eodem modo respicit intelligibile, ut sibi proprium est.

34 Unde ad 1. argum. resp. dist. ant. existentia in particulari non est de ratione rei metaphysicè considerata, concedo: physicè, & prout sequitur ad naturam rei materialis completae in suo esse, nego. Sic enim efficitur propria, & per se competens rei. Rem ita aperio; existentia duplicitate sumi potest: primo prout est actus illimitatus dicens esse actu, & hoc pacto nulli creaturæ per se competit, sed accidit rationi illius. Secundò ut determinata & consequens ad formam specificam, à qua habet modum essendi tali, vel tali modo: scilicet per se, vel in alio: si per se, vel in materia, vel absque materia. Itaque existentia in particulari, hoc pacto dicitur esse propria, & saltem radicaliter seu aptitudinaliter est de essentia rei. Et hoc modo intelligendus venit S. D. dum dicit: *De ratione autem hujus naturæ est, quod in aliquo individuo existat, quod non est sine materia corporali.* Resp. ad 2. quod neque res materiales perfectè cognosci possunt, nisi attingatur modus quo habent esse in singulari.

35 Circa modum quo intellectus agens phantasma illustreret, efficiendo actu intelligibilia, & speciem intelligibilem ab ipsis abstrahat variis sunt dicendi modis, de quibus fuisse M. Bannez 1. p. q. 79. art. 3. dub. 2. Respondeo cum D. Th. ibid. ad 2. quod sicut *lumen requiritur ad visum, ut faciat colores actu visibles:: similiter requiritur & propter idem intellectus agens ad intelligendum proprius quod lumen ad videndum.*

36 Nam ex eodem S. D. & D. Alb. M. lib. 2. de intell. & intellig. tr. 3. cap. 3. & 4. intellectus agens comparatur lucis: quia sicut lux est primum agens, universaliter, & incessanter, sub cuius actu omnes colores visum movent; ita intellectus agens est primum agens esse intellectuale, & universaliter agens esse intel-

tellectuale, & incessanter agens esse intelligibile. Quod ut melius percipiatur, sciendum est omne, quod intelligitur, per suam formam intelligi, quæ sicut illi præbet esse actu, ita & esse intelligibile: unde materia non nisi per analogiam ad formam cognoscibilis dicitur. Omnis autem forma est ut quædam lux participata, & ut hypostasis rerum, quemadmodum lux dicitur esse hypostasis colorum. Sicut ergo lux, quæ hypostasis colorum est, eisdem est in potentia propter incorporationem ejus cum materia colorum, ita & forma quælibet propter incorporationem ejus cum materia, in qua habet esse, in potentia est, non quidem ad aliam formam, sed ad rationem formæ simplicis, quæ est ut essentia, seu id quo res est: in re enim est id quod est, & non quo simplex & per se: sicut in re non datur humanitas ut per se, seu essentia hominis, sed hic homo, seu humanitas in supposito incorporata & existens. Omnis enim forma est radius primæ lucis, quæ simplicissima est natura, & sub hac ratione simplicitatem æmularunt in ratione sua, sed compositionem ab eo fortiter quod est, seu participat primam formam cum deficientia & casu.

37 Dico igitur quod intellectus agens eatenus illuminare phantasmata dicitur, quatenus præbet eis simplicitatem essentiæ, & formæ sub qua sunt rerum rationes, & intellectus quidam earum. Unde optimè dixit D. Caietanus quod intellectus agens illustrat objectivè phantasmata, præbendo scilicet rebus simplicitatem essentiæ, & formæ, seu intellectus cuiusdam, sub qua ratione natæ sunt intellectum movere: non vero formaliter inhærendo eis: sicut lux in extremitate colorum diffusa non præbet eis formaliter esse; sed esse actu objectivum, sub quo colores sunt motivi ipsius visus secundum actum. Sub hac enim ratione rerum formæ, ut stant sub lumine intellectus universaliter agentis, redduntur proportionatæ, ut intellectum possibilem moveant. Prob. ex D. Alb. M. loc. cit. in qualibet rerum universitate est constituendum aliquod agens primum, in quo est status illius ordinis: quemadmodum ergo in omnibus corporalibus est primum agens,

agens, scilicet lux Solis, quæ est formarum corporearum effectiva secundum esse naturale, prout est qualitas primi corporis: ita & in ordine intellectualium intellectus agens est primum & universale agens praebens formis, non ut sint absolute, sed ut sint rerum rationes & notiones, per quas intellectus reducitur de potentia in actum cognoscendi; & hoc pacto modus intelligendi sequitur modum essendi.

38 Ad arg. Durandi supra propositum resp. intellectus agentis operationem primo, & per se destinari ad reducendum intellectum possibilem de potentia in actum. Quod præstat illustrando phantasmata, praebendoque naturæ simplicitatem essentiae, & formæ, sub qua ratione in ipso intellectu possibili, ceu receptivo accipit actu esse distinctum genere ab esse phantasmatum. Quod quidem esse est objectivum proveniens ab ipso intellectu agente, prout est ratio universalis rerum, in determinata tamen, determinatur autem per speciem rei determinatae acceptæ à phantasmatis, cui dat esse objectivum in intellectu possibili, & motivum illius. Quod palchre, ^{explique} s. D. q. de anim. a. 6. ad 6. ubi ait: *Licet in anima nostra sit intellectus agens, & possibilis: tamen requiritur aliquid extrinsecum ad hoc quod intelligere possumus. Et primo quidem requiruntur phantasmata à sensilibus accepta, per quæ repræsententur intellectui rerum determinatarum similitudines. Nam intellectus agens non est talis actus, in quo rerum omnium species determinatae accipi possint ad cognoscendum. Sicut nec lumen determinare potest visum ad species determinatas colorum, nisi adsint colores determinantes visum. Verum quia colores moventes visum sunt extra animam, phantasmata autem, quæ movent intellectum sunt intrinseca, ideo quamvis lux Solis exterior sufficiat ad faciendum colores visibiles actu, ad faciendum tamen phantasmata esse intelligibilia actu, requiritur lux interior, quæ est lux intellectus agentis.*

40 Ad illud quod additur, nimirum species, quæ abstracti sunt, nunquam fuisse in phantasmatis, quia

funt

sunt materialia : dist. non fuerunt in phantasmatibus secundum rationem suam , ac simplicitatem naturæ , & rei repræsentatæ , concedo : secundum materiam causæ , & potentiam , nego . Nam formæ sunt principia cognoscendi rerum , sicut & essendi : & quatenus sunt conditionibus materialibus involutæ in phantasmatibus , jam sunt propria materia , in quam intellectus agere possit ; quia sunt cum habitudine ad intellectum , & sub quodam esse intentionalí imperfecto . Quod si insites , formam , quæ educitur de subjecto in ipso subjecto recipi ; dist. si subjectum se habeat in ratione subjecti , & cause materialis dantis esse , concedo : si se habeat in ratione instrumenti , & ut materia causæ , nego . Phantasmatæ autem non se habent in ratione subjecti , & causæ materialis , sed instrumenti deservientis superiori potentie ad determinationem similitudinis rei , quæ fit actu in intellectu possibili ; v. g. similitudo Cæsaris est in mente ut in causa principali , in ligno ut in materia , de cuius potentia educitur : & præterea est in instrumentis ut recipientibus motionem ipsius artificis , & primi agentis , præter quam requiritur ut habeant determinatam formam sibi propriam . Ita pariter similitudo & species rei est in intellectu agenti , ut in causa universalí continente virtualiter & indeterminate rerum omnium similitudines : in intellectu possibili , ut in materia , non quidem extrinseca , sed intrinseca arti , quæ operatur in ipsam , ut virtus in semine : in phantasmatibus autem , ut in instrumentis recipientibus motionem intellectus agentis , in quibus sunt res determinatae : unde instrumentaliter agunt ad productionem speciei , non quidem secundum esse , quia hoc spirituale est ; sed secundum determinacionem , seu ut sit rei determinata similitudo , & forma . Esto enim inferius non possit agere in superioris effectum dando illi esse , bene vero ut confert ad determinationem rei . Quia determinatio non arguit nobilitatem , sed imperfectionem , præsertim si materialis sit . Unde concursus Dei materialiter à creatura determinari dicitur , esto creatura à Deo in infinitum distet . Sic & ad effectum intellectus agentis in possibili , ceu pro-

prio passivo agit phantasma instrumentum præbens determinationem ut species, & similitudo determinata producatur in actu.

41 Quo pacto autem intellectus agens faciat intelligibilia in actu, variè explicant Autores videndi apud M. Bannez dicta q. 79. a. 3. Notandum est S. D. quandoque asserere quod intellectus efficiat res materiales in actu; quandoque vero quod faciat phantasmatæ intelligibilia in actu. Primum docet 1. p. q. 79. a. 3. secundum autem lib. 2. cont. gent. c. 77. Sciendum quod anima intellectiva habet aliquid in actu, ad quod phantasma est in potentia, nimirum immaterialitatem: & è contra phantasmatæ habent aliquid in actu, scilicet determinatas similitudines rerum sensibilium, ad quas anima intellectiva est in potentia; quia nondum pervenerunt ad esse intelligibile, cum sint similitudines rerum sensibilium, etiam secundum conditiones materiales, quæ sunt proprietates individuantes, & sunt etiam in organis materialibus. Non igitur sunt intelligibilia actu, sed potentia, quatenus in hoc homine v. g. cuius similitudinem phantasmatæ exhibit, est accipere naturam universalem denudatam ab omnibus conditionibus individuantibus.

42 Dico igitur intelligibilia fieri in actu, quatenus intellectus agens accipit naturas in particularibus existentes, & habentes esse particulare in phantasmatibus, ut simplices formas, & essentias, seu ut species rerum in intellectu possibili: secundum istas enim naturas phantasia est in potentia movens intellectum, ut notat Et dicitur D. Alb. M. loc. cit. q. 14. a. 6. phantasma fieri in actu per intellectum agentem, quatenus fit in actu natura illa, quæ in ipso phantasmate existeret ut particularis quædam natura: à quo modo removetur per intellectum agentem & fit simplex essentia & forma seu species rei, cui suapte natura competit diffusio, & communicabilitas sui. Hoc nuncupat Dominus Caietanus forma apparentiam, adde, sub puritate formæ, & simplicis essentiæ, qua res est, & non ut ipsum quod est. Sic enim transfertur ad ordinem actu intelligibilium: quia sub hoc statu immaterialitatem sortitur;

cum

um omnis forma in simplicitate formæ accepta sit immaterialis, & ut actus quidam. Ad hoc autem phantasmatum concurrunt ut causæ instrumentales ipsius intellectus agentis principaliter ipsam speciem intelligibilem producentis, per quam res externa actu intelligibilis efficitur: ut docet D. Th. Quodlib. 8. a. 3. Non tamen ita ut phantasma præbeat esse spirituale speciei; sed ut sit similitudo determinata rei materialis, immateriali modo acceptæ, nimirum ut simplex forma, & essentia: & non secundum id quod est in re.

ARTICULUS TERTIUS

De intellectu speculativo, & pratico, & differentia eorum inter se.

43 **I**n intellectus speculativus, autore Alexandro, est qui intelligit, & habet habitum, ut intelligat; unde vocatur adeptus: vel, ut ait Avicenna, est qui intelligit, quoties vult intelligere sine labore acquirendi. Unde vocatur ab eo intellectus in effectu. Differt igitur ab intellectu possibili, non quidem substantia & subjecto; cum idem sit intellectus possibilis, & speculativus secundum esse: sed differt ab eo sicut potentia formata ab informi. Possibilis enim dicitur, prout est potentia passiva susceptiva omnium intelligibilium per seipsum unus, & indivisibilis existens, & veluti tabula rasa, seu pervium quod est omnis luminis susceptivum. Intellectus vero speculativus est, qui est in actu formatus intelligibilibus speciebus: unde potius est gradus ipsius intellectus possibilis, quam intellectus ab eo distinctus. Hinc est quod formas intellectorum per se potens est assumere ad usum considerandi; sed possibilis indiget virtute aliena ut assumat eas, scilicet studio, doctrina, & inventione. Unde à quibusdam intellectus speculativus comparatur artifici habenti artem: in eo enim quod possibilem includit, habet virtutem, & efficientiam ad agendum: & ipse cit ut ars,

vel forma dirigens in opere. Idcirco Avicenna optime dixit intellectum speculativum illum esse qui intelligit, quotiescunq[ue] intelligere sine labore acquirendi. Quia est intellectus habens speciem, & formam in actu, per quam potens est prodire ad usum seu actum considerandi: quemadmodum habens virtutem arte perfectam potens est operari opera ipsius artis: ars enim reddit potentem, usus facilitatem praebet.

44 Hinc communiter dicitur intellectum speculativum à practico distingui, quia speculativus ad considerationem, seu contemplationem ordinatur: species enim, & forma per quam intellectus constituitur in actu, seu in esse speculativo respicit rem ad extra ut materiam circa quam, res autem ad extra non sit per speciem ipsius intellectus, sed sit ratio rei, seu notio illius, per quam cognoscitur, & seitur de illa quid sit, aut aliud quidpiam hujusmodi. Intellectus autem practicus dicitur non sistere in cognitione rei, sed ulterius respicere cognitum, ut operabile quoddam. D. Aib. M. sum. de hom. tr. i. q. 56.

45 Unde intellectus practicus habet aliquid communne cum speculativo, scilicet apprehendere, & prout sic est vis quædam passiva, ad cuius perfectionem requiritur illustratio, seu actio intellectus agentis, ut fiat in actu, & hoc pacto est suscipiens ipsa operabilita, non quidem ut operabilita, vel speculabilita, sed ut simplices formas rerum à materia denudatas. Ideo secundum substantiam est idem cum intellectu speculativo, & possibili, ab eis tamen ratione differens, nimis per extensionem ad opus, seu à vero in bonum: ut colligitur ex Arist. lib. 3. de Anim. t. 47. Extenditur autem intellectus principaliter ad tria, scilicet ad bonum, ad actuale operabile, & ad apperitum. Bonum enim est primum movens: primus autem qui ab ipso movetur est intellectus practicus, cui nuntiatur bonum. Cum autem hoc bonum sit actuale existens in rebus, sive operabile, erit in ipsis particularibus: quia omne opus circa particularia versatur. Item bonum non denuntiatur nisi sub ratione appetibilis, sub qua est primum movens: unde definitur bonum, id quod omnia ap-

petunt. Propterea extenditur intellectus dum mouet, & dirigit appetitum ad boni consecutionem. Bonum enim est post verum in intellectu, cum sit verum quoddam: estque verum in ratione speciei universalis, bonum autem in particularium operum rationibus. Cum igitur proprium ipsius intellectus sit in universalibus sifere, & dum operatur necessario circa particularia versetur, opus est ut operativus & practicus sit extensione, nimirum ad ipsa operabilia. Quod non contingit in intellectu speculativo: qui supra rationem intellectus non addit nisi propriam formam, per quam sit in actu circa proprium objectum. D. Alb. M. loc. cit.

46 Hinc quatuor emanant præcipua inter utrumque intellectum differentia. Prima est, quia intellectus practicus suscipit speciem, prout est operis principium: speculativus autem prout est principium considerationis in actu, seu ipsius scientiarum: unde dicitur 2. Metaphys. t. 3. quod finis scientiarum speculativarum sit veritas, finis vero practicarum opus. Eisi enim operantes ad agendum considerent, tamen non perscrutantur causas rerum propter seipsum, sed gratia illorum quae aguntur: speculativæ autem rationibus terminantur. Secunda est, quia operativus, seu practicus intellectus habet formam rei operativam, per quam cum ipsa re operata componitur, sanitas eam, quæ inducitur in æstro, est à sanitate, quæ est in anima Medici, & dicitur compositionis forma. Forma autem, quæ est in intellectu speculativo, non est ad rem, sed à re abstracta. Tertia est, quia intellectus practicus, prout practicus, ipsa singularia, in quibus est opus, cognoscit, ut tempus, locum, partes materiarum; v. g. artifex cognoscit lignum ex quo constituitur arca, & ipsius partes, nimirum operculum, fundum &c. Intellectus autem speculativus est universalium, & non attingit materiam, vel materialia in quibus species universalis diversificatur. Quarta est, quia intellectus practicus in nobis corpori immittitur, & in ipsum virtutem motivam influit, ut motum ejus exequi possit: sed speculativus corpori non immittitur, sed ab ictu se abstrahit in

46 Hinc Avicen. 6. natural. definit intellectum practicum hoc pacto: Vis activa, quæ est principium movens corpus hominis ad actiones singulas, quæ sunt propriæ cogitationis, secundum quod intentionibus competit, quæ ad placitum præparantur ei, & habet respectum in comparatione virtutis vitalis appetitivæ, & virtutis vitalis imaginativæ, & æstimativæ, nec non ad se. Dicitur *Vis activa*: quia passiva, & apprehensiva, cum sit recipiens, extra patiens se non extendit; at vero activa, cum sit largiens, extendit se extra se, nimis ad rem exteriorum. Dicitur, *Movens corporis hominis*: non quia ipse sit virtus affixa organo corporeo, sed quia corpore, cœi instrumento, quo expletat operationes suas, utitur. Omne enim opus humanum medio corpore expletur; ut patet in mechanicis. Ad opus autem movet, & dirigit scientiam seu dispositionem operabilium: utiturque discursu rationis practicæ in operabilium inquisitione, quorum omnium rationes sunt in operante: quia opera nostra voluntaria sunt.

47 Per hujusmodi autem operabilium collationem ordinat principia ipsum opus respicientia: quæ si sint in opere pertinente ad consuetudinem, respiciunt ipsum appetitum vitalem, seu sensitivum, nimis irascibilem, aut concupiscibilem, quibus mediis intellectus practicus movet corpus ad opera castitatis, vel fortitudinis, v. g. Si vero pertineant ad opus ipsum exterum, ut in artibus mechanicis, utitur imaginativa seu phantasiam, & æstimatione, ita ut imaginativa figuræ operis respiciat, æstimativa utilitatem ex operi provenientem. Si autem sint rationes operum, quibus regitur intellectus in operando, cœi principiis per se notis, seu dignitatibus; v. g. quod mentiri sit turpe, quod tibi non vis, alteri ne feceris &c. iunc est relatio intellectus ad se. Et licet intellectus speculativus hujusmodi principia etiam cognoscere possit, v. g. parentes esse honorandos, & colendos; non tamen ea cognoscit, ut sunt operum principia, inquantum operum, sed ad cognitionem veri refert, & non ad opus

opus sicut intellectus practicus . D. Alb. M. loc. cit.

48 Hinc oritur quod intellectus practicus semper jubeat retrahere à malo , & inclinet ad bonum , & ideo est semper rectus : non quidem , prout est natura quædam & pars animæ rationalis : quia hæc , utpote creata , suapte natura est secundum electionem , ac proinde in malum deflectere potest : ut patet in intellectu Angeli , qui in malum deflexit , cùm tamen phantasie conjunctus non esset , aut corpori . Nec etiam est semper rectus prout est potentia ad omnia intelligibilia operabilia : quia hoc pacto ad particularia extenditur , & circa ipsa sèpe errare contingit , & ex ignorantia , atque errore in malum deflectere . Sed est semper rectus circa principia , & universales operum rationes , seu universalia juris principia . Et , quia hoc secundum rationem intellectivam ei propriè competit , idcirco dicitur intellectum practicum semper rectum esse .

ARTICULUS QUARTUS

Utrum in intellectu Praxis essentialiter dari queat .

C A P U T P R I M U M .

Quid sit praxis declaratur , sensus tituli explicatur , & referuntur Doctorum sententiae .

49 **P**RAXIS Græcum vocabulum est , quod latine redditum operationem significat , non quamlibet , sed immanentem . Derivatur enim à verbo Græco πάθειν quod est agere ; agere autem , propriè loquendo , est actus sive operatio in ipso agente simpliciter immanens ; ut sumitur ex Philosopho lib. 9. Metaph. tex. 16. & D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 4. sicut velle , intelligere , videre &c. Veruntamen quoniam actio immanens & interior est ipsius operationis exterioris principium , & exterior est terminus interio-

ris, hoc nomen est derivatum ad significandum etiam operationem exteriorem, seu quæ in exteriorem materiam transit.

50 Ut certum in hac re ab omnibus supponitur, quod praxis debeat esse operatio humana sive intellectualis naturæ, & quæ de se dirigibilis sit, atque regulabilis ab ipsa ratione. Quapropter in animatorum aut brutorum actiones non sunt propriæ praxes, quoniam à ratione non diriguntur, illa enim carent. Similiter neque ipsiusmet hominis actiones, quæ merè naturales sunt, aut omnino necessariò sunt; sed operationes vegetatiæ partis: sed illæ duntaxat, quæ humano modo sunt & exercentur, seu quæ à recta ratione dirigibiles sunt; cujusmodi censentur illæ omnes, quæ a voluntate humana modo humano, seu ex proposito agente elicuntur, aut imperantur; sive hujusmodi operationes exteriore sunt, sive interiores vocatis, quia omnis inclinatio, vel motus perficitur quatenus sum consequitur finem, vel attingit terminum.

51 Definitur praxis. Operatio humana nata dirigiri à recta ratione & elici aut imperari ab appetitu recto, ut recta sit. Operatio habet locum generis, per hanc enim convenit aliis operationibus, quæ praxes non sunt, veluti operationibus intellectus, quæ simpliciter praxes non sunt, ut infra probabitur: & comprehendit tam actionem immanentem, quæ est in ipso agente, quam transiuntem in exteriorem materiam. Dicitur, humana, ut distinguiatur ab operationibus brutorum, & naturalibus hominum, vel intellectualium naturarum, quæ praxes propriæ non dicuntur. Dicitur nata dirigiri seu regulari &c. Pro cuius explicatione.

52 Notandum occurrit, quod praxis est ipsamet operatio completivæ, quæ regulatur per actum seu habitum practicum, ut rectè fiat & conformiter ad suum principium directivum. Unde actus vel habitus, seu intellectus denominatur practicus à praxi non purè formaliter, & eo modo quo album ab albedine denominatur; sed efficienter formaliter seu directivæ, & eo modo quo dicitur aliquid calefactivum à calefactione, & ars denominatur domificativa à constructione domus.

Hæc

Hæc doctrina patet ex divisione practici in activum & factivum, quæ efficientiam quandam in sua ratione denotant.

53 Notandum est 2. ex D. Th. 1. 2. q. 9. & 2. cont. gent. c. 88. quod movens aliquid ad operandum dicitur illud determinare, & consequenter dirigere seu regulare. Intellectus autem & voluntas ad invicem movent se, & vicissim moventur: nam intellectus movet voluntatem objectivè, nimirum ostendendo ei objectum, & dirigendo ad opus, vel demonstrando quomodo fieri debeat: voluntas autem intellectum & cœteras potentias efficienter movet applicando ad opus, & practice imperando illud, operantur enim intellectus, & cœteræ potentiaæ, saltem liberè & humano modo, quoniam voluntas vult & imperat ut operentur. Unde voluntas est ut primum movens respectu aliarum potentiarum animæ quæ rationales sunt, vel à ratione diriguntur.

54 Quocirca principium adæquatè directivum seu regulativum est appetitus rectus seu ratio recta. Duplex autem est rectitudo; moralis una, & artificialis altera. Moralis desumitur penes regulas morum, quæ sunt ratio recta & conformitas ad legem. Unde appetitus dicitur rectus rectitudine morali, quando conformantur rationi rectæ, & non discordantि à regula legis æternæ. Rectitudo autem artificialis sumitur per conformitatē ad principia & regulas artis, & finem intentionem, seu bonum artis; v. g. finis ædificativæ est domus aptè ædificata ad defendendum nos à frigore, & aliis incommodis: & debet ad hoc rectam habere dispositionem, seu esse constructa. n. juxta præscriptum & regulas artis.

55 Unde appetitus dicitur rectus rectitudine finis artificialium, quando consequitur id quod intenditur; v. g. si statuifica volens repræsentare monstrum repræsentet aliquid improportionatum in tali natura, dabitur rectitudo artificialis in tali operatione, & hujusmodi opus erit verum propter finem intentum ab appetitu recto cui nata est conformari ratio in agendo. Si autem intendens formare monstrum hominem repræsentet non erit directio vera, quia non conformatur fini intento, seu appetitui recto. Ex lib. 3. sent. d. 33. q. 2. a. 1. q. 3. 3. p.

q. 78. a. 2. c. 1. 2. q. 57. a. 3.

56 Hinc colliges discriueni inter veritatem intellectus practici & speculativi: quod in speculativo desumitur veritas per adæquationem ad rem repræsentatam & cognitam: veritas autem intellectus practici desumitur per adæquationem ad principium adæquate directivum, quod est appetitus rectus. Ex 1. 2. q. 57. a. 5. 3. Ethic. 6. lec. 2.

57 Praxis igitur debet esse opera iuncta dirigi a ratione recta seu appetitu recto, ut recta sit, sive rectitudine morali, ut in moralibus, sive rectitudine artificiali. Et per id distinguitur ab actionibus seu operaticis per caminos tam in genere artificialium, quam in genere morum; quorum operatio peccaminosa, & defectuosa in genere artificialium deviat ac discordat à regulis artis, vel fine intento, qui est bonum ipsius, unde simpliciter praxis non est: in genere autem morali discordat à regulis morum, quæ est ratio recta & conformis legi.

58 Quærimus igitur in praesenti, an ipsis operationibus intellectus vere & simpliciter, seu essentialiter ratio praxis competere possit; an vero operationibus solius voluntatis: sive elicitis, sive imperatis ab ipsa. Pro cuius difficultatis elucidatione notandum est, quod ad operandum in nobis humano modo agentibus multi actus requiruntur cum quodam ordine se habentes, quorum aliqui sunt voluntatis, alii vero intellectus operationes. Primus est cognitionis ipsius finis. Secundus est intentio ejusdem: quorum ille est actus intellectus; iste autem voluntatis per ordinem ad rationem. Tertius est consilium de mediis eligendis. Quartus est judicium, sive sententia, qua judicatur hoc vel illud medium esse conveniens. Quintus est electio ipsius voluntatis, quæ unum alteri præacepit. Sextus est imperium, quo mediorum electorum executio imperatur. Septimus est usus activus, quo ipsa voluntas potentias executivas ad opus applicat; v.g. manum artificis ad fabricandum arcam, vel construendam domum. Octavus est ipse actus potentiae executivæ à voluntate ad operandum applicatus, qui usus passivus nominatur, ad quem executio ipsius

ipsius operis consequitur. Difficultas itaque est, cui vel quibus ex his actibus ratio praxis competit.

59 Notandum est quod omnis operatio, & subinde praxis dupliciter sumi potest: primò quantum ad specificationem seu per ordinem ad suum terminum sive objectum à quo specificatur: secundò quantum ad usum & actuale exercitium, quod nihil aliud est quam actialis illa applicatio alicuius agentis ad operandum; sicut applicatio oculi ad actu videndum aliquod coloratum in singulari, dicitur visio quoad exercitium: prout respicit coloratum lucidum ut sic dicitur visio quoad specificationem, quoniam à colorato lucido suam specificationem desumit.

60 Variæ ac multūm discrepantes de praxi versantur inter Doctores sententiae. Prima nomen & rationem praxis universalissimè pro qualibet operatione sumens asserit, omnem operationem, sive intellectus, sive voluntatis, elicitem vel imperatam, immanentem vel transiunti, dummodo suapte natura ab alia dirigibilis sit, praxis rationem propriè sortiri. Pro hac opinione solent adduci Nominales omnes, quibus adhærent ex Recentioribus Molina 1. p. q. 1, a. 4. Vasquez disp. 8. ibid. Suarez disp. 44. Metaph. seçt. 13. n. 20. Fonseca lib. 2. c. 3. q. 2. Pererius lib. 1. Phys. cap. 2. Hurtadus disp. 11. de anima. Arriaga disp. 1. Log. & alii non pauci. Secunda sententia docet solos actus à voluntate elicitos vel imperatos esse vere & propriè praxim. Ita Scotus q. 4. prol. art. 1. quem sequitur communiter ejus Schola. Durandus etiam q. 6. prol. Capreolus ibid q. 2. concl. 4. Soncinnas 6. Metaph. q. 2. Sotus in præmial. Logicæ q. 4. Masius q. 10. aliisque Thomistæ. Differunt tamen inter se hujusmodi sententiae fautores, quidam enim estimat universaliter actus quoslibet à voluntate imperatos, etiam ipsius intellectus esse propriè praxim. Ita Mastrius disp. 12. Log. q. 5. n. 101. & nonnulli alii. Quod negant de actibus intellectus communiter Thomistæ, & alii Scotti Discipuli, ut videre est apud eundem. Alii docent ex actibus à voluntate elicitis solam mediorum electionem, non autem finis intentionem esse vere & propriè praxim. Ita Henricus 1. p. sum. a. 8. q. 3. ad 3. Son-

Soncinas loc. cit. & quidam alii. Tertia denique sententia affirmat solas actiones externas & transcuntes in aliquem effectum exteriorem esse propriè & complevitè praxim, internas vero seu immanentes esse quidem originative & radicaliter praxim, inquantum nimirum sunt principia actus seu operationis exterioris, non vero formaliter & complevitè.

61 Prima concl. nullus actus intellectus simpliciter & propriè praxis dici potest, etiam quatenus est à voluntate imperatus. Prima pars prob. ex S. D. 1. 2. q. 57. si actus intellectus regulatus aut regulabilis ab aliquo habitu vel principio regulativo ut rectè fiat, esset simpliciter praxis, sequeretur quod omnis operatio, vel actus scientiæ, etiam speculativæ, aut virtutis intellectualis esset vere praxis; sed hoc est omnino absurdum: ergo nullus actus intellectus secundum se est vere & propriè praxis. Minor patet, quoniam hoc admissum nulla esset prorsus scientia, aut virtus intellectualis speculativa; nam omnis dirigeret ad praxim simpliciter; habitus autem qui dirigit ad praxim simpliciter, etiam simpliciter est practicus (idem dic de virtute). Major vero prob. operatio scientiæ speculativæ, & cujuslibet virtutis intellectualis perficientis partem animæ speculativam vel practicam est quoddam opus bonum, & regulatum vel regulabile per principia scientiæ artis, aut virtutis, vel habitus: ergo si ad rationem praxis simpliciter ac proprie dictæ sufficit quod sit operatio seu opus bonum regulatum vel regulabile per aliquem habitum vel principium directivum, omnis operatio cujuslibet virtutis etiam intellectualis ac speculativæ, ut intellectus principiorum, scientiæ, ac sapientiæ erit vere ac simpliciter praxis. Prob. anteced. quælibet virtus ex sua ratione habet, quod reddat bonum habentem illam, & opus ejus bonum efficiat, seu bonam operationem respicit: ergo operatio scientiæ speculativæ, & cujuslibet virtutis intellectualis est quoddam opus bonum, seu operatio regulata, aut suapte natura regulabilis, seu dirigibilis. Antecedens patet, atque docetur ab Aristotele lib. 2. Ethic. cap. 6. ubi ait: *Dicendum omnem virtutem in ipsam*

ipsum quoque , cuius est virtus , ut bene se habeat facere , & opus ipsius reddere bonum . Oculi namque virtus & oculum & opus ipsius bonum facit ; quippe virtute oculi bene cernimus . Virtus itidem equi bonum facit equum & ad currendum , portandumque equitem , ac sustinendum etiam hostem , idoneum . Quod si id ipsum ita se se habet in universis , virtus etiam hominis erit is habitus , à quo bonus efficitur homo , & quo bene suum opus ipse reddet , efficietque .

62 Conf. praxis esse debet operatio recta , saltem ut est actus virtutis , quia virtus non nisi circa bonum & rectum versatur : sed hæc rectitudo nequit per se primò & essentialiter convenire actibus ipsius intellectus secundūm se & sistendo in linea actus , sive cognitionis intellectualis: ergo essentialiter nequeunt praxes aut operationes simpliciter esse . Prob. min. actus intellectus secundūm se sumpti tendunt essentialiter ad suum objectum sub ratione veri atque entis : sed rectitudo illa requisita ad rationem praxis nequit provenire ab ipsis agibilibus prout vera & entia sunt : ergo rectitudo ad rationem praxis requisita nequit per se primò & essentialiter actibus intellectus convenire sistendo in linea actus ipsius . Major patet , quemadmodum enim voluntas nihil prorsus appetit nisi sub ratione boni , ita neque intellectus ipse aliquid intelligit vel attingit nisi sub ratione entis ac veri . Minor vero prob. agibilia & factibilia , prout vera cognita , entia contingentia sunt atque prorsus incerta , possuntque esse & non esse : sed quod de se est contingens & natum aliter se habere nullatenus potest rectificare aliud , seu mensurare , & certitudinem praestare de illo , quoniam mensura qualibet certa atque infallibilis esse debet : ergo rectitudo illa ad rationem praxis simpliciter requisita nequit provenire ab ipsis agibilibus vel factibilibus , quatenus entia aut vera sunt . Maior patet , nam de agibilibus est consilium & electio , quæ non sunt de necessariis ; sed de contingentibus , & possibilibus aliter se habere , ut docet Philosop. 3. Ethic. Quod idem de factibilibus suo modo dicendum occurrit : cum omnis artifex per idem ope-

operis, & propositum voluntatis operetur quæ sibi possibilia sunt, possibile autem omne contingens est, opponiturque necessario.

63 Sed dices, quomodo igitur prudentia & ars virtutes intellectuales erunt, de quarum ratione est, ut sint semper circa bonum & verum, non autem circa falsum, quod est malum ipsius intellectus? Resp. quod operationes artis & prudentiae dupliciter considerari possunt. Primo ut dicunt habitudinem ad ipsa agibilita, & operabilia seu terminum & objectum, vel materiam circa quam versantur. Et hoc pacto certum est, quod certitudinem, & veritatem non habent: quinimo contingit prudentissimum quemque in agendo turpiter errare, nec semel; artificemque peritissimum aliquando deficere in applicatione formæ artis ad materiam. Secundò per ordinem ad regulas & principia quibus in operando diriguntur, & hoc pacto non errant aut deficiunt: hacque ratione virtutes intellectuales dicuntur. Quod si deficiant ex eo contingit, quod regulas illas non sequuntur: sed regulæ illæ principiaque, licet ad opus dirigant, tamen modo speculativo habentur; nec sunt principia operandi proximè nisi addatur electio; quæ est principium omnium actuum humanorum in exercitio: ergo solùm per extensionem ad voluntatem, & non manendo in linea cognitionis sunt operativa: sicut & intellectus, quem perficiunt, extensione duntaxat practicus & operatus est.

64 Secunda pars concl. etiam prob. eadem ratione: quoniam imperium ipsius voluntatis respectuactus intellectus, nihil aliud est, quam motio & applicatio, qua voluntas intellectum movet & determinat ad intelligendum actu, intimando ei, intellige: sed non minus movet ad intelligendum naturas rerum, & speculandum veritatem quam ad consiliandum, aut judicandum de bono operabili hinc & nunc, seu in exercitio: ergo si hec motio & imperium voluntatis, aut usus ille, quo aliquatenus intellectu utitur ad intelligendum sufficit ut operatio ipsius intellectus sit praxis, omnis operatio intellectus praxis erit, cuam illa qua

verum speculatur, ac subinde non erit intellectus speculativus, neque ulla scientia speculativa, quæ ideo speculativa dicuntur, quoniam operationes eorum sunt quedam veritatis ipsius contemplationes, seu considerationes.

65 Secunda concl. in intellectu speculativo solummodo potest admitti praxis secundum quid & quoad modum significandi: quia ut docet D. Tho. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. in ipsis speculabilibus est aliquid per modum operis, puta constructio syllogismi, aut orationis congruae, aut opus numerandi vel mensurandi: quæ quidem opera sunt per suas regulas, & principia ordinata & regulata, ut recte fiant. Quia tamen ad veritatem cognoscendam ordinantur, simpliciter speculationes sunt, & non praxis, nisi quoad modum significandi, & secundum quid duntaxat: alias nulla scientia speculativa simpliciter esset. Nam si demonstrationis constructio in actu signato, & quoad doctrinam quæ docet quomodo fieri debeat, sufficit ut scientia Logicæ dicatur practica simpliciter, multò magis id præstabit usus & actualis constructio ipsius, seu exercitium demonstrandi, cùm actiones primo & per se singularia respiciant, & circa illa versentur, quemadmodum docet Philosophus lib. 1. Metaphys. cap. 1. sed omnes scientiæ demonstratiæ, seu speculatiæ habent usum & exercitium demonstrandi in propria materia: ergo omnes erunt simpliciter practicæ, si ejusmodi opera sunt praxeis simpliciter.

66 Tertia conclusio: in intellectu practico dantur actus simpliciter practici, per extensionem tamen ad actus voluntatis, & non manendo in linea intellectuали cognitionis: non vero datur simpliciter & essentia-liter praxis. Prima pars prob. actus qui dirigunt ad praxim sive operationem simpliciter, sunt practici simpliciter: sed in intellectu dantur actus prudentiæ, qui dirigunt ad praxim, sive operationem simpliciter: ergo sunt simpliciter practici. Prob. min. quia prudentia per suos actus dirigit ad operationes virtutum moralium, qui sunt praxes simpliciter. Deinde quia praxis, ut infra dicetur, sequitur electionem voluntatis,

elec-

electio autem & usus voluntatis , ut recta sint , debent sequi actus prudentiae , qui sunt consilium , judicium , & imperium , ut supra ex D. Thoma docuimus : ergo actus intellectus , qui sunt ipsius prudentiae , simpliciter ad primum sive operationem dirigunt .

67 Secunda pars etiam prob. quia ante electionem de hoc particulari operabili & bono vero , vel apparenti non est determinatio actualis & exercita ad opus sive operationem simpliciter : sed electio complectiva est actus voluntatis , perficitur enim in motu quodam animæ ad bonum , quod eligitur , movere autem ad bonum est ipsius voluntatis : igitur nullus actus ipsius intellectus potest esse practicus , & dicere habitudinem ad opus simpliciter nisi per ordinem ad electionem , & alias voluntatis actus . Maj. probatur : ante electionem solummodo est consilium & judicium practicum de hoc operabili , sive sententia quæ se habet ut conclusio in operabilibus : quæ posita adhuc est libertas ad operandum vel non operandum : ergo ante electionem de hoc particulari operabili & bono non est determinatio actualis & exercita ad opus sive operationem simpliciter : & subinde solum per extensionem ad actus voluntatis potest ille actus esse simpliciter practicus .

68 Ex quibus probata manet tertia pars conclusionis : nam praxis essentialiter & simpliciter est operatio : ergo illi habitui , vel potentiae essentialiter & simpliciter competit , cui per se competit operari , seu ad operationem in actu exercito se determinare , vel ad operandum se applicare : sed primo & per se intellectui hoc non competit , quia posito quoconque actu intellectus adhuc desideratur voluntatis electio , qua ad operandum in particulari se determinet , & usus quo in exercitio se ad operationem applicet : ergo primo & per se , seu essentialiter praxis non competit actibus intellectus .

69 Sicut actus intellectus non sunt practici simpliciter nisi per extensionem ad aliquod opus mediante electione & usu voluntatis , ita neque ipsemet intellectus ; quapropter Philosophus in hoc lib. 3. de anima dacet quod intellectus extensione si practicus . Et quidem

dem de intellectu speculativo prob. ex eodem ibid. tex.
 46. & seq. quia motus est semper prosequentis aliquid secundum appetitum, vel fugiens: sed intellectus speculativus non dicit aliquid de fuga & persécutione rei: igitur non est ex se motivum ad opus, seu operationem; & subinde non est simpliciter practicus. Et si aliquando agibia consideret, non tamen practicè sed speculativè, quia ipsa in universali considerat, & non secundum quod sunt principia particularis operis: & cum ea speculatus fuerit nihil de prosequendo vel fugiendo dicit, seu non præcipit prosequi vel fugere. De intellectu autem practico idem probatur ibid. tex. 47. quia etiam intellectu practico præcipiente vel dictante aliquid prosequendum vel fugiendum non propter hoc homo movetur ad operandum illud quod dictat, quin potius agit secundum concupiscentiam, sicut de incontinentibus patet, qui rectâ rationem sortiuntur, cui tamen non inhârent, sed contra eam agunt: & Medicî habentes artis præcepta non sanantur, quia non exequuntur aut efficiunt in seipsis quæ ars præcipit; sed contra illius præcepta operantur: ergo intellectus ex seipso non habet operari in exercitio, aut movere ad opus, & subinde ex seipso & ex propriis meritis non est practicus, sed per extensionem ad appetitum, cui primo & per se competit operari, quatenus præsentat appetitui, illique offert aliquid ut fugiendum aut prosequendum.

70 Hoc idem de habitibus, qui intellectum practicum nobilitant ac perficiunt, dicendum est, sicut sunt scientiæ Morales & artes, nec non & habitus prudenteriæ, qui est rectâ ratio omnium agibilium. Et qui item de scientiis Moralibus & artibus sive scientiis practicis factivis colligitur ex eodem Aristotele ibidem dicente: *Omnino autem persæpe fieri videmus, ut non medeatetur isce qui Medicinam habet; nec isse conficiat statuam, qui statuarium habet artem: propterea quod non ars ipsa neque scientia, sed aliquid aliud banc habet vim, & potentiam, ut per ipsam artem aliquid, scientiamque agatur.* Q. d. esto scientiæ praticæ, tam activæ, quam factivæ, sive Morales, & Mechanicæ agibilia,

& facibilia respiciant , regulas & præcepta operandi trædendo , seu ad opus dirigant , nec in mera veritatis contemplatione sistant , attamen simpliciter & in exercitio agere , seu operari & facere aliquid secundum scientiam , & artem non est ipsarum artium , aut scientiarum practicarum , sed alterius , nimirum voluntatis applicantis ad opus : sed eatenus aliquid dicitur esse practicum , quatenus est actuosum , & aëtu operativum alicujus in particulari , quia actiones simpliciter circa singularia versantur : ergo habitus scientiarum practicarum , & artium , cum non habeant de se in exercitio agere , & operari aliquid nisi appetitu & voluntate operandum aliquid aëtu applicante , non nisi per extensionem ad voluntatem sunt simpliciter practici . Hoc idem docet D. Th. 1. 2. q. 57. a. 3. ubi ait , quod artes equidem facultatem rectæ operationis faciunt , sed non usum : qui est applicare aliquid aëtu ad operandum , sicuti docet idem S. D. ibid. q. 16. art. 1. Et licet prudentia non modo facultatem rectæ operationis efficiat , sed etiam usum , attamen hoc non habet ex eo quod habitus intellectualis est , sed quia præsupponit appetitum rectum , qui per virtutes morales rectus efficitur , quæ ad finem disponunt ; sicut ipsa prudentia disponit ut rectè homo se habeat in his quæ sunt ad finem etiam quoad usum , generaliter tamen materiam omnium virtutum moralium respiciendo .

71 Quarta concl. simplex voluntas , aut amor , vel desiderium finis & boni secundum se sumpti non est verè praxis , sed neque intentio , nisi radicaliter remotè . Prima pars patet : quia est actus naturalis , & non liber , naturaliter enim homo bonum & finem amat , sive desiderat . Secunda pars probatur : quantumcumque homo finem intendat , sine electione determinante ad hoc particulare operabile , & usu applicante ad operandum , nunquam in exercitio & aëtu operabitur : ergo ille actus intentionis non est verè praxis , neque etiam practicus nisi radicaliter & remotè , quatenus omnis electio mediorum & usus voluntatis præsupponit intentionem finis , & intentio finis voluntatem , seu amorem & desiderium finis includit & in eo fundatur ,

principium enim motuum voluntariorum oportet esse aliquid naturaliter volitum, bonum videlicet in communi, in quod voluntas naturaliter tendit, quemadmodum dicet D. Thomas 1. 2. q. 10. a. 1. c.

72 Quinta concl. electio non est formaliter & proprie praxis, sed principium illius radicale proximum, seu actus de se practicus ut fons & radix proxima operandi liberè & humano modo. Hæc conclusio sumitur ex Aristotele lib. 6. Ethic. cap. 2. ubi postquam præmisit appetitum rectum rationemque practicam veram, non autem sensum esse principia actionis, cuius expertes sunt belluae (quæ actio propriè praxis est) subdit: *Electio igitur actus principium est, unde est motus: hoc est, causa efficiens, quæ principium unde est motus vocatur ab Aristotele lib. 2. Phys. cap. 3. & lib. 3. Metaphys. cap. etiam 5.* omnis enim motus vel mutatio in materia vel mobili ab aliquo efficiente dimanat: sed causa efficiens non est ipsamet operatio sive actio, sed principium illius: ergo electio non est formaliter & completere praxis, sed principium proximum & radix ipsius secundum Aristotelem. Unde ex Commentatore lib. 1. Ethic. solet praxis adduci definitio, quodd sit, *Operatio secundum electionem.* Et merito, nam si praxis debet esse operatio humana, sanè electionem sequi debet, secundum quam homo liberè, & humano modo operatur, atque non ex instinctu naturæ per determinationem ad unum, ut bruta.

73 Respondet Mastrius ex Scoto q. 4. prol. concedendo omnem actionem ab electione imperatam esse praxim; non tamen omnem praxim esse imperatam actionem. Nam ibidem subdit Aristoteles: *Electionis autem appetitus & ratio, quæ alicujus est gratia, principium est:* id est, ipsius electionis sunt principia appetitus & ratio, quæ est gratia alicujus, id est, quæ ordinatur ad aliquid operabile sicut ad finem. Est enim electio appetitus eorum quæ sunt ad finem. Unde ratio proponens finem, & ex eo procedens ad fatiocinandum, & appetitus tendens in finem comparatur ad electionem per modum causæ, ut explicat D. Thomas ibidem lect. 2. Omnis autem actio, quæ provenit ab

appetitu & ratione dirigente simpliciter est praxis , &
subinde electio praxis est , & actio sequens electionem
etiam praxis est .

74 Contra : esto appetitus sit causa efficiens electiones , tamen non respicit illam ut terminum ultimum in quo sifstat , sed quatenus ipsa electio est appetitus quidam eorum quae sunt ad finem : sed finis est ipsa operatio , sive opus , ad quod appetitus tendit & determinatur per electionem ut libere agat : ergo ipsa ratio praxis simpliciter & objectivè non consistit in ipsa electione ; sed in usu vel applicatione ad opus , seu in operatione , radicaliter autem in ipsa electione præbente libertatem ipsi operationi .

75 Deinde prob. concl. ratione : praxis est operatio denominans actum vel habitum practicum : sed electio de se non denominat simpliciter habitum practicum , neque ex electione habitus practicus habet esse talis simpliciter : ergo electio non est simpliciter praxis . Patet maj. Min. vero prob. tam in artibus , quam in virtutibus moralibus : nam non acquirit quis habitum practicum virtutis temperantiae v. g. aut dicitur simpliciter temperans ex eo quod eligat abstinere à cibis & venereis , sed per hoc , quod de facto abstineat neque dicitur ædificator ex eo quod eligat construere domum , sed quia de facto construit : ergo electio de se non denominat simpliciter habitum practicum , neque ex electione habitus habet esse simpliciter practicus .

76 Responder Mastrius equidem in artibus ab operatione & non ab electione habitus denominari praticos ; at in virtutibus moralibus habitus fieri ex electionibus , non ex acibus imperatis ; ut patet de non habente pecunias , qui si nihilominus sapius eliceret volitionem dandi eleemosinam , acquireret habitum liberalitatis , absque aliquo actu imperato . Contra : equidem verum est habitus virtutum moralium tanquam ex radice ab electione recta pendere , unde moralis virtus dicitur habitus electus , id est , faciens bonam electionem , ut deceat D. Th. i. 2. q. 58. a. 4. c. at non sifstat in ea , nec per eam acquiritur , sed tendit ad actum

actum proprium qui est secundum virtutem illam: v.g. liberalis dicitur quis ex eo quod bene & convenienter utitur pecunia, vel bonis exterioribus ad usum hominis ordinatis, hic enim est proprius liberalitas actus, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 117. a. 3. & 4. & ille qui sapienter elicit volitionem dandi eleemosinam non dicitur liberalis nisi virtualiter, quia eligit dare, nisi de facto accedat usus.

77 Quinta concl. praxis formaliter & completive sumpta consistit in operatione consequente electionem seu operatione recta, sive rectitudine moralis sive artificialis; sive immanenti, sive transeunti in exteriorem materiam. Sumitur ex Commentatore lib. 1. Ethicorum ubi praxim ita definit: *Operatio secundum electionem.* Et patet ex dictis concl. praeced. Prob. praxis debet esse operatio recta & libera, atque a naturali seu necessaria distingueatur: sed operatio dicitur libera ex eo quod ab electione procedit, recta autem quia ab appetitu recto, sive ratione recta: ergo praxis est operatio recta. Quod autem sit actio sive immanens, sive transiens, patet ex divisione practici in activum & factivum: nam activum ab actione immanenti denominatur; factivum autem ab actione transeunti: sed practicum simpliciter denominatur a praxi: ergo praxis dicitur tam operatio immanens quam transiens.

78 Dixi, praxim debere esse operationem rectam, sive rectitudine artificiali, sive moralis: quia in artibus, quae simpliciter sunt artes respicientes opus externum, operatio debet esse recta rectitudine artificiali, id est, conformis regulis artis & fini intentio: in moralibus autem virtutibus debet esse recta rectitudine moralis, id est, conformis appetitui recto, sive rectae rationi.

C A P U T S E C U N D U M.

Solvuntur Argumenta Contraria.

79. **A**Rg. 1. const. 1. praxis est operatio dirigibilis per actuū practicum, sed ut recte fiat: sed

actus intellectus potest dirigi per alium actum ut rectè fiat: ergo potest esse praxis.

80 Resp. quod actus intellectus potest esse objectum dirigibile per alium actum non per se primò & specificative, sed quasi per accidens, & regulatione extensiva ad appetitum rectum, qui est principium adæquate regulativum & directivum, ut supra diximus; hoc autem non sufficit ad rationem praxis: sed requiritur quod per se primò sit quid dirigibile seu directum regulatione intrinseca & objectiva: quod nullatenus convenire potest actibus intellectus, cum objectivè respiciant verum, & non bonum.

81 Resp. 2. quod actus, qui dirigit alium ~~actum~~ rectè fiat est quidem practicus, & non merè speculatorius: non tamen intrinsecè & per ordinem ad proprium objectum ut verum cognitum, sed extensivè ad aliquod operabile, ut natum conformari principio adæquate directivo, quod est appetitus rectus, ut saepius diximus.

82 Arg. 2. actus intellectus dirigens actum voluntatis ut rectè fiat dicitur practicus, & actus voluntatis effecus dicitur praxis: ergo etiam actus intellectus directi per alium actum ejusdem intellectus erunt vere praxis: cum non sit major ratio unius quam alterius. Confirm. omnis operatio directa à virtute morali est vere praxis: respicit enim objectum operabile & natum adæquare suo principio directivo; sed a iqui actus intellectus diriguntur à prudentia ut rectè fiant; & in ordine ad aliquod operabile: ergo isti erunt vere praxis.

83 Rcp. ad argumentum negando consequentiam. Ratio disparitatis est: quia actus voluntatis dirigitur in ordine ad operabile simpliciter & ut natus est conformari principio adæquate directivo, quod est appetitus rectus: actus autem intellectus objectivè non respiciunt ipsum operabile ut operabile est, sed ut verum cognitum: unde objectivè praxis dici non possunt ex se: sed per extensionem ad appetitum rectum.

84 Resp. ad confirm. quod actus intellectus directi à prudentia ut recte fiant non sunt praxis objectivè & specificative, quia semper diriguntur in ordine ad verum primò & per se: sed tamen potius dici praxis quoad usum,

usum, inadæquate tamen, ex parte scilicet principii directivi formalis: adæquate autem per solam extensio-
nem ad appetitum rectum, à quo prudentia habet rec-
titudinem. Prudentia enim non est tantum in intellec-
tu sicut ars & scientia, sed habet aliquid in appetitu,
scilicet rectitudinem. Ex D. Thom. I. par. q. 22. a. 1.
I. 2. q. 56. c. 2. virtut. q. 1. a. 6.

ARTICULUS QUINTUS

*De Synderesi, Conscientia, Ratione
& Mente.*

85 **C**irca naturam Synderesis variæ fuerunt Do-
ctorum opiniones, ut refert S. D. quæst. 16.
de verit. ar. 1. c. Quidam existimaverunt Synderesim
esse potentiam realiter distinctam à ratione superiori: alijs arbitrati sunt esse quidem potentiam, non tamen
realiter à ratione superiori distinctam, sed ratione
tantum: quarenus enim ratiocinatur, & confert, dici-
tur ratio; estque vis rationalis: prout autem naturaliter
cognoscit aliquid, nimirum universalia juris prin-
cipia, dicitur Synderesis. Alij tandem dixerunt Synde-
resim nominare potentiam rationis cum aliquo habitu
naturali. Quemadmodum enim in anima humana, prout attingit ad naturam Angelicam, quoad modum
cognoscendi, qui est absque discursu, & inquisitione,
est quidam habitus naturalis, quo principia speculati-
varum scientiarum cognoscit, quem vocamus intellec-
tum principiorum: ita in ipsa est quidam habitus na-
turalis primorum principiorum operabilium: quæ sunt
naturalia, & universalia juris naturalis principia.
Qui quidem habitus ad Synderesim pertinet. Vnde
Synderesis absolute nominat habitum naturalem simi-
lem habitui principiorum, vel nominat ipsam ratio-
nem, seu potentiam rationalem cum tali habitu.

86 Eiquod absolute non sit potentia patet: quia po-
tentia quælibet rationalis ad opposita se habet: Synde-
resis autem semper ad bonum inclinat, & malo re-

murmurat : ergo non est nuda potentia : sed potentia perfecta aliquo habitu inclinante ipsam determinante ad bonum , & obmurmurante contra malum . Ex potentia igitur rationali , & synderesi fit unum sicut ex subiecto , & accidente , quod rationi subiecti aliquid præter naturam ejus addit ; unde contra ipsum dividitur , ut ad aliud genus pertinens : quemadmodum superficies colorata contra superficiem absolutè dictam dividitur , & ad diversum genus pertinet : nam superficies absolute dicta pertinet ad genus Mathematicum : superficies autem colorata ad genus naturale . Haud secus potentia rationalis , & synderesis . Nota tamen quod synderesis neque rationem superiorem , neque inferiorem determinat nominat ; sed quid commune utriusque . In hujusmodi enim habitu principiorum universalium juris quædam ad rationes æternas pertinentia continentur ; v. g. Deo esse obtemperandum : quædam autem ad rationes inferiores ; utpote secundum rationem esse vivendum .

87 Quemadmodum autem supra diximus intellectum practicum , prout respicit principia , semper esse rectum , ita & dicitur synderesim nunquam errare posse . In omnibus enim naturæ operibus semper necessarium est ipsa principia esse immutabilia , rectitudinem servantia , ac permanentia ; alias in his omnibus , quæ ex principiis deducuntur , nulla firmitas esset repere . Quemadmodum igitur omnis cognitio scientifica à cognitione principiorum universalium , quæ certissima est , derivatur , ita etiam , ut in operibus humanis rectitudo aliqua haberi possit , oportet esse aliquod principium permanens , quod rectitudinem immutabilem sortiatur ; & omni malo obmurmuret , atque omnino assentiat . Et hujusmodi principium est synderesis . Quæ nunquam errat circa universalia principia juris , quæ respicit ; licet in applicatione universalis principij ad aliquod particulare error accidere possit propter imperfectam , vel falsam deductionem , aut alicuius falsi assumptionem . Quæ quidem applicatio , non ad synderesim , sed ad conscientiam spectat . Ex quibus sequitur actum synderesis non esse actum virtutis

tis simpliciter , sed præambulum ad virtutem , sicut naturalia sunt præambula virtutibus grauitis , & acquisitio-
nis . Vnde ex hoc quod per synderesim homo natura-
liter ad bonum inclinetur , non sequitur quod possit in
optus meritorum naturaliter .

88 Synderesis , prout dicit ipsum lumen habituale
in homine nunquam extinguitur : quemadmodum ne-
que anima hominis destitutur unquam lumine intellec-
tus agentis , quo principia prima in speculativis , &
operativis nobis innescunt : hoc enim lumen est ~~de~~
natura ipsius animæ , quo ipsa intellectualis efficitur ,
& nobis bona ostenduntur . Imò neque Tynderesis
quæ actum , & judicium in universali extingui pe-
nitius potest , ita ut in contrarium deflectatur : licet in
particulari operabili extinguiatur , quandocunque in
eligendo erratur . Vis enim concupiscentiæ , vel alte-
rius passionis ita rationem absorbet , ut in eligendo
synderesis universale judicium ad particularem actum
non applicet : sed hoc non extinguit synderesim sim-
pliciter , sed secundum quid . Potest etiam extingui
synderesis , quatenus actus illius omnino intercipitur ,
ut in pueris non habentibus usum rationis , vel usum
liberi arbitrij ob læsionem organorum corporalium , à
quibus ratio nostra pendet . D. Th. loc. cit. a. 3.

89 Dices: objectum synderesis est bonum : sed bo-
num ad voluntatem , seu proprium illius objectum
spectat: ergo synderesis non est habitus naturalis im-
portans rationem , seu potentiam rationalem , sed vol-
luntatem . Propter hanc , & similes rationes non pau-
ci existimarent synderesim esse habitum voluntatis , seu
in voluntate residentem , aut potius inclinationem , &
pondus voluntatis inclinans ad bonum honestum ;
quemadmodum in intellectu constituitur lumen incli-
nans ipsum ad assensum principiorum . Verumtamen
communis opinio asserit synderesim ad rationem per-
tinere : quia per ipsam de principiis universalibus
practicis judicamus , quemadmodum per habitum pri-
morum principiorum de speculativis judicium profe-
rimus: judicium autem circa universalia potissimum
ad rationem spectat , nam voluntas bonum ut in rebus
exi-

existens per se respicit : unde bonum dicitur esse in rebus , verum autem in intellectu . Ad arg. resp. M. Bannes p. p. q. 79. ar. 12. dub. 1. objectum synderesis non esse bonum sub ratione boni , sed potius sub ratione veri practici , & ad operationem ordinabilis ; sicut de objecto intellectus practici asserit D. Th. dicta q. art. 11. ad 2. Ex dictis sequitur , quod , esto habitus synderesis sit nobis à natura congenitus quoad lumen habitualē , tamen est acquisitus quoad species .

90 Quod ad conscientiam spectat , esto nonnulli existimarent ipsam esse potentiam , vel habitum , ut refert D. Thom. q. 17. de verit. a. 1. c. hæc tamen est impropria hujus nominis usurpatio , quemadmodum sumitur pro re conscientia , sicut fides pro re credita : unde propriè nominat actum intellectus practici , ut docet S. D. loc. cit. & 1. p. q. 79. a. 13. Quod ad intellectum pertineat multis Sacrae Scripturae locis probat M. Bannes ibid. Deinde quia conscientia dicitur recta , & erronea , error autem propriè ad intellectum pertinet . Quod autem non sit habitus , sed actus , prob. quia est quid commune pluribus habitibus , vel potentias : significat enim applicationem scientiæ ad aliquid , quod pluribus commune est ; sicut & usus , qui significat applicationem ad opus : ergo quemadmodum usus specialem habitum , vel potentiam non designat , sed actum multis communem , ita & conscientia actum nominat , qui est notitia vel scientia cuiuscunque ad actum particularem applicatio .

91 Notandum est autem ex eodem S. D. loc. cit. notitiam ad actum tripliciter applicari . Primo considerando an actus sit vel fuerit , seu recognoscendo nos aliquid perpetrasse , vel non perpetrasse . Et hoc modo dicimus habere conscientiam alicujus actus , quatenus scimus illum fuisse factum , vel non perpetratum . Quo pacto sumitur conscientia Eccles. 7. ubi dicitur : *Scit conscientia tua , quia tu crebro maledixisti alijs .* Et Genes. 43. *Non est in conscientijs nostris , qui pecuniā posuerit in saccis nostris .* Et hac ratione dicitur vulgo conscientia aliquid testificari ; ut legitur ad Rom. 9. *Testimonium mihi prohibente conscientia mea .* Secundò

Undò applicatur judicando aliiquid esse faciendum,
vel non faciendum: & secundum hanc rationem di-
citur conscientia ligare, vel instigare. Tertiò applica-
tur, dum per ipsam judicamus aliiquid esse rite, vel
non rite factum. Et secundum hoc conscientia dicitur
excusare, vel accusare, seu remordere. Manifestum
est autem hæc omnia actualē scientiæ applicationem
ad ea, quæ agimus, consequi. Eapropter conscientia
proprie actum nominat. Esto quandoque primo habi-
tui naturali, scilicet synderesi attribuatur: aut vocetur
lumen intellectus nostri, & judicatorium naturale:
quia nomen habitus nonnunquam actui tribuitur, &
~~causa~~ causæ ipsi effectui. Ex his omnibus patet quo
pacto ipsa conscientia ab intellectu, & synderesi di-
stinguatur.

92 Ratio præterea non est distincta potentia ab in-
tellectu, sicut neque Mens. Nam potentiae per actus
adæquatos, & distinctos distinguntur: sed actus in-
tellectus, & ratioris non sunt actus adæquate distincti:
ergo diversas realiter potentias non constituunt. Prob.
min. actus intellectus est intelligere, seu simpliciter ve-
ritatem intelligibilem apprehendere; actus autem ra-
tionis est ratiocinari, seu procedere ab uno ad aliud, ad
veritatem intelligibilem cognoscendam: sed hi non sunt
actus adæquate distincti: ergo &c. Maj. patet: ideo enim
Angeli intellectuales nuncupantur, quia absque discus-
su, & processu de uno ad aliud rerum veritatem simpli-
citer apprehendunt. Homines autem idcirco rationales
dicuntur: quia ad intelligibilem veritatem perveniunt
ab uno ad aliud procedendo. Min. vero prob. intellige-
re ad ratiocinari comparatur ut quiescere ad moveri;
vel acquirere ad habere: sed quiescere, & moveri non
sunt actus adæquate distincti, diversas potentias consti-
tuentes; per eandem enim potentiam aliquis ad locum
moveret, & in eo quiescet: ergo intelligere, & ratioci-
nari non sunt actus adæquate distincti, ad diversas po-
tentias spectantes, sed ad unam: quæ prout veritatis sim-
pliciter est apprehensiva, dicitur intellectus; ut autem
est collativa, & procedens ab uno cognito ad aliud cog-
noscendum dicitur ratio. Hinc est, quod cum motus
quili-

quilibet ab aliquo immobili procedat, & ad aliquid quietum terminetur, ratio humana secundum viam acquisitionis seu inventionis procedit à quibusdam simpliciter intellectus, nimirum principiis, quæ veritatem simpliciter immobilem, seu immutabilem sortiuntur. Via autem resolutionis ad ipsa redit, & conclusionum examen in eis librat, ac perpendit. D. Th. 1. p. q. 79. a. 8. & q. 15. de verit. a. 1.

57 Duplex ratio communiter assignatur: nimirum Superior, & inferior; non sunt tamen potentiae realiter distinctæ, ut probat S. D. q. 15. de verit. a. 2. quia respiciunt objecta sua sub eadem communi ratione objecti ipsius rationis: licet diversas partes objecti attingant, penes quod virtualis quantitatis divisio attenditur, & quasi materialis, sed non specifica, & formalis; v. g. sint duo homines quorum alter potentiam ita robustam habeat, ut ducentas libras deferre possit, alter vero centum: iste dicitur habere partem virtualem potentiae illius, & sunt quasi materialiter dictæ potentiae ab invicem differentes, non tamen formaliter, ac specificè. Haud secus ratio superior, & inferior portiones ipsius rationis dicuntur penes virtualem divisionem quantitativam objecti ipsius rationis. Nam sunt quedam naturæ intelligibiles anima rationali inferiores; ut lapides, plantæ, & corporea omnia: quedam autem superiores, ut Deus, & Angeli. Quatenus superiores naturas respicit, sive ut earum naturas compleetur, veritatemque assequatur, sive ut exemplar, & quasi rationem operandi ab eis suscipiat, ratio superior nuncupatur. Prout vero ad inferiora convertitur, vel per contemplationem conspicienda, vel per actionem disponenda, ratio inferior appellatur. Utraque autem hæc natura, nimirum superior, & inferior secundum communem rationem intelligibilis ab ipsa anima apprehenditur. Unde non inferunt simpliciter diversas potentias, sed eandem ad diversa comparatam. Tandem dicitur Mens secundum altissimam sui portionem, quæ à cæteris anima rationalis recedit, & super ea elevatur: & quia secundum altissimum, quod in nobis secundum rationem

nem intellectivam reperitur, imago Dei inest, idcirco
in nobis secundum mentem imago divina esse dicitur,
& non secundum essentiam animæ absolutè, D. Tho.
q. 10. de verit. a. 2.

QUÆSTIO XIX.

DE INTELLECTIONE, ET speciebus intelligibilibus.

Postquam de ipsa potentia intellectiva disputavimus, supereſt ut de actu illius, nimirum intellectione differamus, nec non de principio ipsius ac termino, nimirum specie intelligibili impressa, & expressa, seu conceptu verbo mentis.

ARTICULUS PRIMUS

Vtrum sit necesse ponere species intelligibiles in intellectu, ut ipse intelligat in actu, & quomodo ipsa cum intellectu concurrant ad productionem actus intelligendi.

Dari species intelligibiles, seu impressas ad intelligendum, & producendum intellectonis actum necessarias communi Philosophorum consensu receptum est. In explicando tamen ad quid necessariæ sint, & quomodo ad intellectonem concurrant validè inter se dissentunt. Quidam enim existimant speciem intelligibilem non esse necessariam ut similitudinem objecti, vices gerentem ipsius, & redditentem ipsum præsens, & unitum cum potentia, seu ut efficiat unionem intelligibilem objecti cum potentia; sed se tenere ex parte potentiae, seu ut determinationem virtutis intellectivæ, cum est indifferens ad hoc ut circa tale objectum

Etum determinetur. Ita Recentiores Societatis. Inter quos multi asserunt etiam ipsam speciem intelligibilem non esse formalem similitudinem objecti, sed solum virtualem & effectivam, quatenus adjuvat, ac determinat potentiam ad actualem objecti cognitionem. Ita Toletus, Suarez, Rubio, Hurtado, & alii apud M. Martinez lib. 3. de anim. q. 8. s. 3. Oppositum asserunt Thomistæ. Circa modum autem concurrendi quidam absolute negant ipsam speciem intellectivam effective concurrere cum intellectu ad intellectionem, sed tantum terminative. Alii asserunt equidem concurrere effectivè non tamen physicè, sed moraliter, sentiam intentionalem objecti. Alii affirmant non modo concurrere effectivè, sed esse totam vim agendi. Alii autem dicunt simul cum intellectu concurrere tribuendo immediatam activitatem, sed non totam virtutem. Et ex his quidam arbitrantur intellectum, & speciem se habere ut duas causas partiales simul concurrentes: alii dicunt esse rationem seu principium agendi quo.

2 Prima concl. necessum est admittere species impressas tam ad intelligendum, quam ad sentiendum. Prob. omnis cognitio, & sensatio fit per assimilationem; sentire enim, & intelligere est vitaliter fieri ipsam rem, quæ sentitur: sed objecta quæ cognoscimus, non sunt realiter in ipsa anima: ergo necesse est, ut detur esse intentionale specierum, mediis qui bus sensus sit ipsa sensibilia, & intellectus ipsa intelligibilia. Prob. 2. quælibet sensatio, vel cognitio est actio immanens: ergo recipitur in ipso sensu, vel potentia cognoscitiva, à qua producitur: ergo producitur per formam in ipsa potentia existentem; quam dicimus speciem impressam. Conseq. prob. omnis actionis determinatae principium, debet esse aliqua forma determinata: sed potentia quælibet cognoscitiva, esto sit efficiens vitaliter actus cognitionis, tamen non est determinata ad hanc vel illam: ergo requiritur aliqua forma perficiens illam, & determinans ad cognitionem hujus, vel illius objecti, cui debet assimilari potentia, ut cognitionem eliciat: quia simile simili cognoscitur: ergo, cùm objecta, secundum

dùm suum esse naturale ipsam potentiam informare nequeant , requiritur aliqua species illarum , quæ informet intentionaliter ipsam potentiam , & ipsam in actu determinet ad eliciendam determinatam cognitionem circa aliquod objectum .

3 Confirm. absentibus ipsis objectis , servariunt in potentis cognoscitivis , ut imaginativa , & memoria similitudines earum , quibus etiam in ipsarum absentia cognitionem elicimus : sed hæc à potentia nude sumpta prodire non potest : ergo à speciebus objectorum servatis ; quibus moverur , ac determinatur potentia cognoscitiva ad eliciendam objectorum determinatorum cognitionem . Tota hæc doctrina fundatur in discrimine , quod adducit S. D. inter cognoscentia , & non cognoscentia , quia nimis cognoscentia , non solum formam propriam , sed etiam aliarum rerum nata sunt suscipere ; & cum non suscipiant secundum esse naturale , requiritur , ut suscipiant intentionaliter , seu mediis speciebus intentionalibus . Non cognoscentia autem solum propriam formam suscipiunt .

4 Secunda concl. species intelligibilis , seu impressa necessaria est ut similitudo rei repræsentatæ tenens se ex parte objecti , uniens illud cum potentia intellectiva completa per lumen agentis , & ut faciens intellectum esse in actu circa intelligibile determinatum . Hujus rei gratia nota quod duplex est indeterminatio in intellectu possibili ; primò ad actum intelligendi absolute , secundò ad ipsum intelligibile determinatum , seu ut intelligat rem determinatam ; est enim potentia ad omnia intelligibilia . Prima determinatio tollitur per actum intellectus agentis , qui est ars naturalis , & principium formale intrinsecum illius ; à forma enim habet res virtutem ad operandum . Sed cum intellectus agens in sua virtute activa , quæ universalis est , non contineat intelligibilia actu determinato , sed virtute , & cum indeterminatione , præterea requiritur species , non quidem ut movens ad intelligendum absolute , seu ut præbens virtutem intelligendi , sed ut virtus artis , seu principium formale determinati , ut hujusmodi virtutis intellectivæ circa

circa tale objectum. Unde intellectus possibilis ut est formatus lumine agentis est virtus efficiens intellectu-
men: sed species est virtus regens; sicut in intellectu
practico virtus regens est virtus artis, seu idea; sed ef-
ficiens est artifex. Et in generatione plantarum virtus
Solis est efficiens, virtus semenis est regens, & ut ars na-
turalis operans determinationem.

S. Sumitur hæc conclusio ex S. D. 3. cont. gent. c. 49.
ubi ait: *Similitudo intelligibilis, per quam intelligitur
aliquid, secundum suam substantiam oportet quod sit
eiusdem speciei, vel magis species ejus; sicut forma do-
mus, quæ est in mente artificis est eiusdem speciei cu-
m formadomus, quæ est in materia, vel potius species ejus.*
Nota ex S. D. duplicem esse formam. Altera est secun-
dum quam res formatur intrinsecè, qua ratione anima
est forma hominis, & albedo est forma corporis alibi:
utraque enim materiam seu subjectum, intrinsecè perficit.
Altera est forma ad quam formatur rès, ut idea, seu
exemplar ad cuius similitudinem aliquid constituitur.
De ratione hujus formæ duo sunt: primum est ut sit
principium cognoscendi ipsam, & hoc pacto est simili-
tudo formalis, quia simile simili cognoscitur. Secun-
dum est, ut sic principium operandi rem, quæ ad eam
formatur. Species intelligibilis, et si in ratione acciden-
tis sit forma secundum quam formatur intrinsecè ipse
intellectus, cum sit accidens ei inhærens; tamen etiam
est forma ad quam formatur verbum, quod est intelligibilis operationis terminus. Unde vulgo nuncupatur
semen objecti: quemadmodum enim in semine est vir-
tus activa generantis operans similitudinem generantis,
ratione cuius genitus procedit in similitudinem naturæ:
& in specie intelligibili est virtus objecti per modum
virtutis artis naturalis operantis similitudinem ejus in
verbo, seu conceptu mentis. Unde S. D. 1. cont. gent.
c. 55. ait: *Terminus intelligibilis operationis est aliud à
specie intelligibili, quæ facit intellectum in actu, quam
oportet considerari ut intelligibiliis operationis princi-
pium, licet utrumque sit rei intellectus similitudo: per
hoc enim quod species intelligibilis, quæ est forma intel-
lectus, & intelligendi principium est similitudo rei ex-
terio-*

terioris, sequitur quod intellectus formet intellectuonem
illi rei similem.

6 Prima pars concl. prob. ut habet commune prolo-
gium, ex objecto & potentia paritur notitia: sed non
paritur notitia ex objecto nisi cum potentia conjunga-
tur, & fiat unum principium cum illa: ergo ut ex in-
telligibili, & intellectu pariatur notitia, ipsum intelli-
gibile debet cum potentia intellectiva intime conjungi,
& efficere unum principium effectivum cum illa: sed
hoc præstare non potest, prout habet esse in re extra, vel
in phantasmate: ergo prout est in specie intelligibili
agente in virtute objecti ad extra; sicut semen agit in
virtute ejus, à quo deciditur. Min. prob. 1. notitia, quæ
ab objecto & potentia paritur, non solùm habet quod
sit vitalis, sed etiam ut sit formalis, & expressa simili-
tudo rei determinatæ, cujus notitia in intellectu acquiri-
tur: sed non potest huiusmodi determinationem speci-
ficam sortiri, ut sit ratio rei, ab ipso intellectu, sive
agente, sive possibili: ergo ab ipsa specie intelligibili,
cea comprincipio: sed principium adæquatum intellectu-
onis est intrinsecum, cum sit actio vitalis & imma-
nens: ergo debet objectum esse unitum intrinsecè, ut
determinativum formale, & principium activum illius.
Min. patet ex dictis: nam intellectus agens est virtus
universalis, qua anima facit omnia: possibilis verò, quo
sit omnia: ergo esto sit virtus ad intelligere universaliter,
tamen non ad intelligere speciem talis rei nisi medio ali-
quo principio formalí, quod est objectum, seu species
objecti. Nec enim objectum extra est proportionatum,
nec in phantasmate; quia ut sic solummodo est intelligibile
in potentia, nihil autem agit nisi in quantum est
actu. Et hoc in omni objecto requiritur præterquam in
primo intelligibili, quod est Deus, in quo est simplici-
tas essentiæ, & non habet in se essentiam ut participa-
tam: seu id quod est & id quo est in eo non distinguuntur;
unde in nullo genere est in potentia: sive intentionalis,
sive entitativo. Secùs autem in qualibet creatura. Idecirco
ad hoc non sufficit determinatio quolibet virtutis intel-
lectivæ procedens à quolibet agente: sed agente formalis
effectivo, & per modum virtutis artis, seu idex; quæ

necessario includit similitudinem objecti, ut diximus.

7 Tertia concl. species intelligibilis non modo est similitudo formalis objecti representans ipsum, sed etiam virtuosa, seu per modum virtutis attis, & ideæ. Ita D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 55. a. 1. Prob. species intelligibilis non constituit intellectum in actu præcisè ut sit, sed ut operetur conceptum rei intellectæ, ac determinatæ naturæ, seu speciei; qui est intellectionis terminus: sed similitudo quatenus formalis similitudo, nihil operatur, sed representat, & potius intelligitur quam intelligat, seu est id in quo aliquid intelligitur: ergo species intelligibilis non modo est similitudo formalis representata, sed etiam virtus ad intelligendum per modum dirigentis ad actum considerandi ipsam rem ad extra' seu rationem rei.

8 Quarta concl. species impressa, seu intelligibilis in ratione præcisa similitudinis rei representata non concurredit physicè, & effectivè ad intellectionem; bene vero ut est forma ad quam formatur verbum, & conceptus intellectualis: tunc enim concurredit effectivè, non quidem ut virtus principalis agentis, sed ut virtus formalis dirigens, & determinans intellectum ut operetur suam operationem, seu intelligat rem determinatam in verbo, seu conceptu. Prob. 1. pars similitudo in ratione similitudinis non præbet rei representata nisi esse præsens objectivè: quod autem sic movet, non nisi metaphorice, seu moraliter movet: ergo hoc pacto non concurredit physicè.

9 Secunda pars etiam prob. species intelligibili ut forma ad quam formatur verbum vere est determinativa intellectus ad esse, & speciem verbi; quia alia ratione producit verbum equi, alia ratione verbum hominis &c. sed hoc non præstat ex virtute intellectiva, quæ universalis est: ergo ex specie intelligibili: ergo hæc habet rationem causæ formalis dirigentis, seu effectivæ. Veruntamen ex se nihil efficit principaliter, sed ut conjuncta intellectui, & ut forma illius ad quam verbum producit, & operatur ipsum intelligere per determinatam similitudinem alicujus rei. Unde à quibusdam vocatur comprehendendum activum ipsum intellectum, à quibusdam

dam ratio intelligendi. Cùm autem dicimus quòd physicè concurrat, vox *physicè* sumitur pro omni eo quod concurrit ad esse rei, sive sit forma, sive efficiens &c.

Solvuntur Argumenta.

10 **A**rg. 1. contra 1. species ex se non habet ex objecto procedere, sed hoc illi accidit: sed ut aliquid gerat vices alterius, & loco illius subrogetur, ab eo procedere debet, vel esse aliquid illius; sic & semen, quod subrogatur loco generantis, ab eo deciditur, & est de ~~facta~~ ^{potentia} ejus: ergo ratio speciei non consistit in hoc, quod sit vices gerens ipsius objecti, sed in eo quod sit determinativa potentiae, & virtutis illius. Maj. patet in speciebus Christo Domino infusis, nec non speciebus Angelicis, quæ physicè, & motivè ab ipsis objectis non procedunt. Conf. aliquæ entitates sunt, quæ sine specie potentiam ipsam objective determinare possunt, ut Angelus vel anima rationalis respectu propriæ cognitionis: ergo non requiritur species ad determinandam potentiam erga objectum.

11 Resp. ad 1. neg. minorem; nihil enim interest à quo producantur species, demodo in se vim repræsentandi habeant, & essentialiter ad hoc ordinentur objectum intentionaliter cum potentia conjungendo; sicut imago effectivè procedit à pictore, attamen non pictorem, sed Cæsarem formaliter repræsentat, eò quod à pictore mediante idea, & conceptu Cæsaris producatur. Haud secùs species intelligibiles, quæ Christo, vel Angelis infundantur à Deo, & effectivè producuntur, non Deum ipsum, sed objecta, quorum iunt similitudines repræsentant: quia à Deo producuntur habentes ideam ipsorum in mente sua. Resp. ad confirm. entitates illas sufficienter esse actu intelligibiles, ut intellectum objective determinant ad sui cognitionem, cùm sint spirituales, & immateriales actu; eapropter non indigere speciebus intelligibilibus.

12 Arg. 2. species non sunt similes objecto entitativè & realiter, quia non possent ipsam potentiam intellectivam informare, quemadmodum neque ipsum intellectum

tatiè sumptum intra ipsam potentiam esse potest: esse autem simile intentionaliter nil addit supra esse entitatum , ratione cuius ipsum objectum sit proportionatum cum potentia , & illi unitum: ergo species intelligibiles non requiruntur , ut sint similitudines formales rerum unientes illas cum potentia .

13 Conf. vel species faciunt unum cum potentia , ut res cognita , vel ut formæ informantes: primum dici nequit : quia species ipsæ non sunt visibles, neque cognoscibiles: cetera objecta quædam ; alijs & ipsæ novis speciebus indigerent , ut & ipsæ cognoscerentur: secundum etiam dici nequit: imprimis enim non substantiales substantialiter informantes , ut patet: non enim sunt materiales, quia ipsum intellectum spiritualem informare non possent : neque spirituales , alias essent per se subsistentes : dein neque sunt accidentales : quia satis percipi nequit quomodo plura accidentia ejusdem generis in eodem subjecto esse possint: non enim idem corpus pluribus coloribus simul investitur , aut pluribus figuris terminatur : præterea multoties inhærent ipsi potentiae , ut dum species in memoria conservantur , & tamen actu non movent intellectum ad cognitionem objecti . Quidam dixeris esse formas intentionales , explicandum superest quid sint illæ formæ intentionales , cùm non sint neque substantia , neque accidentis .

14 Hæc argumenta gravissimas difficultates involvunt , quas breviter enodabimus. Prima est quomodo species sit similis objecto , ratione cuius intellectus fiat unum cum re intellecta in esse intelligibili . Quidam existimant species intelligibiles , non solum in esse representativo , sed etiam in esse entis & specificè esse similes earum objectis . Ita Durandus in 2. d. 3. q. 6. & alij. Ratio est: quia species non dicit in cognitionem alterius nisi ratione similitudinis : sed similitudo non est differentium secundum speciem : ergo species intelligibilis secundum speciem non differt à re , quam representat : sed etiam in esse entis sunt unum , & idem. Conf. representatio , cùm sit habitus rei representantis ad illud quod representatur , aliquod habet funda-

mentum, ratione cuius ei repræsentare competit: sed non aliud nisi convenientiam in natura; alioquin quilibet effectus in cognitionem quidditativam suæ causæ ducret: ergo species quidditativa debet esse ejusdem speciei in esse naturæ.

15 Veruntamen oppositum defendunt communiter DD. nimirum species intelligibiles (idem dic de sensibilibus speciebus respectu sensibilium) non esse eisdem in esse naturali cum objectis repræsentatis, sed solum in esse intentionali, & repræsentativo. Ita sumitur ex D. Th. Quodl. 8. a. 4. ubi ait: *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentiae rei, & est quodammodo ipsa quidditas, & natura rei secundum esse, intelligibile, non secundum esse naturale.* Prima pars prob. species ignis non comburit, neque species leonis rugit; nec species peccati est peccatum: ergo non sunt idem in esse naturali, seu in esse entis. Nec enim ad repræsentandum exigitur similitudo entitativa; cum statua lignea, vel ænea hominem repræsentet.

16 Secunda pars etiam prob. tum quia tota indigentia specierum est ut gerant vices objectorum; quia simile simili cognoscitur: sed non succurritur huic indigentiae, nisi species in esse repræsentativo sint ejusdem rationis cum objectis: ergo in esse repræsentativo & intentionali debent esse ejusdem rationis cum objectis &c. Min. patet, quia sine assimilatione, saltem repræsentativa, & intentionali non possemus media specie venire in cognitionem rei repræsentatae. Tum etiam quia sic se habent species in esse intentionali ad rem repræsentarem, quemadmodum externæ figuræ, vel imagines depictæ ad prototypum: sed si in imagine per artem facta, non esset convenientia in specie, vel signo speciei, veram imaginis rationem non haberet, dicitur enim imago, quasi imitago: ut docet D. Th. 1. p. q. 35. a. 1. ergo multò potiori iure in speciebus intelligibilibus, quæ sunt perfectiores imagines, requiretur hujusmodi similitudo.

17 Pro pleniori intelligentia, notandum est quod species sumitur pro cuiuslibet rei forma. Duplex manus habet formam, scilicet esse actum rei, in ipsa re-

recepit; & esse formam ad quam formatur res in alio: prout est actus rei in ipsa receptus, eamque informans, dicitur habere esse naturale; quia ut sic est principium operationum naturalium, sive corporalium, sive spiritualium: nec enim anima intelligit, sed homo per animam; nec ambulat aut aliquid agit, sed homo, quoniam actiones sunt suppositorum. Prout autem est forma ad quam non dicitur habere esse naturæ, prout natura est principium operationum naturalium, sed potius rei species, qua se diffundit, non in materia propria, sed aliis, quibus se conspicendi exhibet, sicut pulchritudo alicuius dicitur forma, & species illius, quia per ipsam operatur in visum: dicitur enim pulchrum, quod visum placet. Unde species non habet rationem formæ partialis, sed dicit totam rei essentiam formalem: & quidquid præter illam est, solum materialiter, aut per accidens est. Sic ergo species coloris est tota essentia formalis coloris, & species hominis tota essentia, & quidditas hominis. Et quidquid advenit eis, materialiter, aut per accidens se habet. Habet tamen quodammodo rationem naturæ, scilicet metaphysicæ, quatenus est principium essendi, & cognoscendi: non autem motus, aut operationum naturalium.

18 Dico igitur quod species simpliciter & absolute non est idem cum objecto representato in esse naturali; prout esse naturale importat principium quod operationum naturalium, & quæ consequuntur formam prout est actus materialis in ea receptus, & quasi in genere physico, & naturali; est tamen idem quodammodo cum objecto in esse naturali metaphysicæ, prout natura dicitur species rei, & ratio cognoscendi ipsam, seu quo res est: unde dicitur idem esse principium essendi, & cognoscendi. Idcirco S. D. in 4. d. 49. q. 2. art. 1. *Ad hoc*, inquit, quod intellectus intelligat aliquam quidditatem, oportet quod in ea fiat similitudo ejusdem rationis secundum speciem. Ex 1. ad Corinth. c. 13. Nulla similitudo, inquit, ducit in cognitionem essentiae alicius rei, si differat a re illa secundum speciem. Et forsitan Duran-

dus nil aliud intelligit, ut ex rationibus ejus deducitur, præsertim quia adducit S. Thomam loc. cit. & eadem illius ratione uritur: quia nimis simile simili cognoscitur: sed cognoscitur res secundum esse naturale, prout scilicet est ratio essendi rei, & cognoscendi ipsam: ergo species quodammodo etiam est eadem in esse naturali: secundum quid tamen, & metaphysicè; simpliciter autem in esse intentionalí, & intelligibili.

19 Ut omnia ista facilius percipiantur, notandum est, quod essentia, seu forma totalis, & quiditas absolute sumpta, & in statu solitudinis non determinat sibi aliquod genus: sed solum importat quo res est. Quod ergo sit ad aliquod genus determinata, non provenit ei ex pura essentiæ ratione, sed ut determinabilis, vel determinata per aliquem essendi modum, quem licet in sua potestate involvat, nec tamen actu explicat, sub illa ratione qua est pura essentia; sicut ens ut sic in statu solitudinis non explicat per se, vel in alio: sed nudum conceptum entis, seu essentiam, aut esse, quo res est. Unde sub illo statu est maximè immateriale, & abstractum, secundum id quod explicat: capropter est maximè intelligibile: & proportionatum intellectui secundum intellectus rationem: sub qua ratione est potentia maxime universalis, & in actu. Prima ergo radix intelligibilitatis est esse, seu essentia: & quidquid intelligitur, sub ratione entis intelligitur: quod autem habeat talem essendi modum, præter rationem intelligibilitatis est: licet non sit præter rationem hujus intelligibilis: intelligibile ergo adæquatum, ut fundat proportionem cum intellectu, neque est substantia, neque accidentis: quia haec sunt præter rationem entis, in statu solitudinis accepti. Est enim aliquod intelligibile substantia, quia per se contrahitur ens in ipso; & est corpus, quia per formam corporeitatis continentis modum per se contrahitur ad ipsum: & sic de ceteris.

20 Dicitur ergo species intelligibilis esse ejusdem speciei cum objecto in esse intentionalí, quia in ea representatur natura & quidditas ut fundat proportionem cum intellectu, in ratione puræ quidditatis, &

essentiæ, quia sub hoc statu idem est esse, & esse intelligibile: & solum variatur, & diversificatur unum genus ab alio prout essentia accipit modum essendi determinatum in aliquo, nimirum substantiæ, accidentis, hominis, iconis &c. Quandiu ergo remanet ratione puræ essentiæ, & speciei, secundum hanc rationem non est diversitas inter intelligibile, & inter speciem intelligibilem: sed quatenus tali nature debetur talis essendi modus in re, removens eam à statu puræ essentiæ, sub quo statu debetur ei intelligibilitas; sicut lumen in Sole, in medio, in oculo, & in colore, secundum suam simplicitatem acceptum. in ratione puræ formæ est ejusdem rationis, tamen ex diverso modo essendi diversificatur. Haud secus quidditas rei est ejusdem rationis in se, in specie intelligibili, & in intellectu; & secundum rationem intelligibilis non est diversitas, sed secundum diversum essendi modum. Et hoc pacto in esse naturali differunt: quia objectum multoties ex particulari essendi modo est substantia, species autem intelligibilis accidens.

21 Dicuntur autem unum non univocè, aut analogicè; sed sicut una natura, cui accidat singularitas, vel communitas: vel unum quasi negativè, quia sub illo statu non est principium unde in eis diversitas esse possit. Hinc disce quod universalitas non est ratio objecti intellectus, sed conditio illius, sicut neque singularitas est ratio formalis objecti sensus, sed conditio illius: unde natura purificata à conditione singularitatis fit objectum intellectus. Et natura universalis purificata à conditione universalitatis, & vestita appendiciis materiae, & conditionibus singularibus, objectum sensus efficitur. Quocirca resp. ad arg. quod species quodammodo sunt etiam entitativè similes, absolute autem & in esse naturali dissimiles objectis representatis: similes quidem prout objectum in se, & in sua specie est ejusdem rationis metaphysicè. Dissimiles vero, quia physicè, & in esse naturali hujusmodi rationem concomitantur diversi modi essendi. Et quamvis quidditas rei, ut limitatur his modis, seu habet esse naturale, intra ipsum intellectum esse nequeat,

bene

bene tamen in statu solitudinis sumpta ; in quo secundum rationem intelligibilitatis nullum prorsus est principium diversitatis .

22 Secunda difficultas est , quid addat ipsum esse intentionale supra esse entitativum , ratione cuius sit proportionatum intellectui ? Resp. omissis variis dicendi modis , quod esse intelligibile supra ens absolute dictum , & in illo statu solitudinis acceptum nihil prorsus addit per modum differentiae extraneae : unde quod per essentiam sua non est ens , per essentiam suam est intelligibile , ut Deus . Attamen ens in esse naturali cum extrahatur à linea puritatis suæ , intelligitur addere ubi ipsi in linea essendi ut quod , & intelligibilitatis quendam modum essendi substantialiter , vel accidentaliter . Qui modus est praeter rationem entis in illo statu . Unde esse naturale , & intentionale , penes diversos essendi modos distinguuntur : quia esse naturale explicat essentiam ut ei debetur esse in aliquo , seu in eo quod est , per se , vel accidentaliter : sed esse intentionale simplicem rei speciem dicit prout fundat proportionem cum ipsa potentia cognoscitiva , cui accedit esse per se , vel ut in subjecto .

23 Hinc disces quam sine fundamento P. Suarez lib. 3. de anim. c. 2. & alii Recentiores calumnientur hujusmodi distinctionem rerum in esse entitativo , & in esse intentionali , veluti gratis confictam , & vix intelligibilem , ducti hoc argumento : esse intelligibile , intentionale , aut repræsentativum , vel præbet aliquid esse reale , vel nullum ? si hoc posterius dicatur , vere non erit forma realis , cum non habeat realem formam causalitatem : si vero illa forma est realis , non potest communicari intellectui , nisi sub esse substantiali , vel accidentalis : quia inter substantiam , & accidentis communissime accipiendo , non datur medium : ergo fictitum est distinguere in ipsa specie esse reale seu entitativum , & esse intentionale , & repræsentativum , nisi admittatur ad exprimendum conceptum analogum , & genericum accidentis , & qualitatis à conceptu differentiali speciei .

24 Debuisset enim ipse P. Suarez advertere , quod

esse entitativum dupliciter sumi potest: primo in statu solitudinis, & ut explicat esse purum per modum essentiæ; & in statu contractionis ad sua inferiora, per diversos essendi modos: quod cum ipse admittat in ceteris naturis, in ente negare non deberet; cui concedit proprium conceptum formalem. Primo modo re ipsa non est distinctio inter esse & esse intelligibile, quia alias eas non esset objectum intellectus; nec idem esset principium essendi & cognoscendi: sed quia in re non est status ille solitudinis puræ essentiæ, nisi in primo ente, in quo idem est id quod est & esse, oportet in ceteris ipsum esse non remanere in sua puritate, sed limitari, & esse participatum: ergo accipit distinctum esse naturale, & appropriatum, ab eo quod est esse per modum simplicis formæ, & quidditatis: ergo esse naturale, & intelligibile seu intentionale non sunt omnino idem, sed cum fundamento distinguuntur: sicut natura secundum se, & in statu solitudinis, & natura ut appropriata.

25 Unde in specie intelligibili duplex hæc formalitas ritè, & cum fundamento distinguitur, nimirum esse intentionale, & esse naturale, seu esse entitativum, non entitativum ut sic, sed tale, quod est qualitas, aut hujusmodi. Itaque species in esse intentionali dicit principium cognoscendi rem repræsentatam, & ideo species dicitur: sed in esse naturali dicit modum essendi quo deviat à tali re secundum suum esse, seu potius id quod est. Quasi dicatur: id quo species est species hominis, est similitudo hominis, immo & quidditas hominis; sed id quod est species, est tale ens, quod est qualitas in intellectu repræsentativa hominis: & hoc est esse naturale illius.

26 Ad argumentum igitur P. Suares resp. quod esse intentionale, ut intentionale, non præbet aliquod esse reale; sed est ipsum esse reale formale, & in sua puritate, seu in statu solitudinis sumptum: sub quo statu non dicit esse communicabile intellectui ut substantia, vel accidens: licet secundum modum essendi in re, & naturalem sit in eo, ut in subjecto. Ex his patet ad replicam supra n. 10. adductam, nimirum quid addat esse intentionale supra esse entitativum.

ARTICULUS SECUNDUS

In quo explicatur quomodo ex intellectu & re intellecta fiat unum.

27 **D**iximus ex specie, & objecto, seu re repræsentata fieri unum, modo superest examinandum, quomodo ex his fiat unum. Quidam affirmant id fieri mediante specie intellegibili, quæ formalissimè unitur cum ipsa potentia cognoscentiva; unde in esse intentionali & repræsentativo media specie cognoscens in rem cognitam transformatur. Videtur defumi ex D. Th. Opusc. 14. dicente: *Anima quasi transformata est in rem per speciem qua agit quidquid agit.* Eam exprefse docent Caiet. 1. p. q. 79. a. 2. & q. 14. a. 1. Bannes, Zumel, & Nazarius ibid. M. à S. Thoma hic q. 6. a. 3. & alii innumeri, quos citat M. Martinez hic lib. 3. q. 9. n. 1. Prob. cognitum per se loquendo debet uniri cognoscenti ut gignatur notitia: sed speciei accidit quod sit substantia, vel accidens; ergo per accidens est quod species informet: ergo altiori modo species per se unit transformando in objectum.

28 Prob. 2. potentia non utitur entitate speciei seu principio specificante actus suos, bene verò objecto in ea repræsentato: sed potentia debet actuari, perfici, ac determinari suo specificativo, inquantum specificativum est: ergo alia unio, seu actuatio intercedere debet inter objectum, & potentiam, & hæc dicitur unio intelligibilis, seu intentionalis, quæ est per identitatem in esse intelligibili; & de materiali se habet unio accidentalis per inherētiam. Prob. 3. cognoscentia, ut talia, sunt immaterialia, & elevata supra conditiones materiæ: ergo debent uniri cum formis cognoscibilibus per unionem immaterialem, & elevatiorem supra unionem materiæ & subjecti: ergo uniuntur cum illis per identitatem in esse repræsentativo, & intentionalis.

29 Oppositum asserunt Ferrara 1. cont. gent. cap. 44.
Her-

Herveus Quodl. 7. q. 18. & alij plures , quos citat & sequitur dictus Martinez ibid. num. 9. afferentes non esse necessarium quod ratione speciei potentia cognoscitiva , seu intellectiva identificetur cum cognoscibili , seu intelligibili , etiam in esse intentionali , & intelligibili : sed intellectum esse unum cum re intellecta , quatenus in actu primo perficitur forma , seu specie intelligibili ipsum repræsentante , prout est in re : & mediante verbo . seu specie expressa in actu secundo eandem numero naturam exprimit . Prob. 1. unumquodque est id quod est per suam formam ; & eo ipso quod aliqua forma ejusdem rationis est in duobus , similius denominationem tribuit : sed species intelligibilis in esse repræsentativo est forma ejusdem rationis cum objecto repræsentato : ergo similem denominationem tribuit : ergo ideo intellectus informatus specie alicujus intellecti dicitur ipsum intellectum , seu res intellecta , quia videlicet habet formam ejus , per quam est tale .

30 Prob. 2. species intelligibilis nequit intellectui uniri nisi ea ratione qua accidens , vel alia forma per inherentiam vel informationem cum suo subjecto unitur : sed subjectum recipiens hoc pacto aliquam formam nequit fieri ipsam per forma per identitatem , ut constat in corpore susecidente albedinem , & in materia recipiente animam rationalem ; nec enim corpus sit sua albedo , aut homo anima rationalis : ergo intellectus non poterit fieri idem cum sua specie intelligibili , nec mediante illa cum objecto identificari .

31 Confirm. intellectus creatus ante unionem sui cum specie intelligibili leonis , vel alicujus alterius objecti non erat idem per identitatem cum tali objecto , aut specie illius : ergo facta unione inter utrumque semper manebunt realiter distincta : ergo non erunt unum per identitatem : nam quæ semel sunt distincta , & ab invicem separabilia non possunt non manere realiter distincta , & ab invicem separabilia , quantumvis inter se uniantur . Alias multas rationes adducit M. Martinez loc. cit. apud ipsum videndas .

32 Pro intelligentia nota 1. ex S. D. Opusc. 14. unumquodque ab illo naturam fortiri , à quo speciem acci-

accipit, cum species sit tota natura rei. Intellectus autem in actu factus, & comparativè ad ipsam intellec-
tionem, seu verbum quod elicit, sit in specie determi-
nata eliciti per speciem impressam: ideo enim intel-
lectio, & verbum lapidis est specie distinctum ab intel-
lectione, & verbo asini; quia principium quo intellectus
tale verbum producit, est specie distinctum. Ig-
nitur intellectus sit intelligibilis specificativè, & elicitivè
per hoc quod informatur specie intelligibili, vel
attinet ipsum intelligibile, ut propriam formam à qua
speciem accipit; non quidem in linea essendi absolute,
sed in linea intelligibili, & intentionaliter operan-
di. Intelligibile enim, seu species intelligibilis absolute
intellectui non dat esse actu: sed dat esse actu in ge-
nere intelligibilium; & præber actu esse specificativè
operativum intellectionis & verbi talis rei: tota enim
specificatio est à forma intelligibili, seu ab intellectu
ut habente illam. Vnde per idem per quod est actu,
est principium eliciti per quod est actu, & verbi.

33 Nota hanc esse differentiam inter formam tota-
lem, quæ est species rei, & formam partialē; quod
forma partialis nunquam prædicatur de toto; v. g. hæc
est falsa, albedo est corpus: bene vero forma totalis,
sicut concretivè designata; v. g. corpus est album;
Petrus est homo: intelligibile autem in actu non se-
habet per modum formæ partialis, sed formæ totalis,
quæ est ipsam species rei. Nec intellectus simplici-
ter est materia, aut subjectum, licet quodammodo ha-
beat rationem materiæ prout est potentia intelligibile,
aut subjecti prout est perfectibile ab ipso; sed potius
se habet ut actus ad actum: unde ex intellectu, &
intelligibili fit unum sicut actus ex actu; quemadmo-
dum ex animali, & rationali: utrumque enim est ac-
tus, licet metaphysicè animal comparetur ut potentia
ad ipsum rationale: unde animal & rationale sunt
unum identicè. Ita pariter dico quod intellectus in
actu, & ut habens speciem est res intellecta in actu
identicè in esse intentionali, quia nullum est principium
distinctionis, aut diversitatis nisi penes ea ad quæ or-
dinant-

dinantur: quia nimirum res intellecta, prout est in re, est substantia habens tale esse, & prout est actu in intellectu per suam speciem habet rationem accidentis.

34 Igitur in sententia D. Thomæ mihi probabilior videtur prima sententia intelligendo de identitate in linea intelligibili; in qua omne quod est, actus est, & non subjectum, aut materia. Etsi enim subjectum, aut materia nunquam fiat sua forma per identitatem, quia sunt in diverso genere, seu generis ipsius diversa principia: tamen forma ut dicit potentiam metaphysicam sit suus actus identice; sicut albedo in actu est ipsum album, quod est actus albedinis. Haud secūs intellectus in actu est ipsum intelligibile, in esse intelligibili, quod in hac linea est actus ejus, & propria perfectio. Et hoc insinuat D. Thom. dicens: *Quia unumquodque fit actu inquantum consequitur suam perfectionem, sequitur quod intellectus fiat in actu, inquantum recipit ipsum intelligibile. Hoc autem est esse actu in genere intelligibilium, quod est esse intelligibile. Et quia unumquodque inquantum est actu est agens: sequitur quod intellectus, inquantum attingit intelligibile fiat intelligens.*

35 Prob. actus formæ, & ipsa forma in actu sunt identice unum, in ea linea in qua sunt forma, & actus, & solū penes diversum modum significandi, & connotationem ad diversa distinguuntur; sicut albedo in actu est ipsum album: sed intelligibile est actus ipsius intellectus facti in actu, qui est aliqua forma intelligibilis operans, & principium omnis operacionis intellectivæ: ergo intellectus in actu fit ipsum intelligibile, vel species ipsa intelligibilis in actu per identitatem, licet sub alio respectu siant unum sicut ex accidente & subjecto, nimirum in genere entis. Hinc est quod adinvicem prædicantur apud D. Th. dicitur enim: intellectus in actu est ipsum intelligibile in actu; sicut album est ipsa albedo in actu: unum autem prædicari de alio est esse idem cum illo. Et hoc pacto intelligitur ex intellectu, & intelligibili fieri magis unum, quam ex materia, & forma.

36 Vnde ad 1. rationem adductam pro opposita sententia dico unumquodque esse id ipsum quod est per suam formam. Vnde sicut ex specie intelligibili, & re representata efficitur unum per identitatem intelligibilem; quia species intelligibilis nil aliud est quam ipsum intelligibile in actu: haud secundus intellectus in actu nil aliud est quam intellectum, seu intelligibile in actu.

37 Resp. ad 2. neg. maj. species enim intelligibilis proprie in esse intelligibili non unitur intellectui ut forma materiae, aut accidentis subjecto, sed ut actus actui: quia ipsum intellectum suscipere speciem nil aliud est quam fieri actu in genere intelligibilium, in quo erat ut potentia metaphysica, & essentialis. Vnde sicut ex potentia metaphysica & actu fit unum per identitatem: ita etiam in genere intelligibilium ex intellectu, & intelligibili fit unum per identitatem; esto remaneant distincta per ordinem ad radices suas, & in genere entis: sicut ex animali quod est potentia essentialis ad rationale, & ipso rationali fit unum per identitatem; licet quoad radices unde dimanant, nimirum materia primam & formam indicant realem distinctionem, vel presupponant illam.

38 Resp. ad confirm. quod intellectus ante unionem sui cum specie intelligibili non est intellectus in actu, nec ipsum intelligibile est intelligibile in actu, sed in potentia; unde non sunt idem simpliciter, nec tamen in esse intelligibili sunt distincta; quia non sunt; sed sunt secundum quid idem in esse intelligibili: sunt autem simpliciter idem, cum utrumque sit in actu. De intellectu enim in actu, & de intelligibili in actu currit difficultas, & non de potentia intellectiva secundum se. Et esto illa, quae sunt simpliciter distincta, unum per identitatem fieri nequeant; tamen quae sunt secundum quid & in potentia essentiali idem, non implicat fieri idem simpliciter in eadem linea.

ARTICULUS TERTIUS

De verbo mentis, seu specie expressa.

39 **V**erbum mentis, ex S. D. Opusc. 13. dicitur *conceptus*, seu *intrinsecum illud productum in anima nostra*, quod voce exteriori significatur. Quemadmodum enim vocem, quam exteriorius proferimus, & qua exteriori sermone loquimur, verbum nuncupare solemus; ita conceptum ilium, quo mens nostra interioris loquitur, & exprimit aliquid, verbum mentis dicimus. Hujusmodi verbum, quod significatur interioris in anima existens, prius est quam verbum exteriorius voce prolatum, & quodammodo causa ejus. De hoc verbo querimus quid sit, & an necessario ponendum sit in intellectu.

40 Sciendum est ex eodem S. D. ibid. in intellectu tria reperiri: nimirum ipsam potentiam intellectivam, speciem rei intellectæ, quæ est forma ejus se habens ad ipsum, sicut species coloris ad pupillam; & intelligere, quod est ipsius intellectus operatio. Nihil autem istorum verbo exteriori designatur: nam hoc nomen lapis, v. g. intellectus substantiam aut speciem non significat; hoc enim non intendit dicere nomen proferens: & multominus ipsum intelligere, quod est actio immanens in ipso intelligenti: sed verbum interiorius conceptum, quod se habet egredientis instar; sicut verbum exteriorius, quod est ipsius signum à loquente ad extra egreditur.

41 Illud igitur propriè dicitur verbum mentis quod intelligens intelligendo format. Vnde comparatur ad ipsum intellectum, non sicut id quo intelligens intelligit, sed potius sicut id in quo intelligit: quia in hujusmodi verbo sic format, & ex parte rei intellectæ naturam intuetur, ac intellectualiter videt. Vnde est ratio & similitudo rei intellectæ, per modum imaginis, & speculi. In hoc enim verbum à specie intelligibili distinguitur, quod licet utrumque sit rei intellectæ similitudo; species tamen est intelligibilis operationis principium,

cipium , & quo intelligens intelligit : verbum autem est terminus illius , & objectum . Eapropter de ratio ne verbi est , ut in ipso cognito res ad extra , vel aliquid aliud cognoscatur . Attamen quia verbum est ratio cognoscendi , cum re ipsa cognita unum terminum , & objectum intellectus efficit , sicut ex materia , & forma fit unum in esse . Unde quando intellectus verbo rem intelligit , non fertur in illa ut in duo , sed ut in unicum terminum ; secus si cognosceret ipsum verbum , ut res quædam est . Hac de causa speciei impressæ , & verbo mentis rationem propriam signi denegavimus ; quia signum , & signatum sunt duo cognita , licet unum mediante aliæ cognoscatur . Nec tamen ipsum intelligere specificatur à verbo , sed à re intellecta , quia verbum ordinatur ad rem intellectam , ut ad finem . Eapropter si aliud sit intellectus , & intellectum , tunc verbum non est ratio , & similitudo intelligentis , sed rei intellectæ ; v. g. conceptus qui habetur in mente de lapide , est ipsius lapidis similitudo . Quando autem intellectus intelligit id , tunc verbum est ratio & similitudo ipsius intellectus . D. Th. loc. cit.

42 Ex his appetet necessitas ponendi verbum in qualibet natura intellectuali , sive Divina , sive Angelica , sive Humana . De ratione enim intelligendi est , quod intellectus intelligendo aliquid formet : tale autem formatum , & expressum dicitur verbum . Quemadmodum enim per actionem exteriorem aliquid ad extra procedere experimur ; ita & per actionem immanentem aliquid ad intra procedit : sed intellectio est actio immanens : ergo in quocunque intelligenti , eò ipso quod intelligat , aliquid ad intra procedere necessum est , nimirum verbum , seu conceptum rei intellectæ , ex vi intellectiva provenientem , & ex ejus notitia procedentem . Hoc idem patet ex conditione objecti ipsius intellectus . Quemadmodum enim objectum sensus est res materialis , ac singularis , ut objectum proportionetur virtuti sensitivæ , quæ materialis est ; ita & objectum intellectus , qui est potentia immaterialis , debet esse à conditionibus materialibus & individuantibus determinatum , sine quibus in rerum natura non existit : hoc

autem esse nequit, nisi intellectus actu suo verbum formet, quod est imago rei, & ratio cognoscendi rem ipsam, intentioque universalis, licet secundum esse naturale sit quædam specialis qualitas in creaturis: ergo necessum est in intellectu verbum admittere. D. Th. ibid. & 1. p. q. 76. a. 2. ad 3.

43 Major difficultas est utrum sensus ipsi ad sentiendum efforment etiam hujusmodi speciem expressam, imaginem, seu idolum, in quo sua sensata percipiante? Afferunt P. Suarez lib. 3. de Anim. c. 5. & alii plures. Oppositum, quoad sensus externos sentiunt communiter Thomistæ, quorum plures adducit, & sequitur M. Martinez de Prado lib. 3. de anim. q. 12. n. 2. Licet id concedant sensibus internis; præfertim phantasiaz, seu imaginativæ, & æstimativæ. Sumiturque ex D. Thoma Quodlib. 5. a. 9. ad 2. ubi ait: *Cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus à sensibili. Unde per formam, quæ sibi à sensibili imprimitur, sentit. Non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem. Hoc autem facit vis imaginativa, cui forma quodammodo est simile verbum intellectus.*

44 Prima pars prob. tum quia nemo in sensibus externis hujusmodi idola formata, & imagines expressas experitur; secus autem in sensibus internis in ipsorum sensibilium absentia, ut contingit in somniis: & etiam in intellectu res in absentia illarum cognoscente. Tum etiam quia si sensus exteriores formarent hujusmodi idola, & imagines, abeuntibus sensibilibus naturaliter in sensibus permanere possent, & ipsi sensus sentire: cum species illa expressa esset ratio proxima interna sensationem terminans: cuius contrarium experimur. Tandem quia sensatio externa est in genere cognitionum infima, unde in suum objectum secundum esse reale fertur. Secunda pars etiam patet: quia, quemadmodum intellectus non modo res præsentes, verum etiam absentes percipit, ac intuetur, ita etiam imaginativa, & æstimativa, ut in somniis evidenter conspicere est: sicut ergo necesse est, quod per intellectionem formetur quædam intentio, & conceptus, in quem

quem immedia'te feratur ipse intellectus , c'eu in terminum intrinsecum , & immediatum seu primum objectum , & eodem actu in rem per ipsum repræsentatam tendat , sive illa sit præsens , sive absens , ita necessum est ut imaginatio quandam imaginem effingat , in quam c'eu terminum intrinsecum feratur , & in quam c'eu primum objectum inspiciat : & dein per ipsam in rem imaginatam tendat : ita ut eodem motu in imaginem , & rem imaginatam feratur . D. Th. 1. cont. gent. c. 53.

45 Circa dicta de ipso verbo non modica insurgit difficultas an verbum mentis sit objectum immediatum intrinsecum cognitionis ? Negant Durandus in 1. d. 27. q. 2. & communiter Recentiores Societatis , aliqui non pauci , qui videri possunt apud M. Martinez de Prado lib. 3. q. 18. n. 2. Quibus favere videtur D. Th. 4. cont. gent. c. 11. ubi ait : *Verbum non est ipsa res , quæ intelligitur , sed quædam similitudo concepta intellectu de re intellecta . Aliud enim est intelligere rem , & aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam , quod intellectus facit , dum super opus suum reflectitur .* Deinde prob. cum quia objectum immediatum debet esse notius objecto mediato , sicut notior est imago re , cuius est imago : non autem experimur , quod verbum c'eu quid notius directè percipiamus . Tum etiam quia in voluntate non est aliqua hujusmodi forma intrinseca , quæ sit objectivè dilecta , & ratio diligendi alterum : ergo neque in intellectu erit aliqua species , seu forma , quæ sit primò objectivè cognita , & ratio cognoscendi alterum . Tandem species impressa non est id quod intelligitur , ut probat S. D. 1. p. q. 85. art. 2. ergo neque ipse conceptus erit quid intellectum ?

46 Dices , verbum ut similitudinem cognosci , non vero ut entitatem , seu qualitatem . Contra : qualitas illa essentialiter est similitudo , & è contra similitudo illa essentialiter est qualitas : impossibile ergo est intellici verbum ut similitudinem , & non ut qualitatem . Unde cum intellectus super verbum ipsum reddit , ac reflectitur , secundum utramque rationem ipsum cognoscit ; sicut inducere cognoscitur ratio entis , & talis entis : ergo cognitione directa non attingitur verbum ,

tanquam similitudo , & id in quo res cognoscitur , sed sit quo cognoscitur . Conf. quia in aliquo priori naturæ deberet verbum esse productum , & informans antequam ipse intellectus intelligeret : quod implicat , cum sit terminus ipsius intellectionis . Tandem quia omnis cognitio rei esset mediata . Ac denique satis capi nequit , quo pacto verbum formaliter aut virtualiter conuicat objectum , quod ipso nobilior est : ergo nequit esse imago in qua ipsum objectum cognoscatur actu secundo .

47 Oppositam sententiam docent Capreolus in 1. d. 28. q. 2. a. 2. Ferrara 1. cont. gent. c. 53. Cajet. 1. p. q. 27. a. 1. & communiter Thomistæ assertentes verbum mentis esse terminum intrinsecum intellectionis , & objectum ipsius , non ut quædam qualitas & res est ; sed ut species est talis rei , seu ut exercet munus imaginis , & similitudinis expressivæ talis objecti . Sumitur ex D. Th. q. 4. de verit. a. 1. dicente *Verbum esse ipsum interiorius intellectum , quod actu consideratur per intellectum* . Et q. 9. de pot. a. 5. *Id autem , inquit , quod per se est intellectum non est res illa cuius notitia per intellectum habetur : sed est primum , & per se intellectum , quod intellectus in seipso cgnoscit de re intellecta* . Idem docet Opusc. 13. & aliis pluribus in locis .

48 Prob. ad rationem objecti pertinet quod sit terminus operationis , ut docet D. Th. in 1. d. 1. q. 2. a. 1. ubi ait : *Objectum operationis terminat , & perficit eam* ; est enim materia circa quam : sed objectum intellectus non potest actu terminare cognitionem nisi sit illi intimè præsens actu , & unitum intentionaliter , seu in esse intelligibili : & non est actu præsens terminativè , prout est res exterior , nec etiam prout in specie impressa continetur , & multominus per ipsam intellectionem : ergo præter hæc omnia requiritur verbum , in quo ut in imagine & termino intrinseco cognito continetur objectum exterius , & in quo videatur . Min. prob. species impressa continet objectum ut semen illius , & comprincipium intellectionis , non vero ut terminus , & formalis partus , seu conceptus intelligentis in actu secundo ; sicut in virtute continetur genitum in semine

agente in virtute generantis : multò minus ad hoc sufficit ipsa operatio , quia non est terminus potentiae, sed per eam attingit terminum : ut autem est extra , non est intellecta in actu , quia ut sic est materialis , & non actu proportionata , nec intimè conjuncta cum ipso intelligentे : ergo &c.

49 Conf. non minoris capacitatis sunt naturæ cognoscitivæ in patiendo intentionaliter , in receptione specierum , quām sint virtutis activæ , & expressivæ in actu secundo : sed ratione virtutis passivæ intellectus possibilis in actu natus est fieri omnia , seu omnium species suscipere ut comprincipia intelligendi prima : ergo ratione capacitatibus activæ natus est ipse intellectus formare imagines in actu secundo expressivas rerum intellectarum : sed qui videt imaginem , ut repræsentativam eodem actu seu motu , quo fertur in illam , fertur etiam in rem imaginatam , quæ in ea exprimitur ; sicut unica visione videtur species in speculo , & res repræsentata: ergo formans verbum unico actu format , ipsamque imaginem expressam , & rem in ea repræsentatam percipit , & attingit . Maj. patet quia actus primus ad secundum ordinatur ; ergo si in actu primo natus est fieri omnia , cum sit potentia immaterialiter agens , & operans aliquid in actu secundo debet dari verbum intellectum , per quod res sint in ipso intelligentे in actu secundo .

50 Rem hanc luculenter , & egregie explicat S. D. Opusc. 14. his verbis : *Prima intellectus actio per speciem est formatio sui objecti , quo formato intelligit , simul tamen tempore ipse format , & formatur , & formatum est , & simul intelligit . Quia ista non sunt motus de potentia ad actum ; quia jam factus est intellectus in actu per speciem , sed processus perfectus de actu in actum , ubi non requiritur aliqua species motus . Et quia hujusmodi objectum in ipsa anima formatur , & non extra , ideo erit in anima , ut in subiecto ; est enim similitudo rei extra . Quod autem est in anima , ut in subiecto , efficitur in ea , ut habitus de perfecta autem ratione habitus est , quando actui coniungitur . In hoc enim natura sua perficitur per lu-*

men naturale intellectus, involvens speciem intelligibilem in quo, & sub quo intelligatur. Idem enim lumen, quod intellectus possibilis recipit, cum specie ab agente, per actionem intellectus informati tali specie diffunditur, cum objectum formatur, & manet cum objecto formato, & hoc habet plenam rationem verbi, cum in eo rei quidditas intelligatur. Sicut in principio actionis intellectus, & species non sunt duo, sed unum est ipse intellectus, & species illustrata; ita unum in fine relinquitur, similitudo scilicet perfecta, genita, & expressa ab intellectu, & hoc totum expressum est verbum; & est totum rei dictum expressum, & totum in quo res exprimitur, & hoc intellectum principale; quia res non intelligitur nisi in eo. Est enim tanquam speculum in quo res cernitur, sed non excedens id, quod in eo cernitur. Verbum igitur cordis est ultimum, quod potest intellectus in se operari. Ad ipsum enim, in quo rei quidditas recipitur, immo quia ipsem est quidditatis similitudo, terminatur intelligere. Sic enim habet rationem objecti intellectus: ut verò est per intellectum expressum, ei conjungitur dicere; & sic idem ipsum verbum intellectus est effectus actus intellectus, qui est formativus verbi, & ipsius dicere.

51 Unde resp. ad autoritatem D. Th. verbum non esse ipsam rem, quæ intelligitur per modum objecti ultimati, & finis; bene verò per modum imaginis, & medii in quo res representatur, & cognoscitur in actu secundo. Non enim res extra potest ut sic cognitionem terminare, nisi reddatur actu præsens, & intimè unita, ac conjuncta cum ipso intellectu. Itaque medium in quo aliquid videtur est ratio cognoscendi illud, quod in eo videtur. Ratio autem cognoscendi est forma rei, inquantum est cognita: quia per eam fit cognitio in actu. Unde sicut ex materia & forma unum esse pullulat, ita ratio cognoscendi, & res cognita sunt unum cognitum: & propter hoc utriusque inquantum hujusmodi est una cognitio.

52 Ad 1. rationem Durandi resp. quod objectum immediatum debet esse notius objecto mediato, sive ut

ut ratio cognoscendi , sive ut medium prius cognitum , sive ut medium in quo : & hoc pacto verbum est notius ut ratio cognoscendi , & medium in quo , non vero ut medium per quod ; sicut notior est *imago exterior* , & quodlibet signum respectu sui signati , quod prius , & seorsim terminat cognitionem , & præcognitum dicit in cognitionem signati . Unde non experimur nos cognoscere verbum ut distinctum in esse cognito à re , sed eodem actu utrumque attingimus , & experimur imaginem rei , & idolum ipsius in nobis esse , sed non per modum alterius rei cognitæ , nisi reflectendo .

53 Resp. ad 2. disparem esse rationem : quia scilicet intellectus trahit res ad se , unde in se debet habere aliquid , per quod in actu secundo uniantur , & intelligantur sicut in medio repræsentante , & speculo ; de ratione cuius est quod cognitum sit , ut faciat rei cognitionem . At vero voluntas jam habet objectum suum præsens per intellectum præcognoscentem , & ex propria natura non petit uniri illi trahendo ad se , sed potius ponderando in ipsum , ut est in re existens , unde sufficit aliquis terminus intrinsecus in ea productus per modum impulsus in rem ad extra , & non per modum medii objective cogniti , quia objectum jam præsupponit cognitum ab altiori potentia dirigente in rem volitam , scilicet intellectu , vel fertur in eam per modum naturæ , quæ non fertur in rem per cognitionem sed per impetum . Resp. ad 3. ex dictis disparem esse rationem : et si enim utraque species sit similitudo rei ad extra ; differunt tamen in modo repræsentandi illam : quia species intelligibilis repræsentat ut com principium fœcundans intellectum ad productionem ipsius intellectionis , unde se habet ut medium quo , seu ratio ; sed verbum se habet ut terminus productus , & exprimens ipsam rem in actu secundo per modum speculi , & imaginis , unde etiam debet esse cognitum , & non solum ratio cognoscendi .

54 Ex his patet solutionem traditam esse optimam , nimirum verbum cognosci , ut similitudinem , non vero ut entitatem , seu qualitatem . Ad instantiam resp.

verbum esse maius qualitatem, quæ est similitudo, identice, non vero formaliter, & reduplicative: quia in diverso genere est qualitas, & in diverso genere est similitudo: in genere enim naturali, & in esse entis est qualitas, sed in genere intentionalis est similitudo: unde bene stat, quod cognoscatur ut similitudo, & non ut qualitas.

55 Ad id quod adjicitur resp. ex S. D. Opusc. 14. quod generatio quidem verbi non est actio reflexa, sed propriè est directa: quia terminatur ad objectum factum in se, & à se. Attamen quia non est aliqua potentia superior intellectu, ad quam mittat conceptiones suas, sicut sensus: ideo super actus suos reflecti potest, cum vult, quod sensus praestare nequit. Non enim intellectus tanquam organo utitur corpore, quod nequit percipere id quod in eo fit. Sed cum intellectus sit unum agens cum quo species spiritualiter unum efficitur participando vitam ejus, percepit actum suum cum vult completere: non enim indiget anima specie illa ad hoc ut intelligatur à se, sed ut intelligat. De se enim habet ut intelligatur, sed non ut intelligat.

56 In intellectione ergo, seu dictione, qua producit verbum alterius rei, intellectus non se dicit. Anima enim quasi transformata est in rem per speciem, qua agit quidquid agit: unde cum ea informatus est actu, verbum producit, in quo rem illam dicit, cuius speciem habet, & non in se. Cum vero nimirum se apprehendere per speciem aliorum, quia tunc non indiget nova specie ut intelligat & qua formetur verbum sui, sed accipit à se intelligibilem speciem rei qua necessariò informatur ut se intelligat, qua informatus statim se intelligit, & hoc est per reflexionem. Nec oportet prius formare verbum, quam intelligere; sed cum intellexerit, format verbum sui. Et ideo intelligere, non tempore, sed natura præcedere necesse est, cum seipsum intelligit: non enim, cum seipsum intelligit, facit totum objectum, sed aliquid circa ipsum: non enim aliud est à quo accipitur species ab eo ad quod terminatur, sed idem. Sed quia ista

ista est species rei alterius formatum verbum de anima per speciem illius rei non est purum verbum animæ, sed rei dictæ. Si vero nudatum ab omni re se apprehenderet, & similia sui in se gigneret, hoc ejus verbum esset purum, nihil extraneum admixtum habens. Verbum tamen animæ tali modo se dicentis foret accidentis, & pro tanto diversæ naturæ foret ab anima, cum accidentis sui foret, & à se, & de se factum: ipsa enim substantiam facere non potest. Hucusque D. Th. Ex quibus patet ratio cur in reflexione super se cognoscatur quodammodo verbum secundum utramque rationem: quia videlicet non est purum verbum animæ, sed etiam rei dictæ.

57 Ad 1. confirm. resp. quod radicaliter intelligere præcedit ipsum verbum; non tamen ut est objectum ipsius intellectionis, quod eleganter, & profunde explicat S. D. loc. cit. his verbis: *Quia res intelligibilis est ipso intelligitur, quod intellectus formatur sua specie actu, prius natura est informari; quam intelligere: ideo videtur verbum, quod sequitur speciem rei, similiter sequi intelligere ejus. Prius enim natura est intellectus informatus specie, quæ est principium sufficiens intelligendi, quam gignatur verbum: & ideo intelligere in radice prius est verbo, & verbum est terminus intellectionis intellectus. Sed quia objectum non habetur nisi in verbo: objectum autem prius est, quam qualibet actio ad ipsum terminata; ideo verbum prius est, quam intelligere, & hoc totum ideo contingit, quia non terminatur actio intellectus ad rem extra, à qua acquirit speciem, ut est in se. Si enim species nata essetducere intellectum ad rem ut est in se, ut species coloris dicit ad colorem, omnibus modis intelligere præcederet verbum. Unde manifestum est quod verbum non est, quod sequitur intellectum immediate post rationem intellectus. Sic enim simpliciter præcederet actum intellectus, qui est intelligere, sed verbum sequitur immediate intellectum in actu per speciem, à qua procedit verbum, ut actus ex actu, & non ut actus ex potentia. Unde verbum est posterius actu intelligendi à parte intellectus,*

602 Quæst. XIX. De Intelle^ctione.
tus, & sic verbum sequitur ad intelligere, non in se,
sed in sua radice.

58 Resp. ad 2. quod esto verbum sit cognitum, non
tamen mediatam rei cognitionem efficit, quia est me-
dium in quo, & ratio cognoscendi non præcedens
ipsam rem repræsentatam in eo, cœu medium per quod;
sicut præmissæ prius cognitæ sunt medium per quod
cognoscitur conclusio, unde cognitio conclusionis di-
citur mediata. Ad ult. dico verbum continere objec-
tum per modum imaginis, & medii in quo: & esto
objectum in esse entis sit nobilius ipso, quia est sub-
stantia, & quidditas rei, non tamen in esse repræsen-
tativo, cùm in eo tota rei quidditas contineatur. *Est
enim (inquit S. D. loc. cit.) tanquam speculum, in
quo res cernitur, non excedens id quod in eo cerni-
tur.* Ex his sumitur ratio cur sensus non habeant ali-
quod medium in quo, sed quo: quia nimirum cogni-
tio sensus per solam immutationem sensus à sensibili
perficitur: nam per formam, quæ illi à sensibili im-
primitur, sentit: non autem ipse sensus exterior for-
mat sibi aliquam formam per quam suum objectum
dicat.

59 Ex his colligitur quod verbum mentis est nece-
ssarium: primò ut sit terminus intrinsecus intellectionis,
per quam constituitur formaliter, & actualiter objec-
tum præsens intellectui, & ejus actui. Secundò requiri-
tur verbum ut actu uniat objectum intellectioni, &
intellectui: res enim intellecta actu in intelligente esse
debet, non est autem in eo actu nisi per verbum. Ter-
tiò requiritur verbum, ut imago, & medium in quo in-
tellectus intelligit res; in hoc enim distinguitur intel-
lectus à sensu: quod, quia objectum sensus est extra,
non est necesse ut formetur idolum, in quo sensus res
sensibiles intueatur: intellectus autem objectum, quia
est intra ipsum, cùm indifferenter res præsentes, & ab-
fentes intelligat, necesse est ut intellectus verbum for-
met, in quo res intellecta sit objectivè: & per illud cœu
imaginem, in cognitionem rerum deveniat. Quarto re-
quiritur verbum ut constituatur objectum propor-
natum virtuti intellectivæ. Ita D. Th. variis in loc.

A R.

ARTICULUS QUARTUS

*Quid sit intellectio , & quomodo à dictione ,
& verbo distinguitur .*

60 **C**irca primum quidam existimant intellectiōnem esse veram , & propriam actionem de prædicamento actionis. Ita Montesinus 1. 2. disp. 3. q. 2. Goncalez 1. p. q. 12. a. 2. disp. 25. sec. 4. & alii non pauci . Alii negant . Ita communiter DD. quorum plurimi adducuntur à PP. Complut. hic disp. 21. q. 1. §. 2. tamen in assignando quid sit , inter se dissentient Scotus , & ejus Schola , aliquique non pauci , & Thomistis , ut referunt PP. Complut. ibidem. Ipse enim Scotus in 1. d. 3. q. 8. Suares lib. 1. de Trinit. c. 6. & alii arbitrantur intellectiōnem esse qualitatem ipsam quæ est verbum mentale . Thomistæ autem asserunt esse qualitatem à verbo distinctam . Sed etiam inter se dissentient . Quidam enim solum distingu formaliter volunt , non autem entitativè , & per modum rei , & rei . Ita M. Sotus in 4. d. 49. q. 2. art. 3. Torres 1. p. q. 27. disp. 4. M. Bannes ibid. dub. 3. & alii non pauci . Alii vero inter verbum , & intellectiōnem constituant distinctionem rei à re , seu entitativam . Ita Caietanus 1. p. q. 27. a. 1. Nazarius ibid. controv. ult. & alii quamplures . Unde M. Martinez hic. q. 18. §. 2. vocat hanc sententiam communem Thomistarum . Non minor est disensio circa distinctionem ipsius dictiōnis ab intellectiōne , seu ipsius intelligere à dicere . Scotus enim in 1. dist. 2. q. 7. cum suis , & aliis quibusdam vult hujusmodi operationes ex natura rei distingui . Alii , ut Ferrara 4. cont. gent. c. 13. & Torres loc. cit. 1. p. q. 27. a. 1. disp. 1. cen sent hujusmodi operationes distingui formaliter , seu duas diversas operationes adinvicem se excludentes . Tandem alii arbitrantur dicere & intelligere , equidem ante operationem intellectus distingui , non tamen seu duas operationes adinvicem se excludentes , sed tanquam operationem fœcundam à non fœcunda ,

da, seu penes diversam habitudinem. Quia videlicet intelligere solam habitudinem ad intelligibilem importat, dicere autem expressionem superaddit, qua interius loquitur ipse intellectus, ut fuse explicabimus infra.

61 Nota actionem formaliter consistere in illo actu secundo denominante subjectum agens formaliter effectivè, id est agens ad alterum, non ut purum terminum, sed ut effectum seu patrum, quod subicitur. Dupliciter sumi potest actio; primo Logicè, seu Metaphysicè, & ut concepta, seu secundum rationem denominandi, & prædicandi. Secundo Physice, & secundum esse in re, quatenus designatur per verbum agere, quod fluit ab agente, & cum motu.

62 Nota 2. ex S. D. Opusculi 14. quod res intelligibilis è ipso intelligitur quo intellectus sua specie actu formatur: unde prius natura est formari quam intelligere, sed non tempore. Informat autem potentiam intellectivam species in quantum est actus ejus, & forma qua sit agens actu: unde importatur in tali actualitate quedam habitudo potentiae intellectivæ in actu factæ ad ipsum intelligibile ut terminum, & objectum illius. Verum quia intellectio est ut actus perfectus, significatur ut manens in ipsa potentia intellectiva, & ut perficiens illam, & non ut egrediens, & fluens ab illa in id quod intelligitur, seu per modum cuiusdam fieri, sed potius per modum cuiusdam esse: ut sumitur ex D. Th. i. p. q. 14. a. 4. c. ubi ait: *Intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in operante sicut actus, & perfectio eius, prout esse est perfectio existentis: sicut enim esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem.*

63 Quæ verba explicans D. Caietanus ait: Intelligere consequitur speciem intelligibilem ut esse formam: Primo quoad causalitatem: quoniam forma est ratio essendi: & species intelligibilis est ratio intelligendi. Secundò quoad necessitatem: quoniam formam in actu necessario comitatur existere, & speciem intelligibilem in actu necessario comitatur intelligere. Tertio quoad modum causandi: quoniam forma comprehendit quod est, facit esse; & species intelligibilis in actu, non in genere

genere entis, sed in genere intelligibilis, complendo intellectum, facit intelligere. Sequitur ex his quod intelligere est perfectio intelligentis, ut existere est perfectio existentis. Id est, intelligere ex proportione perficit intelligentem, qua esse perficit existentem. Imo intelligere est ipsum esse intelligentis in genere intelligibili; sicut esse est ipsum esse entis in genere entium.

64 Unde intelligere ex S. D. ibid. accipitur ut in quiete. At vero ipsum verbum nostrum semper est in continuo fieri: quia perfectum esse suum est in fieri. Sed hoc non est imperfectum, quasi totum simul non existens, sicut est de aliis quae sunt in fieri, quae etiam semper sunt imperfecta; ut motus, & tempus. Immo verbum in principio sui est perfectum, quia conceptio perfecte formata est, & nihilominus esse ejus perfectum servatur eodem modo quo gignebatur. Non enim transit formatio verbi ipso formato, sed dum actu intelligitur continua formatur verbum, quia semper est, ut in egrediendo ab aliquo, scilicet a dicente.

65 De ratione igitur verbi duo sunt; scilicet quod sit semper aliquid procedens ab intellectu, & in intellectu existens, & quod sit ratio, & similitudo rei intellectae. Ad ipsum, ut est ipsamet quidditatis similitudo, seu speculum in quo quidditas rei recipitur, terminatur ipsum intelligere, cum sub hac ratione habeat rationem objecti intellectus: ut vero est per intellectum expressum, & in egressu ab ipso, ei conjungitur dicere. Unde idem ipsum verbum est terminus actus intellectus qui est formativus objecti, & ipsius dicere. Sed in hoc reperiatur differentia quadam: quod enim intelligitur potest esse in intellectu, & manere in ipso non intellectum actum: quod autem dicitur, potest esse dictum, sed non potest manere dictum, nisi cum actu dicitur. Unde in intellectu potest manere species objecti in habitu. Illud non dico, quod formatum est, sed manet id, in quo formatum est, sine lumine tamen, in quo actu aliquid intelligitur.

66 Est autem in verbo similitudo illius quidem speciei, tanquam ejus quo factum sibi simillimum: similitudo vero rei est ut ad quod formatur, & talquam ad ejus exem-

exemplar. Nec propter hoc oportet ipsum formantem prius rem intueri, & post ad eam verbum, seu imaginem ipsam in se formare, quia habere speciem apud se, est sibi loco aspectus ipsius exemplaris. Artifices namque suætentes sua exemplaria, nihil aliud acquirunt nisi ipsas species exemplarium: hæc autem species, quam habet intellectus advenit sibi à re, quam ipse non est intuitus, sed sensus. Et quia est rei similitudo, est principium generationis verbi. Et huic similitudini tanto intimius est verbum, quanto perfectius generatum est. Ideo verbum intelligentis intimum est principio intellectu, ex quo & specie fit unum: ito & magis transit in similitudinem substantiæ, quam species ipsa. Quia enim intellectus noster nititur in quidditatem rei venire, ideo in specie prædicta est virtus quidditatis substantiæ spiritualiter, per quam quidditas spiritualiter recta formatur: sicut in calore est virtus formæ ignis, per quam ad formam substancialē ignis attingit. Unde verbum, quod est ultimum, quod intra per speciem gigni potest, magis accedit ad ipsam rem repræsentandam quam nuda species rei. D. Th. loc. cit.

67 Prima concl. intellectio, seu intelligere physicè & secundum esse non est directe, & formaliter, seu simpliciter de prædicamento actionis: sed solùm quantum ad rationem denominandi, seu prædicandi. Prima pars sumitur ex D. Th. in 1. d. 8. q. 4. a. 3. ubi ait: *Actio secundum quod est prædicamentum dicit aliquid fluens ab agente, & cum motu.* Idem docet de ipsa, & omni alia actione immanente Opusc. 47. his verbis. *Hæc autem actio immanens non est directè in prædicamento actionis.* Prob. agere prædicamentale est agere creatum, & exuntis de potentia in actum ad inferendum aliquid in passo, quod ipsi agenti subjicitur, ut patet ex definitione actionis: definitur enim actio prædicamentalis, secundum quam in id quod subjicitur, agere dicitur: ubi denotatur teansitus in passum quod subjicitur, & recipit actionem agentis, cuius virtus ei prævalens formam suam ei imprimit penetrando in ipsum, & transmutando, unde ponitur *in*, & non *ad*, vel *super* passum. Et passio ei correspondens, dicitur effectus

tus illatioque ipsius actionis: non est autem effectus actionis, nisi quatenus forma agentis suscipitur in passo; neque est illatio, nisi prout est quidam motus, & actus imperfetti; qui continuè à movente derivatur in patiens, quod movetur: sed totum hoc simpliciter & per se intellectio, vel alteri actioni immanentí competere nequit; quæ simpliciter non transit in passum, nec imprimit ei formam suam simpliciter, & physicè transmutando illud, sed solùm intentionaliter, & secundum quid: ergo non est simpliciter actio de prædicamento actionis.

68 Secunda pars prob. ex D. Alb. M. lib. de sex princip. tr. 2. intellectio & quælibet actio immanens denominat agens per modum emittentis formam, seu ad alterum, tanquam effectum, seu objectum actionis ejus: sed hoc non competit qualitati, ut qualitas est, quia simpliciter explicat suam rationem per ordinem ad subjectum, in quantum qualitas est, ut passim docet S. D. ergo secundum rationem denominandi agens, seu intelligens verè habet rationem actionis: quæ denominat ut ad alterum, non quidem, ut purum terminum, sed ut effectum vel objectum.

69 Ex quibus sequitur quodd intellectio, seu intelligere secundum rationem denominandi; & grammaticaliter, formalissimè est actio; secundum esse autem, & virtualiter est qualitas perficiens ipsum intelligentem, & manens in ipso. Vel si malueris: intellectio sub ratione præcisa intellectio, & ut præcisè importat habitudinem ad rem intellectam habet modum qualitatis; quia est ut in quiete in ipso intelligenti, & intimè perficit ipsum, se haberque ut esse ipsius: ut supra ex S. D. 1. p. q. 14. a. 4. diximus: unde proprie est qualitas, & solùmodo in modo denominandi est actio. At verò si sumatur, ut est quoddam dicere formalissimè & proprie est actio, quia importat rationem originis ad verbum, quod est aliquid productum ab ipso; & solùm virtualiter erit qualitas, quatenus scilicet est quoddam intelligere, & perfectio intelligentis. Vide D. Thom. Opusc. 14.

70 Ratio est, quia esto intellectio ex modo significandi

candi significetur ut operatio , de cuius ratione est quod dicat originem ab alio , tamen non exigit secundum esse quod distinguatur a procedente , & fluat , seu procedat realiter ab eo in ipsum intellectum , quin potius solus processus secundum rationem importatur ; ut patet ex S. D. q. 4. de verit. a. 4. c. ubi ait quod verbum in quantum intellectum non importat processum realem ab intelligentie , seu dicente , sed rationis tantum , bene vero prout est ab alio expressum : sed intellectio sub formalissima ratione intellectionis solum dicit habitudinem ad rem ut intellectam : at sub ratione cuiusdam dictio nis respicit verbum ut realiter a se procedens : ergo ut intellectio est solum ex modo significandi habet rationem actionis , & non secundum esse , quia nihil realiter procedit ab ipso , & secundum esse est qualitas : at vero prout est quoddam dicere vere habet rationem actionis , quia est ut fieri rei , & aliquid intelligitur per eam realiter procedere . Unde S. D. cit. Opusc. 14. docet quod intellectio est ut in quiete , sed verbum ut in fieri . Omnis autem actio est ut fieri rei : qualitas autem est ut perfectio disponens , & perficiens intrinsecè subjectum .

71 Secunda concl. intelligere secundum esse non distinguitur realiter ab intellecto in actu , seu specie intelligibili ut est actus intellectus facti in actu : sed solum formaliter , & secundum rationem significandi ; quatenus scilicet intellectio formaliter dicit habitudinem ad intellectum , aut rem intellectam secundum se : quam non explicat formaliter ipsum intellectum secundum se . Sumitur ex D. 1. p. q. 14. a. 4. c. ubi ait : *Intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum , sed manet in operante sicut actus , & perfectio ejus : prout esse est perfectio existentis . Sicut enim esse consequitur formam , ita intelligere sequitur speciem intelligibilem . In Deo autem non est forma , quæ sit aliud quam suum esse : unde cum sua ipsa essentia sit etiam species intelligibilis , de necessitate sequitur , quod ipsum ejus intelligere sit essentia , & ejus esse . Ex quibus prob. 1. pars concl. actus formæ nil aliud est quam ipsa forma in actu , seu forma actu communicata sive perfectibili , sicut actus albedinis est album : sed intelligere est actus ipsius*

ipsius intellecti in actu , sicut formæ , & principij formalis quo actu intelligit : ergo non distinguitur realiter ab ipso . Secunda pars etiam sumitur ex eodem . S. D. i. p. q. 34. art. 1. ubi ait: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam , in qua nulla ratio originis importatur , sed solum informatio quedam in intellectu nostro . Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim est aliud dicere quam proferre verbum: sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam , quæ in verbo prolatu manifestatur intelligenti . Ex quibus prob. 2. pars concl. nam species intelligibilis significatur ut forma constituens ipsum intellectum in actu , & sub hac ratione dicit habitudinem ad ipsum , ut proprium perfectibile: at vero ipsum intelligere est ab intelligenti ut à quo , & importat formalem habitudinem ad intelligibile ut effectum , vel objectum : ergo &c.*

72 Tertia concl. intelligere radicaliter sumptum distinguitur realiter entitative ab ipso verbo ; quatenus est terminus intrinsecus illius : si vero sumatur formaliter ipsa intellectio ut respicit ipsam rem intellectam in verbo seu objectum ipsius intellectus , cuius verbum est fieri actu in ratione intellecti , existimo quod non distinguitur realiter entitative à verbo , sed solum formaliter , seu modaliter . Prima pars sumitur ex D. Thom. Prius natura est intellectus informatus specie , quæ est principium sufficiens intelligendi , quam gignatur verbum , & ideo intelligere in radice prius est verbo , & verbum est terminus actionis intellectus . Ex quibus prob. concl. intelligere in radice est prius verbo , & respicit ipsum per modum termini operati , & producti per ipsam intellectum mediante ipso intelligere : sed actio realiter distinguitur à termino per ipsam producto , nihil enim realiter seipsum producit : ergo intelligere in radice distinguitur realiter à verbo seu termino per ipsam producto , & formato .

73 Secunda pars etiam sumitur ex eodem loc. cit. ubi ait: Verbum nostrum semper est in continuo fieri ;

Tom. VI.

Qq

quia

quia perfectum esse suum semper est in fieri: non enim transit formatio verbi ipso formato, sed dum actu intelligitur continuè formatur verbum. Ex quibus prob. hæc 2. pars: quod est ut fieri & ut egrediens ab aliquo habet rationem actionis: sed esse verbi est ut fieri, & ut intelligere in actu, nec sine intelligere in actu, esse aut intelligi potest; ut docet S. D. ibid. dicens: Verbum non est sine intelligere in actu: ergo sub-hac ratione non distinguitur realiter à verbo, saltem entitativè. Hæc pars amplius suadebitur argumentis contrariorum infra adducendis.

74 Ultima concl. intelligere, & dicere non distinguuntur tanquam duæ operationes formaliter, & ex æquo, sed dicere distinguitur ab ipso intelligere, ut explicans specialem modum originis à dicente & habitudinem ad verbum ut expressum, & formatum, quod non explicat ipsum intelligere, sub præcisa ratione intelligere, sed solùm dicit habitudinem ad rem intellectam. Ita S. D. q. 4. de verit. a. 2. & Opusc. 14. Et probatur: ex eodem verbum est notitia expressa ab intelligenti, & ultimum quod potest intellectus operari intra se: sed non potest esse notitia expressa, nec ultimum quod intra intellectus operatur, nisi dicere sit quoddam intelligere: intelligere enim noscentis est, & operantis intellectualiter: ergo dicere intrinsecè includit intelligere. Maj. prob. ex D. August. lib. 9. de Trinit. cap. 10. verbum est notitia cum amore. Conf. 1. quia tanto perfectius intelligitur quanto perfectius est verbum. Confirm. 2. verbum de ratione sua non solùm haber quòd sit ab alio expressum, sed etiam quod sit intellectum, ut docet S. D. dicta q. 4. de verit. a. 2. c. ergo dicere est quoddam intelligere. Conf. 3. verbum est quid operatum ab intellectu: ergo per operationem ei propriam, & adæquatam: hæc autem est intelligere. Conf. 4. dicere est vitaliter operari in linea intellectuali; sed in hac linea actus vitæ, seu ipsa vita in actu est ipsum intelligere: ergo dicere necessariò includit ipsum intelligere. Secunda pars conclusionis patet ex dictis.

Solvuntur Argumenta.

75 **A**rg. 1. cont. 1. intellectio est fieri quoddam, & causalitas ipsius verbi, & nullatenus terminus productus per aliquod aliud fieri: ergo non est qualitas, sed vera actio de praedicamento actionis. Nec valet dicere quod illud fieri non est actus imperfecti, & cum motu, sed actus perfecti, & totus ~~sicut~~, licet quantum ad rationem denominandi denominet per modum cuiusdam fieri: nam illuminatio est vera actio de praedicamento actionis: cum tamen sit mutatio instantanea, & perfectiva. Deinde vere agere est vere producere aliquid: sed intelligere vere producit verbum: ergo est vera, & propria actio de praedicamento actionis. Tandem quia causalitas, & fieri effectus est quedam ratio superior ad hoc quod est esse causalitatem & fieri cum motu, vel sine motu: ergo ad aliquod praedicamentum pertinet: & profecto non ad aliud, quam ad praedicamentum actionis.

76 Resp. ad argum. ut supra. Ad 1. replicam dico illuminationem Solis eatenus physicè actionem dici, & pertinere ad hujusmodi praedicamentum, quia est conjuncta cum motu praecedenti, & non præcisè ut illuminatio est; hoc enim pasto non nisi secundum rationem denominandi est actio: simpliciter autem est qualitas. Resp. ad 2. quod intelligere sub præcisa ratione intellectio non vere, & realiter producit aliquid, sed secundum rationem denominandi: & per modum intellecti: ut est autem dicere producit verbum per modum formati & expressi, & hoc pacto diximus esse veram actionem, & propriètatem tamen physicam & conjunctam cum motu, unde pertinet equidem ad praedicamentum actionis, non tamen physicè, & secundum esse, sed secundum rationem denominandi, & indirectè. Per quod patet ad 3.

77 Arg. 2. cont. 3. ex D. August. supra cit. verbum est notitia: notitia autem nil aliud est quam cognitio, seu intellectio. Conf. ex D. Thom. Opusc. 13. ubi assertum est verbum nil aliud esse quam veritatis contemplatio.

tionem. Et q. 8. de pot. a. 1. *Verbum*, inquit, *nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus, cum ipso intelligere compleri non possit sine verbo praedicto.* Resp. ad 1. ibi sumi notitiam pro notitia expressa, quæ est terminus notitiae seu intellectionis; quandoque enim motus nominari solet nomine sui termini. D. Thom. quæst. 4. de verit. art. 2. & 1. par. quæst. 54. art. 1. Resp. ad conf. non esse ibi fermentum de intellectione radicaliter sumpta, sed formaliter, & completivè. Vidæ quæ diximus in concl. 3.

78 Arg. 3. cont. eandem: intellectio nil aliud est quam actualis manifestatio; res enim manifesta fit cum actu percipitur, unde intelligere dicitur quasi intus legere: sed verbo res manifestatur: ergo &c. Conf. hoc ipso quod intellectus specie intelligibili informetur constituitur in ratione intellectivi: ergo hoc ipso quod specie expressa, seu verbo informetur, constituitur in actu secundo intelligens. Conf. 2. intellectus intelligit trahendo res ad se: sed formalissimè, & in actu secundo res mediante verbo uniuntur intellectui: ergo per verbum constituitur actu intelligens. Hinc promanat, ut conemur ad efformandum verbum, dum recti cupimus perfectè intelligere.

79 Resp. intellectionem esse actualem manifestationem quatenus præcedit verbum in radice per modum vitalis operationis producentis verbum: ipsum autem verbum esse manifestationem, per modum imaginis in qua manifestatur objectum ipsum, seu res intellecta. Resp. ad 1. conf. quod per verbum constituitur in actu secundo intelligens, prout intellectio respicit rem intellectam ut objectum à qua specificatur: antecedenter autem ad verbum jam in radice est intelligens actu per ordinem ad verbum seu terminum intrinsecum. Ex his patet ad 2. confirm.

80 Arg. 4. cont. eandem: intellectio, & verbum se habent per modum fieri, & facti esse: fieri autem & factum esse entitatib; non distinguuntur: cum sit penitus eadem res in fieri, & facto esse. Deinde quia actione productiva verbi non distinguitur realiter entitatib; ab ipso produci nec produci à verbo: ergo &c. Resp. intel-

Intellectionem in radice non se habere per modum fieri realiter, sed facti esse, & actus immanentis, seu quiescentis in intelligente: at verò formaliter se habere ut fieri, unde hoc pacto non distinguitur realiter entitative à verbo, ut diximus. Eodem modo resp. ad confirmationem.

81 Arg. 5. cont. 4. intellectio non importat essentialiter quòd sit productiva verbī, sed potest absque verbo producto reperiri: dictio verò non includit quòd sit perceptio objecti sed quòd sit exprimens, & proferens verbum: sed proferre verbum non includit intellectionem, sed productionem illius: ergo intellectio, & dictio se habent ut duæ actiones ex æquo distinctæ. Conf. quia Filius in Divinis, & Spiritus S. intelligunt, cum tamen non dicant nec producant verbum. Resp. quòd omnis intellectio essentialiter importat habitudinem ad verbum sub ratione intellecti, etsi non semper respiciat ipsum, ut formatum, & expressum à se: unde & dicere communiter competit etiam Filio, & Spiritui S. in Divinis, ut docet S. D. q. 4. de verit. Licet dicere notionaliter, & ut modificatum in Patre non comperat illis, sed soli Patri, unde non producunt verbum ut expressum, & formatum personaliter dictum, & propriè. Igitur proferre verbum est intelligere, ut modificatum tamen secundum rationem expressionis: & sicut de intrinseca ratione verbi est quòd non solum sit expressum, sed etiam intellectum, quia est prolatum à natura non qualicunque sed intelligenti, & per formam intellecti agente: ita de ratione ipsius dictionis formaliter est quòd sit prolatio non quæcunque sed intellectiva, & propria naturæ intelligenti, agenti per principium intellecti.



ARTICULUS QUINTUS

*Utrum per omnem intellectionem creatam
producatur verbum?*

§2. **A**ffirmant P. Molina 1. p. q. 27. ar. 1. Vasquez q. 12. art. 2. c. 1. Suarez disp. 48. Metaphys. sec. 2. plures alios referens, Montesinos 1. 2. q. 3. & alii. Autores isti præcipue innituntur autoritati D. Thomæ 1. p. q. 27. a. 1. dicentis: *Quicunque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliiquid intra ipsum; quod est conceptio rei intellecta, ex vi intellectioniva proveniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat & dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis.* Dices particulam quicunque non distribuere pro singulis generum, & pro quoctunque intelligere individualiter sumpto, sed pro singulorum generibus, seu pro quaocunque natura intelligente; ita ut sensus sit, in quaocunque natura intellectionali ex vi intelligendi, & activitate necessum esse quod procedat aliiquid ad intra, quatenus manifestativa, & expressiva est, licet in omni intellectione non requiratur ut procedat verbum; quia non omnis intellectionio est expressiva, & manifestativa, sed quedam est solum apprehensiva.

§3. Contra: S. D. q. 4. de verit. a. 4. c. ait: *Verbum intellectus nostri est id ad quod operatio intellectus nostri terminatur, quod est ipsum intellectum, quod dicitur conceptio intellectus: sive sit conceptio significabilis per vocem incomplexam, ut accidit quando intellectus format quidditates rerum, sive per vocem complexam, quod accidit quando intellectus componit, & dividit. Omne autem intellectum in nobis est aliiquid realiter progressi ab altero, vel sicut progrediuntur a principiis conclusiones, vel sicut conceptiones quidditatrum rerum posteriorum à quidditatibus priorum, vel saltem sicut conceptio intellectualis progressitur ab habituali cognitione: & hoc universaliter verum est de omni, quod à nobis intelligitur, sive per essentiam intelligatur, sive*

ve per similitudinem : ipsa enim conceptio est effectus actus intelligendi : unde etiam quando mens intelligit seipsum , ejus conceptio non est ipsa mens , sed aliquid expressum à notitia mentis . Idem docet in solut . ad 5.

84 Deinde prob. intellectio est vera , & realis operatio , verumque & reale fieri : ergo necessariò debet ab ea aliquid reale procedere per modum termini ; quod non potest esse nisi verbum . Unde S. D. in 1. d. 27. q. 2. a. 2. inquit : *Et ideo impossibile est , quod aliquis intelligat nisi verbo intellecto sui.*

85 Autores autem oppositum sentientes pro se adducunt , in visione beatifica , quæ est perfectior inter omnes intellectiones creatas , non produci verbum : ergo non est necessarium , in omni intellectione verbum produci . Antec. prob. nihil creatum potest esse formalis Dei similitudo ; & ideo S. D. quem sequuntur communiter ipsius Discipuli , negat in visione beata posse dari speciem impressam ; quia videlicet per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora cognosci possunt , sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ : sed verbum est similitudo rei intellectæ , formalius ipsam representans quam ipsamet species impressa , ut docet S. D. Opusc. 14. cum species impressa sit similitudo rei intellectæ solummodo in actu primo , species autem impressa in actu secundo : ergo &c.

86 Insuper in hoc est par ratio de intellectione Angelica , ac de intellectione humana ; quia majoris immaterialitatis sunt Angeli , quam homines : sed Angeli in sua cognitione non formant verbum : non ergo universaliter est verum , quod quicunque intelligit producat verbum . Tandem quia in cognitione refixa non producitur verbum : non ergo in omni intellectione necessarium est produci verbum .

87 Nota ex S. D. q. 4. de verit. a. 2. quod verbum intellectus in sua ratione duo includit : scilicet quod sit intellectum , & quod sit ab alio expressum . In eo quod est intellectum , non petit realiter procedere , nisi in iis naturis , in quibus non est idem intellectus , intellectum , & intelligere ; sed solum importat processum rationis ,

sicut & hoc nomen intellectum . In eo autem quod est expressum, seu formatum , exigit realiter ab alio procedere. Primo modo non habet propriam, & adæquatam rationem verbi , sed communem : secundo autem modo habet adæquatam verbi rationem.

88 Dico igitur quod per omnem intellectionem procedit verbum sive per modum operationis, & secundum processum rationis ; sive per modum rei operatæ, & processu reali . Si enim sit intellectio in ratione actualis notitiæ ab alio expressæ procedit aliquid processu reali , si autem per modum intellectionis tantum tunc procedit processu rationis , & hoc accidit quod tunc unius principium intellectivum seu intellectus, intelligere , & res intellecta sunt idem . Unde existimo in omni intellectione humana , qua connaturaliter intelligitur , produci semper verbum in ratione expressi , & formati . Sumitur ex D. Thoma q. 4. de verit. a. 2. ad 5. ubi ait : *Dicendum quod in nobis dicere non solum significat intelligere , sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem , nec aliter possumus intelligere , nisi hujusmodi conceptionem exprimendo , & ideo omne intelligere in nobis propriè loquendo est dicere . Sed Deus potest intelligere sine hoc quod aliquid ex ipso procedat secundum rem ; quia in eo idem est intellectus , & intellectum , & intelligere, quod in nobis non accidit . Et ideo non omne intelligere in Deo propriè loquendo dicitur dicere .*

89 Et hoc modo , ni fallor , intelligendum est id quod dicit S. D. nimirum , quod quicunque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit procedit aliquid intra ipsum &c. Quia solum intendebat hic S. D. probare quod in Divinis detur processio ; & arguit sic : omnis processio fit secundum aliquam actionem : ergo sicut per actionem quæ tendit ad exteriorem materiam , procedit aliquid ad extra , ita secundum actionem quæ manet in ipso agente attenditur processio quædam ad intra : sed intelligere est propria actio ipsius intellectus maneris in ipso : ergo secundum hanc actionem procedit aliquid ad intra : sed quod est perfectissimum Deo attribuendum est : ergo cum sic procedere sit perfectissimum , ut+

ut pote omni naturæ intellectuali , & superiori conueniens , cuius actio scilicet intelligere est perfectior vi-
ta gradus , processio quæ ponitur in Divinis debet at-
tendi secundum emanationem intelligibilem , & non
prout procedit effectus à causa , vel creatura à Deo .
Itaque hæc propositio universaliter verificatur , quicum-
que intelligit , ex hoc ipso quod intelligit , procedit
aliquid intra ipsum : sed non semper procedit aliquid
per modum expressi , nisi quatenus sumitur intelligere
sub formalissima ratione actionis , & expressionis , seu
notitiae actualis procedentis ab intelligenti . Quod equi-
dēm in Deo reperiri necesse est , & non solum intelligere
ut reportat meram habitudinem ad rem intellec-
tam . Quia sic intelligere est maxima perfectio intel-
ligentis , & proveniens ex fœcunditate : ergo potissimum
Deo competere debet : ergo non solum debet intra
Deum procedere aliquid ut intellectum ab intelligenti ,
& secundum processum rationis , sed ut à dicente ,
& hoc est verbum personaliter . Vide D. Thom. lo-
cis cit.

90 Resp. ad rationem pro prima sententia adduc-
tam , quod intellectio sub praecisa ratione intellectio-
nis est operatio grammaticalis , & sub hac ratione
procedit aliquid ab ea , non quidem per modum expres-
si , & formati , sed per modum intellecti ; ut autem est
dictio , est actio formaliter & producit aliquid per mo-
dum formati , & expressi .

91 Ad primam rationem pro secunda sententia ad-
duciam dico , quod in visione beata procedit verbum ,
non quidem per modum formati , & expressi , sed per
modum intellecti : quia simpliciter , & in esse intelli-
gibili idem est hoc ipsum , quod intelligit , seu princi-
pium intelligendi , & intellectum , seu quidditas objec-
ti : nimurum essentia divina unita intellectui Beati: quæ
est principium intelligendi , & objectum intellectu
secundum se , & prout sic est proportionatum in ratio-
ne intellecti ; & procedit ad intra ipsum intellectum
Beati ; non autem per modum expressi , & termini in-
trinsici formalis , & realiter egredientis formatur ver-
bum repræsentans essentiam divinam ; quia esset infe-
rio-

rioris ordinis, & nunquam intuitivè posset Deum in-
actu secundo repræsentare, & exprimere.

92 Ad 2. rationem pro eadem secunda sententia ad-
ductam quidam probabiliter censem Angelum in sui-
met cognitione non formare verbum: quia substantia
Angeli per seipsum est principium intellectionis, nec
requirit ad hoc speciem impressam distinctam à se: er-
go neque expressam, cum par sit utrinque ratio, non
enim minoris actualitatis, & immaterialitatis est una,
quam altera. Deinde quia ut aliqua res absque specie
impressa, vel expressa cognoscatur ab intellectu, suffi-
cit quod uniatur cum illo in esse intelligibili, quia hoc
pacto ipse intellectus fit omnia: sed substantia Angeli
per identitatem in esse intelligibili unitur cum illo per
modum speciei antecedenter ad operationem, & ipsa
operatione unitur in actu secundo: quia ipse Angelus
est omnino immaterialis, & præsens, & ex immate-
rialitate provenit intelligibilitas, & actu intelligi: er-
go Angelus in actu secundo terminat operationem, qua
seipsum cognoscit.

94 Oppositorum sentiunt communiter Thomistæ, &
alii non pauci, ut videre est apud M. Martinez de Pra-
do lib. 3. q. 19. §. 3. n. 24. sumiturque ex D. Th. 4. cont.
gent. c. 11. ubi de Angelis sc̄ cognoscentibus verba fa-
ciens ait: *Licet intentio intellecta sit eis omnino intrin-
seca, non tamen intentio intellecta est eorum substantia,
quia non est in eis idem intelligere, & esse.* Ratio est:
quia verbum, ut diximus, exigitur ut objectum in ra-
tione termini intrinseci intellectionis cum potentia in-
tellectiva intime uniatur: sed substantia Angeli, nec
per seipsum, nec ratione intellectionis est terminus in-
trinsecus ipsius intellectionis: ergo ad hoc requiritur
verbum productum ab operatione Angeli, quo intime
substantia Angeli uniatur suo intellectui in ratione ter-
mini actualis intrinseci ipsius intellectionis. Minor quo-
ad primam partem evidenter patet: quia conservata ip-
sius Angelis substantia suum Dens posset concursum sus-
pendere, ne Angelus se intelligeret, & tunc manente
substantia non exerceret munus termini intrinseci in-
tellectionis: ergo hoc munus aliquid distinctum est ab

ipsa substantia. Quoad 2. vero partem prob. quia operatio Angeli respicit substantiam propriam ut terminum intrinsecum in esse entis, & extrinsecum in esse intentionali: nisi enim de ipso formet verbum intentionale operationi intrinsecum, quo in facto esse intentionaliter cum illo uniatur, haec operatio in esse intentionali non est magis intima objecto reali, quam sint sensus externi suis objectis, cum vident proprium sensibile corporeum non formando verbum de illo: patet autem quod Angelus altiori modo feratur in quodlibet objectum, nimirum spiritualiter, quam ipsi sensus. Et haec opinio procul dubio est D. Th. nam ratio quam adducit q. 4. de verit. a. 2. ad 5. supra adducta id de omni creatura convincit: cum non sit in ea idem intellectum, & intelligere.

24 Ad rationes contrariorum supereft ut faciamus satis. Ad 1. neg. maj. quia species impressa est forma per modum actus primi, quod forma immaterialis ex seipso habet etiam creatam: quia cum hoc stat quod sit potentia ad actum secundum, ac subinde deficiens a primo intelligenti, vel omnis intelligibilitatis principio, quod ex se est in actu secundo, & purissimo in omni linea. At vero species expressa est terminus actus secundi vitalis, & ideo nulla substantiae creatae competere potest: quia qualibet illa sit per seipsum non est in actu ultimo intelligibilitatis, alias esset actus purus. Unde per seipsum nequit esse verbum, seu species expressa sui ipsius. Resp. ad 2. quod ad rationem verbis non sufficit qualibet unio, sed per modum termini expressi, & formati, seu medii in quo relucet objectum: quod secundum se non est actu secundo intelligibile, seu intellectum, ut colligitur ex S. D. i. cont. gent. c. 53. quod non potest substantiae Angeli competere. Videtur. 1. in 1. p. q. 12. a. 12. cap. 6.

620

QUÆSTIO XX.

DE IPSO INTELLIGIBILI, seu objecto intellectus.

Postquam egimus de potentia intellectiva, & speciebus ipsis, quibus constituitur formaliter intelligens: superest ut de objecto, seu intelligibili differamus, quod est potentiae intellectivæ terminus.

ARTICULUS PRIMUS

Quodnam sit objectum adæquatum intellectus possibilis, & quo pacto Deus clarè visus intra illud contineatur.

I Ariè, sed verè S.D. de objecto ipsius intellectus locutus fuit. Nam i. p. q. 5. a. 2. c. asserit quod ens est primum objectum intellectus: & sic est primum intelligibile, sicut sonus est primum audibile. Idem habet q. 79. a. 7. dicens: *Intellectus respicit suum objectum secundum communem rationem entis*, eò quod intellectus possibilis est quo est fieri omnia. Unde secundum nullam differentiam entium diversificatur differentia intellectus possibilis. At verò ibid. q. 54. a. 2. objectum ipsum assignat verum dicens: *Intellectus objectum est verum*. E contra q. 17. a. 3. ad 1. asserit quod quidditas rei est proprium objectum intellectus. Imo q. 12. a. 4. & q. 84. a. 6. c. quidditatem materiale pro objecto intellectus constituit: *Intellectus humani*, inquit, *proprium objectum est quidditas, sive natura in materia corporali existens*. Imo in 3. d. 31. q. 2. a. 4. ad 5. docet quod species intellecta est per se objectum intellectus. Imo i. p. q. a. 1. c. affirmat quod universale est proprium objectum intellectus i. cont. gent. c. 53. Imo Deus est primum objectum intellectus, ut habeatur i. 2. q. 3. a. 5. 2. Imo substantia est objectum intellectus i. ut

asseritur 3. p. q. 75. a. 5. 2. Et denique aliquando videatur docere quod ipsum phantasma sit objectum intellectus possibilis, ut in 2. d. 8. a. 5. c.

2 Pro intelligentia omnium istorum nota ex eodem, S. D. in 1. d. 35. a. 2. c. objectum intellectus dici quodlibet intellectum, sicut objectum visus visum. Unde quemadmodum dupliciter dicitur aliquid visum; nimirum primum, quod est ipsa species rei visibilis in pupilla existens, ceu medium quo ipsum visibile videtur, & ipsius visionis principium, videntisque perfectio: & visum secundum, videlicet ipsa res visa extra oculum existens: haud secus intellectum dicitur dupliciter; scilicet primum, & secundum. Intellectum primum est ipsa rei similitudo in intellectu existens: intellectum autem secundum est ipsa res, quae per similitudinem illam intelligitur, ad quam ceu finem omnis actio intellectus destinatur. Et hoc absolute non est perfectio intelligentis, sed ut intentionaliter est ei praesens in specie. Non enim lapis, qui est extra animam, est perfectio intellectus; sed similitudo lapidis, quae est in anima. Itaque species intelligibilis, verbum mentis, & phantasma dicuntur esse objectum intellectus, per modum intellecti primi. Diversimode tamen: nam verbum est intellectum primo ut quod; species autem intelligibilis est intellectum quo proxime; phantasma autem remote. Sed neutrum habet propriè, & simpliciter rationem objecti: quia non habet rationem finis, sed principii, vel termini intrinseci ipsius intellectus, quibus res ipsa intelligitur, quae est intellectus finis, & objectum ad quod terminatur ultimo: unde de isto objecto est sermo impræsentiarum, & non de primo intellecto.

3 Loquendo autem de re ipsa quae intelligitur, seu intellectu secundo à S. D. ens, verum, quidditas rei materialis, quodquid est, substantia, Deus, dicuntur esse objectum intellectus. Cujus rei gratia notandum est intellectum dupliciter considerari posse: primo absolute & secundum communem illius rationem, seu esse illimitatum, qua ratione est id quo potest esse omnia intelligibiliter: quia secundum se non habet formam aliquam determinatam, seu esse limitata, sed illimitata.

tum, & immateriale. Secundo ut est specialis quædam natura, determinata ad certam naturam habentem specialem modum operandi intellectualiter: & hoc modo est intellectus in Deo, Angelis, & hominibus: in Deo, quidem per essentiam, ceu in primo intelligente; in Angelis autem, & hominibus ut participatus à primo, unde in istis est cum quadam deficientia, & limitatione.

4 Cum autem natura & species sit à forma, qua est principium agendi, ideo species intellectus humani, & species intellectus Angelorum, ut sunt quidam speciales intellectus ex propria forma, qua nati sunt intelligere, & operari, desumendæ sunt. Principium autem intelligendi, & forma intelligibilis, seu qua constituitur intellectus intelligens est ipsa species intelligibilis. Unde per ordinem ad istam desumenda est natura, & species intellectus humani, & Angelici. Differunt ergo, quia intellectus Angelorum secundum suam naturam non est natus accipere species à phantasmatibus rerum, sed per species inditas, vel concreatas intelligit; humanus autem intellectus, prout talis, species illas dependenter à rerum phantasmatibus accipit. Unde cuilibet istorum competit pròprium objectum, non absolu-
tè ut intellectus est, sed ut quidam specialis intellectus est; & hoc vocatur objectum motivum, & specificativum: motivum, quia reducit potentiam ad actum, & est ei principium formale intelligendi tali modo; specificativum autem, quia per ipsum specialem intelligendi naturam sortitur. Quod autem tali modo, vel tali intellectus humanus, & Angelicus nati sunt intelligere ex propriis formis substantialibus habent. Quia enim forma humana naturaliter est forma corporis, ideo naturalis modus intelligendi competens intellectui ipsius est per species acceptas à rebus corporeis: quia autem forma Angelorum est omnino absoluta à corpore, ideo per hujusmodi species non est natus intelligere Angelicus intellectus, sed per species inditas, vel concreatas, & omnino immateriales.

5 Unde objectum pròprium, & specificativum intellectus humani pro statu quo est in corpore, qui est naturalis statu solum formæ ipsius, seu animæ ratio-

nalis, est quidditas rei materialis: ut fusè explicuimus, lib. i. Phys. objectum autem intellectus Angeli est ipsa-
met illius essentia: sicut intellectus divini objectum, proprium est ipsamet illius natura divina: ut habetur i. p. q. 14. a. 2. & s. c. & i. cont. gent. c. 48. quia se-
habet ut forma per quam actu est intelligens, ac subin-
de ut præbens speciem intellectui, non præcisè, sed in
esse operativo, tali vel tali modo. Sed quia potentia
intellectiva creata non solum est potentia passiva nata
perfici ab objecto proprio, & forma specifica; sed etiam
est virtus activa realiter agens: non modo respicit ali-
quid per modum principii formalis activi, & specifica-
tivi, sed etiam per modum termini, & finis: quia pro-
prium est potentiae activæ sic respicere suum objectum.
Unde præter objectum in ratione motivi ponitur etiam
in ratione termini, & finis ipsius potentiae, seu virtutis
ejus activæ quasi efficienter sumptæ. Et quia amplitudo
virtutis activæ est per commensurationem ad terminum
illius, ideo hoc objectum propriè dicitur adæquatum,
quasi adæquans virtutem intellectivam, & fluxum ejus
finiens. Itaque esse terminativum est ratio formalis objec-
ti ipsius potentiae, ut potentia est, seu ut nominat ip-
sius operationis principium. Ese vero motivum est ra-
rio formalis objecti potentiae, quæ agit per appre-
hensionem objecti.

6 Objectum autem hujusmodi, vel perfectè, & comple-
tè terminat fluxum potentiae, & amplitudinem virtu-
tis ejus finit: & hoc pacto dicitur simpliciter adæqua-
tum; vel solum incompletè, & hoc modo dicitur ina-
dæquatum, & partiale. Dicitur autem completè termi-
nare: quia nihil extra latitudinem illius objecti conti-
netur, ad quod virtus potentiae se valeat extendere; sed
omnia sub se comprehendit, ad quæ potest diffundi ip-
sius potentiae virtus. Triplex est objectum adæquatum,
nimirum attributionis, intentionis, & extensionis, ut
dirimus in Logica.

7 Prima conc. objectum intellectus adæquatum attributionis & substantia; adæquatum intentionis est essentia
rei, seu quodquid est. Prima pars prob. objectum
adæquatum attributionis est quod habet in se primò im-
bibit-

bibitam ipsius objecti rationem, quam cætera per attributionem ad ipsum participant: sed substantia prima & principaliter est ens, & cætera non nisi per attributionem ad ipsum ut subjectum, & causam, cum sint entis entia, ipsa autem sit per se ens: ergo est objectum adæquatum attributionis ipsius intellectus. Secunda pars etiam prob. intellectus dicitur quasi intus legens, quia non quiescit donec rei intima, ac essentialia prædicta attigerit, quorum intervenient perfecta rei cognitio habetur, & propriæ passiones de subjecto demonstrantur: ergo quodquid est, seu rei quidditas, & essentia est objectum adæquatum intentionis ipsius intellectus. Sumitur ex D. Thom. 2.2. q. 8. ar. 1. c. & verit. q. 1. ar. 12. c.

8 Secunda concl. objectum adæquatum extensionis intellectus est ipsum ens universalissimum, prout comprehendit tam substantiam quam accidens; tam creaturem, quam Deum ut cognoscibilem, non modo quoad an est, & ex effectibus, sed etiam quod ad quid est, seu quidditative, & clarè, seu intuitivè. Ita D. Thom. 1. p. q. 79. a. 3. ubi ait: *Intellectus respicit suum objectum secundum communem rationem entis, eò quod intellectus possibilis est quo est omnia fieri. Unde secundum nullam differentiam diversificatur intellectus possibilis.* Ipsum communiter sequuntur DD. Prob. objectum adæquatum extensionis est quod ambit omnia, ad quæ se potest extendere operando potentia: sed ens in tota sua latitudine ambit, & complectitur omnia, quæ quoquo modo ab intellectu attingi possunt: ergo est objectum adæquatum. Min. patet: quia nihil est cognoscibile nisi in quantum ens est.

9 Tota difficultas est in explicando quo pacto Deus in cognoscibilis quidditative, & clarè sub latitudine objecti intellectus contineri valeat. Nam Deus clarè visus, & quidditative cognitus ordinari naturæ excedit: ergo etiam excedit objectum connaturale ipsius intellectus, & proprium illius specificativum: sed implicat aliquam potentiam excedere suum proprium objectum, ac specificativum: v. g. potentia vivæ non potest elevari ad audiendum sonum, quia est extra sphaeram propriæ objec-

in specificativi : ergo non videtur posse Deum clare visum contineri intra latitudinem objecti intellectus creati. Deinde, quia quilibet potentia naturaliter in suum objectum inclinatur : in intellectu autem nulla inclinatio esse potest ad Deum clare visum ; alias cum appetitus naturalis non sit frustra , deberet dari aliquod agens naturale per quod reduci ad actum posset ; ac subinde naturaliter Deum intuitivè attingere ac cognoscere valeret. Tandem quia objectum debet esse unius rationis simpliciter , alias potentiae unitatem , ac specificationem tribuere non posset : Deus autem clare visus , & creatum ens sequunt esse unius rationis simpliciter .

io Hæc difficultas reipn magna , in varios explicandi modos optimos quoque Theologos adduxit , quos refert M. Martinez hic lib. 3. q. 22. §. 4. Quibus omissis ad D. Thomæ explicationem propero , qui de hac re ita loquitur 3. cont. gent. c. 54. *Divina substantia non sic est extra facultatem intellectus creati , quasi aliquid omnino extraneum ab ipso : sicut est sonus à visu , vel substantia immaterialis à sensu (nam ipsa substantia divina est primum intelligibile , & totius intellectualis cognitionis principium) sed est extra facultatem intellectus creati sicut excedens virtutem ejus ; sicut excellencia sensibilia sunt extra facultatem sensuum . Unde Philosophus 2. Metaphys. dicit quòd intellectus noster se habet ad manifestissima nature sicut oculus noctua ad lucem Solis .*

ii Nota pro intelligentia quòd naturalis potentia , ut diximus supra , nominat operationis principiū radicatum in substantialibus rei principius , quo aliquis est potens ad faciendum , vel patiendum ea , quæ sunt secundum naturam , vel naturæ consentanea . Et quandoquidem causatur ex victoria formæ super materiam , naturalis potentia vocatur ; naturalis quidem , quia in naturalibus principiis radicatur : potentia autem , quia est vigor , & valor formæ super materiam ad agendum ea , quæ sunt secundum naturam sine impedimentoo . E contra vero naturalis impotentia causatur ex victoria materiae , & privationis super formam , quam contraria impedit dispositio ; ita ut materiam perfectè compre-

hendere & ad se terminare nequeat: & ideo vigor diminuitur ad actiones naturales, facileque patitur, & a contrariis vincitur. Dicitur ergo naturalis impotencia, non quia hujus defectus principium sit: sed quia ipsa contrariis impeditur dispositionibus, ne ad talem vi-gorem pervenire possit. Vnde naturalis impotentia non est simpliciter activa, & pollens vigore, facilique potestate ad operandum circa propriam materiam, circa quam operari debet: sed potius vincitur & patitur ab ea, habetque quodammodo rationem passivi respectu illius; cuius contrarium in naturali potentia accidit quæ tali virtute seu vigore pollet, qui compleat potentiam in ratione potentiae naturalis simpliciter. Nam ex S. D. 1. 2. quæst. 55. art. 2. & 3. virtus nominat perfectionem potentiae, quia de ratione virtutis est quod ponat potentiam in ultimo quoad actum, quoad potentiam, & quoad modum agendi.

12 Dupliciter ergo objectum potentiam aliquam excedere potest: primo in ratione potentiae absolute, & ut nominat operationis principium fundatum in naturalibus principiis rei: alio modo potest eam excedere in ratione virtutis completæ, & potentiae vigorosæ, seu excedere vi-gorem naturalem, & virtutem potentiae. Primo modo si contingat excessus, nullatenus remanet habitudo potentiae ad operationem circa talem objectum exceedens. Sed secundo modo non tollitur penitus habitudo potentiae ad operationem; sed tollitur virtus & dispositio per quam ex propriis, & naturalibus in talem operationem actu prodire possit, v. g. potentia hominis absolute potest ad ferendum ducentas libras ponderis; puer nedum decem ferre potest, remanet potentia in eo, non quidem in ratione virtutis, & vigoris naturalis, sed potentiae, indispositæ tamen. Primus excessus totaliter aufert potentiam, seu negat eam: secundus excessus ponit potentiam; & privat vi-gorem, seu complementum virtutis, quia ponit eam in ratione potentiae naturaliter indispositæ.

13 Igitur S. D. valde profunde attingens recessum excessus, quo primum intelligibile excedat intellectum quemlibet creatum, dicit quod est extra facultatem intel-

intelle^tus creati sicut excedens virtutem eius. Quod hoc pacto explicari potest: intellectus in ratione potentiae intellectivae, & in linea intelligibilitatis est universalis potentia non coarctata in aliquo genere, seu ordine entis creati, scilicet substantiae, vel accidentis cum species, & forma intentionalis, per quam agit, nullatenus coarctata sit, ut diximus supra: respicit ergo omne intelligibile sicut propriam materiam. Contingit autem potentiam naturalem non semper, & universaliter comprehendere materiam, ac terminare perfecte, seu habere victoriam perfectam super illam: ergo & in intellectu bene stat quod in aliquod intelligibile, veluti circa propriam materiam versetur sine comprehensione illius, seu victoria, & plena terminatio; sed potius cum victoria, & excessu materiae super illam: nec totaliter auferetur potentia per illum excessum, sed virtus, & vigor potentiae: unde simplificiter non remanet in ratione potentiae, prout isti dicit potentiam vigorosam; sed remanet in ratione potentiae indispositae, seu naturalis impotentiae. Nec tamen haec indispositio est omnino ab extrinseco & ratione status, sed quodammodo ab intrinseco: quia quilibet intellectus creatus intrinsecè est deficiens respectu primi intelligibilis cum sit actus purus. Vnde per aliquod principium naturale activum hic defectus tolli nequit, sed virtute principij supernaturalis elevantis virtutem ad ultimum complementum, quod suscipere potest, ut prium intelligibile attingat, quod est totius intelligibilitatis fons, & principium.

14 Hujus rei gratia adverte quod indispositio potentiae duplíciter contingere potest: vel ratione status, ut in pueris potentia motiva respectu potentiae virorum, & hoc pacto naturalis impotentia solum extrinsecè, & accidentaliter differt à naturali potentia, unde ex principiis propriis naturalibus potest attingere ad complementum, & virtutem potentiae. Vel est indispositio ab intrinseco ipsius potentiae, vel subjecti illius: & tunc nequit ad complementum ex propriis principiis intrinsecis pervenire; sed ad hoc indiget ut juvetur, & elevetur ab agente superiori, & extrinseco, cui eminenter

ineft virtus tollendi indispositionem, & perficiendi potentiam: ut patet in claudio. Haud secùs naturalis illa impotentia, seu potentia intellectiva ab intrinseco indisposita ex propriis principiis nequit se ad complementum potentiae, seu vigoris reducere ad primum intelligibile attingendum, sed ad hoc ipsa indiget primo intelligentem, in quo est totius cognitionis intelligibilis principium, & virtus vincendi illam indispositionem, elevandique potentiam ad tale complementum, vt respectu primi intelligibilis sit vigorosa.

15 Hinc deducitur quod intra proprium objectum, motivum & specificativum connaturale ipsius intellectus creati Deus ipse non continetur: quia per ipsum, objectum specificativum, cœu propriam & specificam formam constituitur intellectus completem intelligens, & per modum virtutis vigorosæ ad actum intelligendi: unde si Deus clarè visus contineretur intra latitudinem objecti specificativi connaturalis ipsius intellectus, naturaliter posset complementum virtutis accipere ad Deum intuitivè intelligendum, quemadmodum naturaliter efficitur vigorosus ad cognoscendum eum quoad an est. Quia per propriam formam, seu speciem rei intellectus non accipit esse potentiae, sed virtutem completam ad agendum; seu ultimum potentiae. Continetur tamen intra objectum specificativum excedens, quia sic est intra facultatem & virtutem ejus, ut docet D. Thom. 3. cont. gent. cap. 54. vel continetur ut principium totius generis intelligibilitatis. Vide quæ diximus toin. i. in i. p. q. 12. a. 1. cap. 5. Continetur etiam intra objectum terminativum intellectus creati, quoniam iste omne intelligibile respicit ut terminum suæ capacitatris.

16 Resp. itaque ad arg. dist. antec. Deus clarè visus excedit ordinem naturæ per modum extranei, & totaliter auferentis capacitatem, & habitudinem potentiarum ad ipsum, nego: per modum excellentis intelligibilis relinquens potentiam intrinsecè indi postam, concedo. Et dist. conseq. non continetur super proprium objectum specificativum connaturali ipsius, & quatenus hic intellectus est, velut est principium quo proprium complens

plens ipsam potentiam in ratione talis potentiae , per modum virtutis completae intra propriam speciem , concedo conseq. intra objectum specificativum excedens vel terminans fluxum ipsius potentiae intellectivae absolutae , nego . Duplicem enim rationem habet objectum motivum ; & determinare potentiam tollendo passivitatem ejus , reducendoque ad actum : & rationem termini ; commune enim est omni objecto quod sit terminus . Secundum primam constituitur in ratione motivi , & specificativi connaturalis tali modo ; scilicet per modum formae intrinsecè perficientis connaturaliter : in ratione autem objecti , & finis terminat fluxum virtutis potentiae , & amplitudinis illius . Et hoc pacto non specificat potentiam in ratione talis potentiae intellectivae humanae , vel Angelicae , licet specificet in ratione potentiae intellectivae . Quia secundum genus suum est relativa ; unde à termino specificatur .

17 Cùm autem instatur quod nulla potentia excedere potest suum proprium objectum specificativum dist. sumptum in ratione termini adæquati virtutis ejus , concedo : sumptum in ratione formæ determinantis & limitantis virtutem potentiae secundum se ad talem modum agendi intra sphæram illius , nego . Proprium autem & connaturale intellectus objectum se habet in ratione limitantis virtutem intellectivam humanam ad tales modum intelligendi . Vnde potest potentia intellectiva hoc specificativum connaturale excedere : non autem specificativum adæquatum finiens adæquatè fluxum ejus : quo pacto comprehendit omne intelligibile . Quod competit ei ex eo quod est universalis potentia , & non coarctata ad speciale genus : sicut etiam potentia materiae excedit specificativum proprium , quo ponitur in tali specie v. g. humana ; licet non excedat formam in ratione formæ , & actus adæquans habitusinem ejus . Et sic est dispar ratio de visu , nam visus est particularis potentia , & coarctata etiam in ratione potentie , & virtutis , cum sit corporea , ejusque objectum motivum est adæquans totam activitatem ejus : unde elevari non potest ad audiendum . Quia excessus fundatur in privatione , seu negatione potentiae , non vero

630 Quæst. X X. De Intelligibili.
est relinquens potentiam sub ratione naturalis impoten-
tiæ , seu potentiaæ indispositæ .

18 Resp. ad 2. quod cùm omnis appetitus naturalis sequatur aliquam formam, absolute est appetitus naturalis & efficax si consequatur formam completam in ratione virtutis, & potentiaæ vigorosæ : & tunc naturaliter potest consequi illud ad quod inclinatur . Si autem sequatur formam non habentem ultimum complementum virtutis , sed indispositam, erit quidem naturalis inchoatè ; & radicaliter, quia consequitur rei naturalia principia , sed tamen non erit absolute , & simpliciter naturalis , prout naturale significat principium completum operationum naturalium , sed erit naturalis, id est, secundum naturam , seu naturæ consentaneus : & hoc modo dico appetitum ad beatitudinem, seu Deum clare visum esse naturalem , quia in natura intellectiva radicatur habitudo ad primum intelligens , quod est omnis intellectio principium ; licet non fundetur in potentia intellectiva creata prout habet complementum virtutis propriae . Unde non sequitur hominem, vel Angelum posse naturaliter consequi beatitudinem vigore naturali , sed esse secundum naturam illius quod perficiatur à primo intelligenti , ad hoc ut pertingat ad cognoscendum quodquid est ipsius : quia nullo modo posset ad ipsum pervenire , nisi esset quædam inchoatio in illo . Quam voco appetitum naturalem inchoatum . Sicut nulla virtute , etiam divina , potest visus attingere ad percipiendam formam soni , quia nulla est inchoatio talis formæ in potentia visiva , sed excessus fundatur in privatione potentiaæ . Sed de his fusius in tractatu de visione Dei diximus .

19 Resp. ad 3. quod objectum debet esse unum unitate soli iudicis , sed non unitate univocationis , seu analogiaæ formaliter : quia hæc unitas est unitas communis , & attributionis ad multa, ante quam jam natura secundum se est cognoscibilis , & potest actum intelligendi terminare . Et hoc modo intelligibile est unum , ut diximus supra , & diversificatur , non in ratione intelligibili ; sed penes ea à quibus participatur , quæ habent diversum esse .

A R.

ARTICULUS SECUNDUS

Utrum singulare materiale pro hoc statu directè à nobis cognosci possit.

20 **D**urandus in 1. dist. 3. p. 2. q. 5. existimat à phantasmatibus intellectum immediate moveri; ac subinde primò, & per se directè cognoscere singularia. Idem docent Gregorius Ariminensis ibid. d. 2. q. 3. a. 2. Scotus in 4. dist. 45. q. 6. a. 2. P. Suarez lib. 4. de anim. c. 3. & alii quamplures apud M. Martinez hic lib. 3. q. 28. §. 1. Attamen intellectum nostrum pro hoc statu non cognoscere singularia materialia directè, sed per quandam reflexionem docent communiter Thomistæ, & alii non pauci apud dictum M. Martinez ibid. n. 2. Nec tamen omnes in modo id explicandi convenientiunt. Quidam enim existimant intellectum non cognoscere singularia materialia exercitè sumpta, sed dependenter à cogitativa potentia. Caietanus 1. p. q. 86. a. 1. negat absolutè in intellectu nostro posse effici conceptum proprium rei singularis, sed ipsum solum arguitivè singularia cognoscere. PP. Complut. hic disp. 18. q. 6. aiunt species primò causatas ab intellectu agente, nulla alia objecti repræsentati cognitione præcedente, nullatenus repræsentare directè ipsum singulare: species tamen relietas ex præcedenti intellectione facta per aliam speciem immediate repræsentantem atque objectum posse formaliter, & directè esse repræsentativas singularium. Tandem alii arbitrantur nullam prorsus dari speciem intelligibilem repræsentantem directè ipsum singulare materiale, attamen intellectum cognoscere ipsum proprio conceptu, quamvis reflexè. Ita Ferrara 3. de anim. q. 13. & 1. cont. gent. c. 65. M. à S. Thoma hic q. 10. a. 4. & alii quamplures, quos citat M. Martinez loc. cit. n. 5.

21 Nota quod singulare dupliciter cognosci possit. Primò in actu signato, & ut modus ipse singularitas est quidditas quædam. Et in hoc sensu non agita-

tur hæc difficultas : manifestum est enim hoc pacto cognosci posse , quemadmodum & quamlibet aliam quidditatem . Secundo in actu exercito , & prout rem ipsam materialiter afficit , ac individuat . Et de hoc versatur difficultas an directè ab intellectu percipi , & attingi valeat ; ita ut intellectus cognitio in ipsum certum objectum directè feratur .

22 Concl. intellectus pro hoc statu intelligit eundem universalem naturam in singularibus existentem , non tamē directè attingit ipsa singularia , sed indirectè , & ut terminum relictum , seu à quo abstrahit . Ita expressè D. Th. i. p. q. 14. a. 4. c. ubi ait : *Per intellectum connaturale nobis est cognoscere naturas , quæ quidem non habent esse nisi in materia individuali , non tamen secundum quod sunt in materia individuali , sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus.* Prob. instantum intellectus attingit , & cognoscit aliquod objectum , inquantum informatur specie propria illius objecti , quod est cognitionis principium , quo ipse intellectus fit intelligens in actu , & res intellecta : sed species nequit esse intelligibilis , & informare ipsum intellectum in ordine ad actum intelligendi , qui est spiritualis , & immaterialis , nisi ipsa sit immaterialis , & subinde abstrahens à conditionibus materialibus , & individuantibus naturam : ergo non potest directè representare ipsum singulare exercitum , alias non abstraheret ab illo , seu à conditionibus sensibilibus , & individuantibus . Minor prob. tum quia species est principium formale intelligendi , & specificativum intellectus ; per id enim intellectio lapidis differt specie ab intellectione hominis , quia est diversum principium formale , scilicet diversa forma intelligibilis utriusque : tum etiam quia unumquodque recipitur ad modum recipientis : ergo cum intellectus possibilis sit potentia spiritualis , & nata perfici immaterialiter secundum operationem sibi propriam , necesse est , ut species intelligibilis perficiens illam , immaterialiter perficiat ; ac per consequens quod a materia , & conditionibus materialibus abstrahat .

23. Respondet P. Suares ex hac ratione solum posse inferi, speciem, per quam intellectus singularia cognoscit, debere esse spiritualem: cum quo stat quod repræsentare possit rem singularem; quia in specie spirituali corporalia repræsentari possunt: cum Angelus corporalia cognoscat. Contra: esto res materialis possit repræsentari in specie spirituali prout est quodammodo effectus speciei, impossibile tamen est quod materia, & corporeum, seu sensibile possit directè causare speciem immaterialem, & immaterialiter repræsentantem, esseque principium formale specificativum immaterialis operationis; quia nihil per se, & directè altra speciem suam agere potest: sed species intelligibilis in cognitione directa debet causari à rebus, & non est aliquo modo causa rerum; quia omnis nostra cognitio pro hoc statu ortum habet à sensibus: ergo impossibile est quod illa species sit spiritualis, & repræsenter directè singulare materiale: quia nequit repræsentare nisi causetur ab eo.

24. Major est D. Th. Quodlib. 7. q. 1. a. 3. ubi ait:
 „Ut singulare aliquod cognoscatur oportet quod in
 „potentia cognoscitiva sit similitudo ejus inquantum
 „particulare est. Unde ut particulare cognoscatur,
 „oportet quod in cognoscente non solum sit similitudo
 „formæ, sed aliqualiter materiæ. Similitudo autem
 „rei cognitæ dupliciter est in cognoscente. Uno mo-
 „do sicut causata à re, sicut in his, quæ cognoscun-
 „tur per speciem abstractam à rebus. Alio modo sicut
 „causa rei, ut patet in artifice; qui cognoscit artifi-
 „ciatum per illam formam, per quam ipsum facit.
 „Species autem, quæ est in sensu causata à re sensibi-
 „li, in quantum non est omnino à conditionibus ma-
 „terialibus depurata, est similitudo formæ secundum
 „quod est in materia, & ideo per eam cognoscitur
 „particulare. Sed quia secundum quod in intellectu
 „nostro recipitur species rei sensibilis, est jam omni-
 „no à materialibus conditionibus depurata, non po-
 „test intellectus noster per eam directe particulare
 „cognoscere; sed per quandam reflexionem intel-
 „lectus ad potentias sensitivas, à quibus species intel-
 „ligi-

libiles abstrahuntur. Per formam autem , quæ est
 causa rei , hoc modo cognoscitur res , secundam
 quod forma illa est causa ejus . Et quia artifex ho-
 mo per formam artis non producit materiam , sed
 materia præsupposita inducit formam artis : forma
 artis , quæ est in mente artificis , non est similitudo
 artificiati nisi quoad formam tantum ; unde per eam
 non cognoscit artificiatum in particulari , nisi for-
 mam artificiati per sensum accipiat . Artifex autem
 increatus , scil. Deus non solum producit formam ,
 sed etiam materiam . Unde rationes ideales in mente
 ipsius existentes non solum sunt efficaces ad cogni-
 tionem universalium , sed etiam ad singularia cog-
 noscenda a Deo . Sicut autem illæ rationes ideales
 effluunt in res producendas in esse suo naturali , in
 quo particulariter unumquodque subsistit in forma ,
 & materia ; ita procedunt in mentes Angelicas ut
 sint in eis principium cognoscendi res secundum to-
 tum suum esse in quo subsistunt , & sic per species
 influxas ab arte divina Angeli non solum univer-
 salia , sed etiam particularia cognoscunt , sicut &
 Deus .

25 Ex quibus ratio proposita mirum in modum
 confirmatur : species intelligibilis in intellectu huma-
 no est causata à rebus , & non est causa cognoscendi
 eas nisi quatenus similitudines earum continet , im-
 pressas intellectui ab eis : sed individuum materiale
 & sensibile directè non potest imprimere sui speciem
 immateriale prout materiale est ; quia causa qualibet
 debet esse saltem æqualis actualitatis , & nobilita-
 tis cum effectu , & non interior in ratione cause : er-
 go , ut cognoscatur natura in particulari existens , de-
 bet denudari ab eo quod materiale est , ac sensibile
 per potentiam activam immateriale , & effici immat-
 erialis , ut in intellectum agere possit : quod si denu-
 datur ; ergo jam in ratione ejus non intelliguntur di-
 rectè singularia .

26 Secunda concl. non potest dari conceptus ; seu
 verbum in intellectu puro hominis pro hoc statu di-
 rectè representans singulare materiale exercitum ; sed

solutū in intellectu sensibus immerso , & reflectente ad potentias sensitivas , quæ sibi subserviunt , procedendo ad cognitionem particularis ex aliquo principio universalis particulariter applicato mediis huiusmodi potentiarum sensitivis : v. g. per intellectum accipitur quod homo debeat constare his omnibus , carne , ossibus , figura , colore &c. secundum speciem physicam ejus : hæc enim omnia ad speciem physicam ejus pertinent , vel eam consequuntur : ex quo principio universaliter accepto reflectendo super sensitivas potentias , infert quod hic homo , qui constat his carnis in individuo , ossibus , colore albo &c. & aliis accidentibus , quæ simul collecta individuant , sit Petrus vel Paulus &c. Directè itaque accipitur per intellectum id quod universale est , sed quia accipitur ut applicata natura per potentias sensitivas ad propria individui attingitur quoque individuum , indirectè tamen , & ut finiens fluxum naturæ : sicut cum cognoscitur relativum aliquod secundum propriam naturam , & quoad quid est , attingitur etiam correlatum non quoad quid est , sed quoad an est , & ut finiens fluxum relativi ad ipsum .

27 Ratio est : quia verbum intellectus puri , seu ut in intellectu puro habens esse , est magis immateriale , quam ipsam species impressa , ut docet S. D. Opusc. 14. & est productum ab ipsa specie seu principio formalis in cognitione directa : ergo si non detur species impressa directè representans singulare , neque verbum , & proprius conceptus ; sed solum indirectè , & per intellectum immersum ipsis sensibus . Quod autem indirectè possit cognosci , & reflectendo super potentias sensitivas ex eo deducitur , quia intellectus secundum infinitum sui est continuatus sensibus , nimirum cogitativa , & memoria , & per hos sensus cæteris , in eosque species quodammodo refluunt : ergo prout sic nil oblitat quid ipsum singulare proprio conceptui attingat , indirectè tamen , & quod ad an est : sed non directè , & iub propria ratione singularitatis exerceitæ quasi quidditative . Quia hoc est proprium sensuum .

28 Objecies 1. non repugnat intellectum pro hoc statu cognoscere singulare materiale , quia singulare est :

cum

cum singularitas intellectioni non obster: datur enim in intellectu Angeli species directe representans res singulares: neque quia materiale: quia intellectus pro hoc statu non nisi res materiales attingere potest. Secundò quia intellectiva cognitio incipit, ubi sensitiva definit: ista autem in singulari definit: ergo intellectiva à singulari incipit. Eò præsertim quia sensus secundum supremam sui partem cum intellectu continuatur, & est causa superior: infimum autem supremi attingit superium insimi. Tertio quia cognoscere singularia perfectionis est: cur ergo potentia superiori, cuiusmodi est intellectiva, eorum cognitio directa denegabitur? Tandem, quia alioquin non posset intellectus pro hoc statu habere expressam, & distinctam notitiam singularis materialis, quod est absurdum.

29 Resp. ad 1. non repugnare, quia singulare materiale est præcisè, sed quia ut tale non potest pertinere ad causandam speciem immaterialem, qualis est species intellectiva, qua pro hoc statu formaliter intellectus redditur actu intelligens. Sed ad hoc indiget natura abstractione à materia singulari, & phantasmatibus, ut termino relisto, ac subinde non directe attato. Ad illud de intellectu Angeli patet ex his quæ ex S. D. adduximus supra n. 24. Ad 2. resp. quod cum intellectiva cognitio pro hoc statu ortum habeat à sensibus, intellectus ipse sensibus immixtus incipit à singularibus, tanquam à materia causa, & termino derelicto, non verò ut à proprio objecto, & cognito proprio primo. Unde non sequitur quod ipse singularia directe attingat, sed naturam universalem in singularibus existentem. Resp. ad 3. quod cognoscere singulare per speciem ab eis acceptam non est perfectio potentiae intellectivæ, sed per speciem, quæ sit principium cognoscendi, & non dependens ab eis, nisi ut à termino cognito, & non principio & causa: quo pacto ab intellectu nostro deberent cognosci si proprie, & directe cognoscerentur. Resp. ad ultimum equidem in hac vita singularium expressam cognitionem haberi, non tamen directe, sed per reflexionem ad potentias sensitivas, ut explicatum est supra.

ARTICULUS TERTIUS

Utrum possit intellectus plura per modum plurium intelligere.

50 **A**ffirmant Scotus in i. d. 3. q. 6. ejusque Sectares: P. Suares lib. 3. de anim. c. 7. aliquie non pauci. Tum quia simul videmus albedinem, & nigredinem, diversosque percipimus sonos, disparatè, & non comparando unum alteri: ergo multò magis intellectus, cùm sit universalior potentia, plura per modum plurium percipere valebit. Ant. prob. quia attentio potentiae est divisibilis, saltem quoad virtutem, & nil prohibet quin secundum aliquid ipsius feratur in unum objectum, & secundum aliquid in alterum. Tum etiam, quia unum alteri comparando potest intellectus plura attingere: quod fieri nequit nisi extrema, ut plura, & diversa attingantur. Nec sufficit unitas ordinis, ut per modum unius attingi dicantur: quia hoc non esset cognoscere plura simul, sed successivè: ut enim affirmat D. Th. i. p. q. 12. a. 10. si partes ejusdem totius diversis, ac propriis speciebus intelligentur, non cognoscuntur simul; cum tamen cognoscantur ut ordinatè se habentes, quia ut partes componentes.

31 Deinde: quia plures species intentionales simul in aëre, cœu medio existunt, & per ipsum ad sensus transirent; plures etiam species simul in memoria intellectiva reservantur: ergo non repugnat intellectum informari etiam pluribus speciebus actu, & simul: quia sint formæ diversi generis. Nec sufficit, si dixeris informari tunc eis in fieri, & non in actu completo, & perfecto: quia formam informare subjectum, & esse in actu completo idem sonant. Tandem quia in propositione negativa v. g. *Homo non est lapis*, sunt plures species, scilicet hominis, & lapidis, quæ omnino diversæ sunt & nullatenus uniuntur, sed potius ab invicem dividuntur. Denique simul in intellectu possunt reperi-ri species diversi ordinis, scilicet una naturalis, & supernaturalis altera: ergo etiam duæ species naturales,

ejus-

ejusdemque ordinis simul actu ipsum intellectum poterunt informare.

32 Oppositam sententiam amplectuntur L. Tho. 1.
p. q. 85. a. 4. & 1. cont. genit. c. 55. & communiter ejus Discipuli. Dico igitur quod intellectus ex consequenti, actu plura per modum plurium intelligere potest; non tamen primo, seu per modum primi intellecti. Ratio sumitur ex his, quæ diximus tom. 2. Log. q. 12. a 2. §.
2. quia nimirum implicat quod operatio sit una, & indi-
visibilis nisi objectum, & principium operationis sit
unum: quia ex principio, & objecto habet operatio
suam unitatem; unde calefactio, & frigefactio specie
distinguuntur, quia procedunt a diversis principiis for-
malibus, & tendunt ad diversa objecta: principium
enim calefactionis est calor, objectumque ejus est cali-
dum; frigefactionis autem principium formale est fri-
gus, & ejus objectum, seu terminus est frigidum: sed
intelligibile primum se habet per modum principii for-
malis ipsius intellectionis, & objecti: ergo impossibile
est quod simul, & unico actu plura intelligibilia per
modum plurium intelligentur.

33 Conf. ex S. D. Quodlib. 7. q. 1. art. 2. intellectus secundum actum est opinio, & perfectè res intellec-
ta inquantum complete informatur specie rei intellec-
tae, dum eam actu intelligit: ergo intellectum simul
plura intelligere primo, idem est atque unam rem ac-
tu simul, & primo esse plures: sed unica res numero
nequit esse simul ac primo plura in actu, ut videmus in
rebus corporalibus ac materialibus; impossibile enim
est quod aliquid i. simul actu lapis, & ferrum: ergo
neque intellectus plura simul intelligere. Nec potest di-
ci quod intellectus informetur perfectè simul pluribus
speciebus intelligibilibus, sicut unus corpus informa-
tur simul figura, & colore: nam figura, & color non
sunt formæ unius generis, nec in eodem ordine acci-
piuntur: quia non ordinantur ad peraciendum in esse
unius rationis: sed omnes formæ intelligibiles inquan-
tum hujusmodi sunt unius generis intelligibiles. & in
eodem ordine intelligibili se habent ad intellectum, in-
quantum perficiunt intellectum in hoc quod est esse

in-

intellectum in actu : sed implicat plures formas ejusdem generis , & diversæ speciei simul esse , vel informare . Quu idem perfectibile : ergo plures species intelligibiles nequeunt simul completere , & per modum plurium informare : ac subinde non poterit intellectus plura per modum plurium intelligere .

34 Quod autem consequenter possit plura intelligere , hoc pacto explicat S. D. ibid. Ex consequenti contingit plura intelligere , inquantum habent ordinem ad unum intelligibile primum : Et hoc contingit dupliciter : uno modo ex unitate ejus quo intelligitur ; sicut quando plura intelligibilia per unam speciem intelliguntur : sicut intellectus divinus omnia simul videt per unam essentiam ; Et eodem modo intellectus creatus videns essentiam divinam potest omnia simul videre quæ per essentiam divinam videt . Alio modo ex unitate ejus . quod intelligitur , scil. quando plura intelliguntur ut unum , totum enim unum est primo intellectum , Et illa plura sunt intellecta ex consequenti in illo &c.

35 Resp. ad 1. rationem pro opposita sententia ad ductam , ex D. Th. ibid. quod neque sensus potest plura actu simul primò sentire , sed ex consequenti , inquantum plura accipiuntur ut unum , quia in una aliqua differentia uniuntur . Si enim ad aliquod ipsorum , ut ad sensibile principale ferretur , non simul sentiretur aliud . Unde cum videmus simul albedinem , & nigredinem , aut plures & diversos percipimus sonos , oportet quod unum sit ratio attingendi alterum propter unionem in uno subjecto , vel medio . Vana differentia ; album enim secundum suam differentiam dicit non nigrum , unde etiam debet attingi nigrum , ut remotio albi : sicut malum per ideam boni attingitur , ut privatio & remotio illius : sed hoc non est cognoscere plura per modum plurium primò , sed unum primò alia ex consequenti . Ad illud autem quod additur , nimis attentionem potentiae divisibilis esse quoad virtutem , si sumatur potentia formata & ut in actu , negamus : quia sequitur ad unitatem principii formalis : licet major , vel minor esse possit ex parte cognoscentis . sed nunquam ex parte rei cognitæ , vel intellectæ , quatenus

nus se habet ut objectum, & forma complens perfectam potentiam.

36 Resp. ad 2. quod tunc plura attinguntur consequenter, vel praesuppositivè, & unum primo, ut diximus ex S. D. ibid. Respond. ad 3. ex S. D. ibid. ad 4. species sensibiles, quæ sunt in medio deferente, esse ibi per modum dispositionis, & non per modum ultimæ perfectionis, quia sunt ibi sicut in quodam fluxu; unum autem & idem secundum dispositionem, vel in potentia potest simul esse plura. Idem enim aer est simul potentia aqua, & ignis: & possunt etiam dispositiones ad utrumque simul quantum ad aliquid eidem inesse: sicut si aer ex una parte calefieret, & ex alia inspissaretur. Et propter hanc eandem rationem multæ species ut in habitu, seu thesauro possunt esse simul in memoria: quia sunt ibi ut dispositiones; non vero ut actu intellectæ. Ad illud de propositione negativa dico esse plures species praesuppositivè, & consequenter? formaliter vero ac primo esse unam. Quia uniuntur in una differentia intelligibilis, esto entitativè homo, & lapis diversi sint.

37 Ad ultimum resp. M. à S. Thoma hic q. 11. a. 4. species illas diversi ordinis posse esse simul, quia à diversis virtutibus, & principiis formalibus inter se subordinatis procedunt, quod non potest reperiri in pluribus speciebus naturalibus, & ejusdem generis, seu ordinis, quæ specificè differunt. Quemadmodum de sensu communi asserit D. Th. ibid. ad 1. quod quamvis ipse sit una potentia secundum essentiam, tamen aliquo modo multiplicatur secundum esse, inquantum conjungitur diversis sensibus propriis, sicut unum centrum conjungitur pluribus lineis. Unde immutationes omnium sensibilium simul terminantur ad sensum communem. Ita similiter in eo casu intellectus diversis principiis conjungitur, & est quodammodo multiplex secundum esse. Quod autem intelligibilia plura non simul accipientur actu, esto convenienter in una intelligibili ratione, in causa est, quia non sumuntur ut unus numero principium complete formans, ac terminans potentiam præbens unicum esse operationi in re, & exercitio.

38 Ex his omnibus sequitur 1. quod intellectus in potentia possit infinita cognoscere, non quidem in actu, sed in potentia, & syncategorematicè: quia intellectus noster nunquam tot intelligit, quin plura attingere valeat; est enim virtus immaterialis, & quodammodo infinita: quia nata est fieri omnia. Attamen intellectus in habitu, vel actu infinita hujusmodi cognoscere nequit quiddirative: in actu quidem, quia intellectus noster nequit simul intelligere actu, nisi quæ per unicam speciem attingit; infinitum autem unicam hujusmodi speciem habere nequit: alioquin rationem totius, & perfecti sortiretur: quod falsum est: dicitur enim 3. Physic. infinitum esse, cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere. In habitu etiam nequit cognosci: quia in nobis habitualis cognitio ex actuali consideratione promanat. Unde Philosophus 3. Phys. t. 35. afferit infinitum esse maximè ignoum.

39 Sequitur 2. quod intellectus noster contingentia, ut contingentia sunt directè cognoscere nequeat, sed indirectè; directè autem per sensum cognoscuntur: quia contingentia necessariò tempori sunt immersa; aliisque conditionibus singularibus, à quibus intellectus abstrahit. Unde 1. Ethic. c. 1. dicit intellectum, sapientiam, & scientiam non esse contingentium, sed necessiariorum. At vero si sumantur contingentia prout modum quendam necessitatis sortiuntur, & secundum habitudinem compositionis, & consequentiarum, seu secundum rationes universales ipsorum intellectu cognosci possunt. Nam unumquodque est contingens ex parte materiae, quia contingens est, quod potest esse, & non esse; potentia autem ad materiam pertinet: necessitas vero formæ rationem consequitur: illa enim, quæ ad formam consequuntur, ex necessitate insunt. Materia etiam est individuationis principium; ratio autem formæ sumitur per abstractionem à particulari. Unde si contingentia sumantur secundum rationes eorum universales quendam modum necessitatis habent, & ab intellectu cognosci possunt.

642

QUÆSTIO ULTIMA

DE APPETITU SENSITIVO, & rationali, seu voluntate.

Consideratis his quæ ad potentiam intellectivam spectant, inquirendum superest de ipsa voluntate, quæ secundum rationem causæ formalis ipso intellectu est posterior.

ARTICULUS PRIMUS

*Utrum appetitus sensitivus realiter distinguitur
à rationali, & quotplex sit?*

1 **S**ciendum est ex S.D. 1.p. q. 80.a.1. quod quamlibet formam prout est quidam actus, & operationis principium, radiusque primi ac divini lumonis quidam appetitus, seu inclinatio consequitur. Hec enim ad divinam pertinet dignitatem, ut omnia moveat, inclinet, & dirigat ipse à nullo alio motus, inclinatus aut directus. Unde, prout forma est rei natura, & primæ naturæ participatio, nata est quendam motum, & inclinationem ad aliquid sortiri: & quanto propius ad Deum accedit, eo perfectius nata est seipsum inclinare, à movere. Natura itaque insensibilis, quæ ob suam materialitatem à Deo remotissima est, inclinationem quidem in finem sortitur, estque in ea inclinationis principium intrinsecum, non tamen est movens sū, ac dirigens in finem; sed à generante conceiente illis formam consequitur inclinatio determinata, & in finem directa; in quem innato pondere fertur à superiori agente illuc destinata. Naturalis subinde h̄ic appetitus vocatur: quia omnem cognitionem prævenit rei inclinatione, qua possit se in finem dirigere, ac movere. D.Th. q. 22.

2 Natura autem sensitiva, utpote Deo propinquior in

in se aliquid inclinans habet , scilicet appetibile apprehensum , quod est ut forma ipsius potentiae cognoscitivae appetentis , sicut intelligibile est forma intelligentis ; sed tamen inclinatio ipsa non est in potestate ipsius animalis , quod inclinatur , sed est ei aliunde determinata . Animal enim ad aspectum delectabilis non potest non concupiscere : quia ipsum propriæ inclinationi non dominatur , sed magis agitur , quam agat . Hujusmodi enim vis appetitiva sensibilis organo corporeo penitus immersa , & affixa est : ideoque magis movetur , quam se moveat . Sed natura rationalis , quæ ad divinam similitudinem maximè accedit , non solùm habet inclinationem in aliquid , quemadmodum inanimata : nec hujusmodi inclinationis principium motivum habet cum determinatione , sicut bruta : sed ipsamet inclinatio illius potestati , & domino subditur , ita ut ad ipsum apprehensum appetibile non inclinetur necessariò , sed possit ex seipso inclinari , & non inclinari . Et iste appetitus elicitus est , ut pote cognitivam virtutem sequens , & judicium rationis . Et de his impræsentiarum est difficultas an sint potentiae inter se realiter distinctæ ?

3 Prima concl. appetitus sensitivus , seu animalis , & rationalis , seu intellectivus realiter inter se distinguuntur . Ita communiter Philosophi , ac Theologi cum Arist. 3. de anim. D. Thoma ibid. q. 14. & 1. p. q. So. a. 2. & alibi saepe . Ratio est , quia potentia appetitiva est potentia passiva , quæ ab ipso appetibili appre hensione est moveri , eum principio proprio , & formaliter : sed passiva & mobilia distinguuntur secundum distinctionem activorum , & motivorum ; omnis enim potentia passiva specificatur per ordinem ad suum activum : ergo , cum sit alterius generis appetibile apprehensum per sensum ab appetibili per intellectum appre hensione , appetitus rationalis , & sensitivus sunt potentiae realiter ab invicem distinctæ . Deinde quia appetitus rationalis sensitivum moveat , cumque sibi subjicit : inter movens autem & mobile realem distinctionem oportet intercedere .

4 Secunda concl. appetitus sensitivus optimè divid-

magis in irascibilem, & concupisibilem tanquam in duas potentias realiter distinctas. Est contra Scotum in 3. d. 26. Gabriel ibid. Suarez tr. 3. de anim. lib. 5. c. 7. & alios. Est tamen D. Th. p. p. q. 81. a. 2. D. Alb. M. sum. de hom. tr. 1. q. 65. & 66. & communis inter DD. præfertim Thomistas. Prob. 1. ex S. D. loc. cit. recipere, & age-re ad diversas potentias referuntur, ut probatum est supra de intellectu agente, & paciente: sed concupisibilis est ordinata ad recipiendum, irascibilis verò est ordinata ad agendum: ergo sunt potentiae realiter distinctæ. Minor quoad primam partem prob. concupisibilis, ut docet Avicen. 7. natural. est vis imperans moveri, seu motum, ut consequatur ea, quæ putantur necessaria, vel utilia appetitui delectationis, seu delectabili: ubi nomine motus intelligenda venit immutatio corporis ad susceptionem delectationis, quæ concupisicitur: sed immutari ab objecto per appetitum conjunctionis ad ipsum est proprium potentiae passivæ, & recipientis: ergo &c. Quoad 2. p. etiam prob. quia vis irascibilis est vis imperans motum ad repellendum id quod putatur nocivum corrumpens appetitum vincendi: hoc autem sonat potentiam activam.

Circa quam rationem pota, quod cum vis concupisibilis sit vis appetitiva, fertur quidem ad objectum extra, ut distinguitur à potentiis cognoscitivis, seu intellectivis, quæ recipiunt in se objectum, & feruntur ad ipsum: unde sub hoc sensu non dicitur passiva, & receptiva, quasi objectum in se recipiens; sed dicitur receptiva, quia appetit aliquid ut recipiatur in ipso animalis sensu, quo immutatur corpus animalis ad susceptionem delectationis; sicut appetit vinum ad gustandum, ad cuius susceptionem cum delectatione immutatur: quod est proprium potentiae passivæ. At verò irascibilis contendit ut objectum per aliquam ipsius animalis operationem vincatur: ut quod perennatur, aut occidatur inimicis. Hæc enim potentiae sunt imperantes motum, unde secundum hoc dicuntur agere, vel pati quod resistunt, aut vincuntur: quia vinci, & affici ad potentias passivas spectat; vincere autem contrarium, & eis resisteret ad activas.

6 Secundò prob. irascibilis, & concupiscibilis diversa objecta formalia respiciunt, diversosque actus fortiuntur: sed distinctio potentiarum sumitur penes objecta formalia distincta, actusque adæquatos diversos: ergo realiter distinguuntur. Prob. maj. concupiscibilis proprius actus est concupiscere, id est, appetere ex vehementia dulcedinis, & quærendo refici in ipso delectabili, fruique illo, unde finis & objectum proprium illius est delectabile primò & per se; quod autem refugiat tristabile in sensu ex consequenti se habet: sed actus ipsius irascibilis est aggredi cum ira, & animositate ad vincendum nocivum simpliciter, quod scilicet violenter oppugnando lædere nititur; unde proprium ipsius objectum est arduum quod est in victoria nocivorum, & periculorum vitæ: ergo habent objecta formalia distincta, actusque diversos fortiuntur. D. Th. & D. Alb. M. loc. cit.

7 Objicies i. si bonum arduum apprehensum per sensum requireret potentiam distinctam à concupiscibili, per quam cum vehementia quadam dulcedinis apprehenditur delectabile, etiam bonum arduum apprehensum per intellectum requireret appetitum rationalem distinctum ab eo, quo appetitur bonum in se; ac subinde esset duplex voluntas: sed hoc est falsum: ergo &c. Conf. bonum sensibile arduum supra bonum sensibile delectabile non addit aliquam specialem boni rationem, sed potius mali; malum enim est, quod bonum & conveniens sit impeditum: ergo non requirit potentiam distinctam.

8 Resp. ad arg. disparem esse rationem: quia appetitus rationalis sub universali ratione boni tendit ad suum objectum, nam universalis potentia est, non affixa organo corporeo: unde circa bona particularia minime diversificatur, quemadmodum neque intellectus circa particularia intelligibilia. At vero appetitus sensitivus est virtus corporea, & particularis affixa organo corporeo, unde circa bona particularia sensibilia diversificatur, prout habet diversam boni sensibilis rationem. Resp. ad conf. bonum arduum non ideo dici objectum ipsius irascibilis, quia ipsa appetit difficult-

tatem, sed quia appetit victoriam nocivi simpliciter, & quod fortiter oppugnat, & destruere conatur. Hoc autem quoddam bonum est.

9 Obiectio 2. eadem potentia respicit contraria; sicut virus album, & nigrum: sed bonum delectabile, & tristabile sunt contraria: ergo ab eadem virtute appetitiva respiciuntur. Si dixeris quod irascibilis non est tristari, sed insurgere contra nocivum, & pugnare: Contra est: quæcunque vis nata est repellere contrarium, contra illud insurgere debet: ergo si concupiscibilis debeat etiam repellere contrarium, necessum est ut contra illud insurgat. Confirm. in rebus naturalibus per eandem vim moventur corpora ad suum locum, & removent prohibens: v. g. ignis eadem vi nativa caloris prosequitur suum bonum, & destruit frigus, quod sibi contrarium est: ergo &c.

10 Resp. quod bonum delectabile, & tristabile respectu ejusdem sunt contraria, & ad eandem vim spectant; unde prout sunt in sensu, vel sub ratione boni delectabilis, & sensibilis ab eadem virtute concupisci- bili attinguntur, scilicet bonum delectabile ut finis, & tristabile prout removendum, eo quod delectationem sensibilem prohibeat; sicut eadem virtute ignis producit calidum, & removet frigidum: sed tamen calidum est ut finis, & objectum primò intenum; corruptio autem frigidi ex consequenti, & per accidens se habet. Hoc pacto autem tristabile non respicitur ab irascibili, quia hoc est respici secundum quid: sed irascibilis respicit nocivum. & tristabile simpliciter, violenter oppugnando illud, & resistendo ei ex animositate. Licet enim tristabile in ratione nocivi, & tristabilis non sit appetibile, bene tamen in ratione ardui, & alti animositatem movet, & appetitum; quia Victoria ar- dai proponitur ut excellens bonum, & in altissimo. Ex his patet ad confirm.

11 Obiectio 3. nomine ardui, vel intelligitur nocivum impugnans, vel quod est altum excellens dignitas; & altissimum inter bona naturalia? Non pri- mum, quia nocivum non est bonum, neque irascibilis bonum est, quia est actus circa nocivum. Neque secun- dum;

dum : quia multa bona naturalia per irascibilem aſſe-
quimur , quæ ramen non sunt altissima inter bona na-
turalia . Resp. ex D. Alb. M. quod irascibilis utrumque
arduum respicit : sed præcipue arduum in nocivo im-
pugnante : quia hoc arduum est in victoria periculorum
vitæ , quæ altissima sunt : & secundum hoc vide-
tur respicere bona altissima in genere bonorum utilium
sensibilium . Ardua autem in dignitate non respicit
æquè principaliter : & hoc bonum est .

12 Quæres utrum appetitus sensitivus sit respersus in omnibus potentiis , an autem specialia organa fortia-
tur prout irascibilis , & concupiscibilis ? Resp. quod si sumatur appetitus communiter , & impropriè prout dicit quamlibet inclinationem ad aliquod conveniens , sic in omnibus viribus sensitivis reperitur : attamen si sumatur propriè , & ut est imperans cum ordinatione ad aliquam speciale n rationem boni sensibilis , tunc peculiaria organa in suis speciebus , nimirum irascibili , & concupiscibili fibi vendicat . Probabilius multi-
cum D. Thom. de motu animal. lib. 7. & 8. censem appetitum sensitivum in ipso corde subjectari tanquam in primo , & intrinseco organo , in animalibus perfec-
tis , & secundum diversas partes illius diversimod proportionatas in eo esse organa concupiscibilis , & irascibilis . Prob. experientia constat diversis insitentibus in nobis passionibus appetitus sensitivi , statum cor alterari , & concitari : ergo signum est quod appetitus sensitivus ibi residet , ut in primo sensorio , & organo .

13 Dices : dolor immediate in appetitu sensitivo subiectatur : sed dolor subiectatur in qualibet corporis parte , ubi est sensus tactus : ergo appetitus sensitivus non residet in corde . Resp. quod dolor subiectatur in appetitu sensitivo : unde sicut per totum corpus resper-
sus est appetitus sensitivas communiter dictus , ita & dolor : sed tanquam in primo subiecto , & sensorio est in corde , ubi propriè & principaliter est dolor : nam plaga cordis est omnis tristitia . Vel dico quod in aliis partibus est , ut in organo secundo . D. Thom. ibid.

14 Quæres 2. quænam ex his potentis appetitivis sensitivis sit nobilior? Resp. M. Bannès 1. p. quæst. 81 art. 2. dub. 2. quod simpliciter loquendo de his potentis ex parte objecti, & ut communiter in omni animali perfecto reperiuntur, concupiscibilis est præstantior, quam irascibilis. Tum quia operatio irascibilis est propter operationem concupiscibilis tanquam propter finem: animalia enim irascuntur, & pugnant propter concupiscibilia. Tum etiam quia operationes irascibilis incipiunt ab operationibus concupiscibilis, & ad ipsas terminantur. Tandem quia concupiscibilis per se, & immediate respicit ea, quæ sunt conservativa animalis secundum individuum, & speciem: bonum vero quod respicit irascibilis, non est per se, & immediate conservativum animalis, sed potius se habet quasi removens prohibentia conservationem illam.

15 At vero si considerentur istæ duæ ut sunt hominis, & non ut sunt tantum animalis, irascibilis supra concupiscibilem excellit. Tum quia nobiliori virtuti nobilis debetur subiectum: fortitudo autem quæ est nobilior virtus quam temperantia in irascibili residet, temperantia vero in concupiscibili. Tum etiam quia irascibilis magis ad rationem accedit eamque participat, quam concupiscibilis: sed potentiae sensitivæ nobiliores sunt, quod magis ad rationem accedunt: go &c. Prob. maj. tum quia in modo operationis sequitur apprehensionem boni utilis, quæ apprehensio similior est rationi, quæ media in finem ordinat. Tum etiam quia concupiscentia quoad exercitium magis rationem impedit, quam ira.

ARTICULUS SECUNDUS

De appetitu rationali, seu voluntate, & ipsius objecto.

16 **B**onum esse objectum voluntatis, in quantum est appetitus quidam, constans est, cum nullus appetitus sit nisi boni, & convenientis. Appetitus enim

enim nihil aliud est, quam quedam inclinatio appetentis in aliquid sed nihil inclinatur nisi in aliquid simile, & conveniens: cum igitur omnis res in quantum ens, & substantia sit quoddam bonum, necessarium est, & omnem rei inclinationem, appetitumve in bonum tendere. Vnde Philosophus lib. 1. Ethic. bonum definiens afferit esse id quod omnia appetunt. Et D. Dionis. cap. 4. de Divin. nom. docet malum esse praeter voluntatem; neminemque intendentem ad malum operari; sed omnia quae sunt gratia alicujus boni esse: quia omnia bonum appetunt. Non tamen quilibet appetitus eodem modo in suum fertur objectum. Appetitus enim mere naturalis, utpote formam in rebus existentem consequens, in bonum quoque prout in rebus existens fertur: appetitus autem cognoscitivus, tam sensitivus, quam rationalis, formam apprehensam consequitur; capropter in bonum apprehensum fertur; si sit sensitivus, in bonum apprehensum per sensum; si autem rationalis, in bonum apprehensum per intellectum ita ut apprehensum esse sit causa formalis effectiva & ratio cur voluntas feratur in ipsum bonum.

17 Modò est difficultas an apprehensio boni ita sit ratio formalis agendi ipsi appetitui cognoscitivo, praesertim rationali, ut nullatenus per se movere possit voluntatem objectum aliquod, nisi apprehendatur sub ratione boni & convenientis; nec voluntas in illud ferri nisi sub ratione boni, nullatenus autem sub ratione mali. Certum est illud, quod amat, non semper esse verum bonum, & in rebus existens, sed quandoque apparens bonum, quod secundum se malum est; sed tamen per se an amari possit ut malum, an vero sub ratione boni apparentis duntaxat, est difficultas? Etsi aliqui partem affirmativam tenuerint, ut refert M. à S. Thoma 1. 2. tom. 1. disp. 5. num. 2. atamen communis omnium fere est opinio voluntatem ita adiquatè pro ratione formalis respicere bonum actu prosecutivo, ut nullo modo possit ferri in aliquid sub ratione mali. Ita D. Th. 1. 2. q. 8. a. 1.

18 Ratio D. Thomæ est: quia appetitus, ut diximus, est quedam inclinatio appetentis in aliquid; quae ne-
sario

sario fertur in id quod est sibi-conveniens, & simile: quælibet enim res naturaliter refugit id, quod sibi disconveniens est, ac repugnans: sed id, quod ipsi appetitui, & appetenti conveniens est, boni rationem habet; quatenus enim conveniens perficit ipsum: è contra vero malum prout malum sonat in defectum perfectionis: ergo omne quod appetitur, sub ratione boni appeti debet, & nullatenus sub ratione mali; quia nihil appetit deficere, seu imperfectum esse. Nec sufficit dicere objectum appetitus non esse bonum conveniens, sed bonum quod consequitur ens, quod equidem est commune bono, & malo. Nam contra est: quia bonum malo contrariatur, vel includit privationem illius: sed bonum secundum rationem suam est appetibile: definitur enim id quod omnia appetunt: ergo cum malum sub ratione mali destruat rationem boni, etiam rationem appetibilis destruit.

19 Objicies 1. quia eadem potentia est oppositorum: unde asserit D. Thom. 1. 2. quæst. 19. ar. 1. bonum, & malum per se ad voluntatem pertinere: quod fieri nequit, nisi voluntas per se in malum feratur. Secundo quia inimico malum sub ratione mali volumus: tunc quia odium inimicitæ amori amicitiae opponitur; sed amor amicitiae bonum amici formaliter respicit: ergo odium formaliter respicit malum. Tum etiam quia odium in hoc distinguitur ab ira, & odio abominationis, quod ira malum alteri velit ratione vindictæ, & satisfactionis; abominatione autem sit fuga mali disperdientis, nec appetitus vindictæ, & satisfactionis; ergo respicit malum sub ratione mali. Tertiò quia in hoc distinguitur peccatum ex certa malitia à peccato ex ignorantia, vel passione: quia peccatum malitiæ velit malum sub ratione mali, & peccati: peccatum vero ex ignorantia, vel passione sub ratione boni sensibilis. Vnde S. D 2. 2. quæst. 20. art. 1. ad 1. asserit peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, ut odium Dei principiter consistere in aversione à Deo, & ex consequenti in conversione ad bonum commutabile: ergo &c.

20 Kep. ex S. D. ad 1. bonum , & malum equidem per se ad voluntatem pertinere ; sed non eodem modo ad utrumque se habet voluntas : actu enim prosecutivo fertur in bonum , quod est appetere illud ; sed fugâ à malo retrahitur , quod est non appetere , ~~ed~~ refugere , & odire . Resp. ad 2. dist. ant. odium inimicitiae vult malum alteri , sub ratione mali simpliciter , & absolute , nego : in quantum malum alteri illatum apprehendit ut conveniens inferenti , & appetenti , concedo : unde malum sub ratione boni appetit . Ex quo patet ad 1. probat. nam amor amicitiae vult amico bonum non solum quia sibi bonum est , sed magis quia est bonum etiam amico : sed odium vult malo inimicum illatum , quatenus apprehendit sibi bonum esse quod inimico malum inferatur . Distinguuntur tamen hic appetitus ab amore concupiscentiae , quo quis etiam sibi bonum vult : quia amor concupiscentiae bonum appetenti vult ut in eo sistat , tanquam in subjecto : sed cum in odio aliquis bonum sibi vult , importatur ordo ad alterum , nimis nocumentum proximo illatum , vel inferendum . Ad 2. autem prob. dico odium inimicitiae distinguere ab odio abominationis , vel irae : quia in odio inimicitiae quis vult malum alteri , ut bonum sibi ; in odio autem abominationis quis non appetit alteri nocumentum , sed simpliciter malum refugit . Ira denique non respicit malum præcisè ut nocivum , aut destructivum contrarij , sed ut vindicativum , & satisfactivum , & sic habet speciem justi seu satisfactivi . Unde sumpta satisfactione ira cessat ; odium vero nulla satisfactione quiescit , sed usque ad ultimum destructionem prosecutum ; nocumentumque inimici apprehendit sub ratione utilis , & delectabilis : ut subtiliter prosequitur M. à S. Thoma ibid. n. 10.

21 Resp. ad 3. peccatum ex certa malitia , & ex infirmitate non distinguere ex ratione objecti , quasi unum respiciat bonum sensibile , atiud vero malum ; peccator enim in utroque peccato aliquid malum sub ratione boni apparentis attingit : sed ex prava dispositione peccantis ; quatenus scilicet peccare certa malitia ex prava consuetudine , ac dispositione dicit malum facere , & latari in rebus pessimis , ex perverso iudicio quo jucicat

dicat sibi conveniens sic facere , & non subiuguiæ , & legi . Quod non contingit in eo , qui peccat ex ignorantia , aut passione . Unde peccata contra Deum respiciunt illam aversionem objective sub ratione aliquius boni apparentis : quemadmodum & illi , qui sibi mortem inferunt , vel odio habent Deum : nam materialiter illi volunt non esse , sed formaliter appetunt aliquid esse , quod apprehendunt , ut bonum sibi , nimis carere miseria . Et illi qui odio Deum ipsum habent , non odunt Deum ratione summi boni , sed ratione effectuum : v. g. poenarum illatarum , quas apprehendunt ut nocivas .

ARTICULUS TERTIUS

De actibus ipsius voluntatis .

22 Circa actum voluntatis exurgit commune dubium quomodo à voluntate , & cognitione obiecti procedat , an scilicet ab utroque effectivè ; & an eum producatur aliquis terminus in voluntate realiter à ipso distinctus ? Ad 1. breviter respondetur quod à voluntate producitur tanquam ab efficiente quod : ab ipso autem objecto apprehensio tanquam à ratione formalis agendi ; seu principio formalis determinativo ad agendum ; patet ex dictis supra lib. 2. Physic. q. 5.

23 Circa 2. expressa est sententia D. Thomæ 1. p. q. 27. quem sequuntur communiter illius Discipuli , & alii Interpretes ibidem ; quod quemadmodum ab actione intellectus producitur aliquis terminus intrinsecus ; scilicet verbum : ita & per actionem voluntatis procedit aliquis terminus intrinsecus per modum operati , & producti ab ipso voluntatis actu . Prob. ex D. Th. 4. cont. gent. c. 15. amatum non solum est in intellectu sed etiam in voluntate ; sed in intellectu est mediante verbo , quod est terminus intrinsecus iudicis intellectionis , & est similitudo rei amatæ : ergo etiam erit in voluntate medio aliquo termino productio , quo voluntas impellatur , & incli-

netur in rem amatum. Unde hic terminus dicitur impulsus amantis in amatum.

24 Confirm. & explicatur hæc ratio à sapientissimo M. à S. Thoma tom. 2. in p. p. disp. 12. a. 7. n. 8. & seq. quia videlicet voluntas est potentia, seu facultas tendens per modum ponderis, & inclinationis in objectum appetibile, tanquam in terminum sibi actu convenientem, & proportionatum; sed voluntas ex se, & ex propria natura est indifferens ad omne objectum appetibile, nec magis ponderat de facto in unum, quam in aliud: ergo ut in actu secundo per amorem tendat, & propendeat in hoc objectum potius quam in aliud, oportet quod reddatur determinata, proportionata, & affecta isti objecto, potius quam alteri: ergo debet in se suscipere impressionem hujus proportionis, & ponderis ab ipso objecto apprehenso. Itaque discrimen est inter modum, quo intellectum est in intellectu, & appetibile in voluntate, quod licet utrobiusque producatur aliquis terminus intrinsecus, ratione cuius in actu secundo intellectum sit in intelligente, & appetibile in voluntate: tamen intellectum est in intellectu ut in similitudine formalis, & expressa sui: amatum autem est in voluntate mediante proportione, & coaptatione illa, qua voluntas ipsa in objectum propendet, & ponderat.

25 Unde cum obiicitur rem objectam non trahi ad voluntatem, quemadmodum ad intellectum, responderet objectum non trahi ad voluntatem eo pacto, quo ad intellectum, videlicet per similitudinem, & unionem representativam, & intelligibilem: bene tamen per proportionem & coaptationem, qua in actu secundo ipsa voluntas ad id objectum hoc pacto coaptatum, & proportionatum feratur. Et hoc, medio quo id præstat, impulsus vocari consuevit. An autem actus voluntatis à termino producto distinguatur realiter difficultas est. Ego dicendum existimo, sicut de actu intellectus respectu verbi: quod videlicet, si sumatur in ratione volitionis præcisè, & quasi radicaliter; prout nimis solam habitudinem ad rem voluntatem explicat, seu actum amoris, tunc realiter distinguitur. At tamen sumatur formaliter, & completere in ratione spirationis, non nisi

nisi secundum rationem distingui puto quædam modum & dicere ab ipso verbo.

26 Cum bonum , quod est ipsius voluntatis objectum , non solum complectatur finem , sed etiam media , duplex voluntatis actus distingui solet : nimis intentio , quæ finem respicit ; & electio quæ circa media versatur . De quibus oritur difficultas an sint formaliter actus voluntatis , vel intellectus ? De intentione communiter affirmant Autores cum D. Thoma 1. 2. q. 18. a. 1. & q. 22. de verit. a. 13. potentia enim & actus idem objectum sortiri debent ; cum potentia medio actu proprio ad objectum ordinetur : hinc potentia visiva & visioni , quæ est actus ejus , idem penitus objectum assignatur , nimis color ; sed intentio respicit pro objecto finem , & bonum , quod est etiam voluntatis objectum : ergo intentio est actus voluntatis , non quidem absolute , sed in ordine ad rationem .

27 Hujus rei gratia notat S. D. ibidem quædamque agentia inter se ordinata fuerint , id , quod est secundum agens , duplicitate movere , vel agere posse : primum quidem prout naturæ suæ competit ; alio modo prout naturæ superioris agentis congruit . Impressio enim superioris agentis in inferiori manet : ac subinde inferioris agens non modò actione propriæ , verum etiam actione superioris agentis agit : v. g. aqua Maris motu proprio deorsum fertur , & in centrum gravitat , motu autem Lunæ fluit , ac refluit , vel alios sortitur motus . Actio , quæ ex propria natura ipsi competit , absolute ei attribuitur ; sicut aquæ deorsum moveri : illa vero quæ ipsi ex impressione superioris agentis convenit , non absolute , sed in ordine ad aliud tribuitur : v. g. fluere , ac refluxere dicitur esse proprius aquæ motus , non quidem prout aqua est , sed ut a Luna movetur . Proprius , inquam , non per propriam capacitatem naturalem ad motum , sed obedientiam .

28 Ratio autem & voluntas sunt quedam potentia operativa ad invicem ordinatae : ita ut absolute prior sit ratio , quamvis per reflexionem voluntas prior , ac superior dicatur , quatenus rationem ipsam movet unde voluntas duplicitate actum sortitur : alterum ipsi ex pro.

propria natura competentem , prout videlicet in proprium objectum absolute , nimirum bonum tendit ; & hujusmodi actus ei simpliciter tribuitur ; ut amare , & velle : quamvis ad istum etiam actum ipse rationis actus presupponatur , quia bonum , non nisi apprehensum per rationem , voluntatem ipsam moveat . Alterum vero actum habet , non quidem absolute , & ex propria natura voluntatis , ut quidam appetitus est , sed ut rationalis est , seu secundum id quod in ea ex impressione rationis relinquitur : & hoc pacto intentio est actus voluntatis . Cum enim proprium intellectus sit ordinare & conferre , quotiescumque in actu voluntatis aliqua collatio , vel ordinatio reperitur , hujusmodi actus voluntati , non quidem absolute , sed per ordinem ad rationem competit : intendere autem nihil aliud est , quam ex eo , quod quis vult , in aliud , seu finem tendere . Intendere itaque à simplici actu volitionis differt , quia volitio , seu velle absolute in finem , seu bonum fertur ; sed intendere addit ordinem in finem , prout finis is ipse est , in quem ea ordinantur , quae ad finem sunt . Cum enim objectum voluntatis , prout à ratione apprehensum , & propositum , ipsam moveat ; prout diverse ipsum prospuerit , diversimode voluntas ab eo movebitur . Cui igitur ratio voluntati aliquid , seu absolute bonum proponit , actu absolute volitionis , seu volendi in ipsum fertur , & ut natura quedam particularis in propriam perfectionem inclinatur . Cum autem sibi aliquid sub ratione boni proponit , ad quod alia seu finem ordinentur , tunc in id cum quodam ordine fertur , in ipsoque voluntatis actu quidam ordo inventur , prout rationi subordinatur , estque appetitus rationalis ; unde intendere est actus voluntatis in ordine ad rationem , seu prout est appetitus rationalis . D. Thom. ibid.

29 Objecies i. nullus est actus voluntatis , qui cognitionem non praesigat : ergo nullus actus absolute voluntati competit . Conf. intentio nomen relationem in finem importat : sed referre aliquid in finem simpliciter ad rationem pertinet : ergo intentio simplici-

656 *Quæst. Ultima De Appetito*
ter est actus rationis, & non voluntatis. Tenui quia
eorum, quæ nullo modo sunt unum, idem & commu-
nis actus esse nequit: sed voluntas & ratio ad diversa
potentiarum genera spectant, scilicet ratio ad intel-
lectivum, voluntas autem ad appetitivum: ergo &c.

30 Resp. ad 1. ex S. D. quod licet omnis actus vo-
luntatis presupponat cognitionem, seu apprehensio-
nem rationis per modum principii formalis specifica-
tivi, non tamen per modum dirigentis formaliter in
finem, & collative: sicut in intentione contingit.
Resp. ad 2. quod referre aliquid in finem activè, &
directive formaliter est proprium rationis; sed relatio
passiva in finem, quæ est quædam ordinatio potentiarum
ad ipsum dependenter ab aliquo dirigente est ipsius
voluntatis, seu intentionis. Resp. ad 3. quod licet
intellexus & voluntas non sint unum objective, quoad
esse objecti formaliter, quia non respiciunt ens sub
eadem formali ratione objective: tamen sunt unum
ordine, quia rationes illæ in movendo, & dirigendo
ordinatae sunt, ut diximus, quod sufficit.

31 Circa electionis actum eodem modo philoso-
phandum est: nimirum quod sit actus voluntatis in
ordine ad rationem, ita tamen ut principaliter & di-
rectè sit actus voluntatis, ut docet S. D. loc. cit. Tum
quia proprium objectum electionis est id quod est in
finem, quod ad rationem boni utilis pertinet: sed bo-
num est objectum voluntatis: ergo cum potentia, &
actus circa idem objectum versentur, electio erit ac-
tus voluntatis. Tum etiam, quia electio est ultima
acceptio, qua aliquid accipitur ad prosequendum non
accepto alio; eligere enim dicitur quasi unum è mul-
tis legere: sed accipere aliquid ad prosequendum ad
voluntatem pertinet: ergo &c. Prob. min. quantum-
cumque ratio unum alteri præferat, nondum tamen
præacceptatum est alterum eorum ad operandum, sed
potest adhuc voluntas non prosequi; non enim vo-
luntas necessariò sequitur rationis judicium: ergo ul-
terioriùs requiritur quo voluntas in alterum eorum ma-
gis inclinet præacceptando illud ad operandum, &
prosequendum.

32 Ratio qua situr D.Th. nonnihil difficultatis habet : licet enim ratio boni formaliter , & sub ratione appetibilis aut allientis ad voluntatem pertineat: tamen nonnunquam bonum attingitur sub ratione formaliter , vel ordinabilis , & conferibilis? sub quaque ratione ab intellectu attingitur , ut in actu imperii videre est: ergo licet electio circa bonum versetur, tamen quia circa illud versatur cum quadam collatione , & ordinatione , ut diximus ; quia unum alteri confert , praecipit , ac praoptat , nil obstat quin formaliter sit actus intellectus sicut imperium .

33 Hujus rei gratia sciendum est quod in voluntate ut habet ordinem ad finem per media tres actus reperiuntur consequenter se habentes ; scilicet eligere, consentire , & uti : ut docet D. Tho. 1. 2. q. 17. in corp. Consentire dicitur quasi simul sentire , ut docet S. D. 1. 2. q. 15. a. 1. unde applicationem sensus ad aliquid importat , secundum sui nominis impositionem . Propriè autem dicit applicationem virtutis appetitivæ ad rem inhærendo ei per complacentiam , vel complacendo sibi in ea : unde est quedam sententia , quatenus voluntas amat , quod ex consilio judicatum est esse bonum . Et perinde ad voluntatem hic actus spectat non absoluè sed per ordinem ad rationem . Quod admodum ratio speculativa post collationem , & discursum de rebus intelligibilibus judicium in conclusione profert , illam ad principia resolvendo , & quandoiu non resolvit , manet suspensum : ita ratio practica de agendis judicium profert , & sententiam ; & ista quatenus est ultimus actus , & quasi conclusio , cui inkæret voluntas complacendo , dicitur consensus . Unde est actus voluntatis per ordinem ad rationem superiorē ; cuius est ultimum judicium de rebus agendis . Delectatio autem inducens ad actum est præambula ad consensum , & per se ad judicium rationis inferioris pertinet , licet etiam de ipsa delectatione ratio superior judicare possit : quia quidquid judicio inferioris subjicitur , etiam si superioris judicio subditur . Hinc est quod consensus brusque propriè non competit ; quia in eis non est consilium . Tu judicium de

agendis: nec habent in potestate sua motum appetitivum, ita ut possint applicare ipsum, vel non applicare, sed naturaliter, seu ex instinctu naturæ applicantur, unde potius aguntur, quam agant. D. Th. ib. a. 2. & 3. & q. 74. a. 7.

34 Ex his sequitur primò quod consensus proprius non est finis, sed eorum quæ sunt ad finem. Consensus enim nominat applicationem appetitivi motus ad aliquid in applicantis potestate præexistens: sed primum quod accipitur est finis per apprehensionem intellectus, deinde appetitus finis, tertio consilium de his, quæ sunt ad finem, deinde appetitus eorum, quæ sunt ad finem: ergo cum consilium non sit nisi de his, quæ sunt ad finem, quia ipse finis naturaliter, & deinde per simplicem volitionem, appetitur, ipse consensus propriè erit eorum, quæ sunt ad finem, in quantum motus appetitivus ad id applicatur, quod judicatum est, determinando consilium. Itaque quemadmodum conclusiones per principia scimus, horum tamen non est scientia, sed intellectus: ita his, quæ sunt ad finem, propter finem consentimus; nec tamen consensus est ipsius finis, sed voluntas, quæ est ad majus. D. Th. loc. cit: a. 3.

Sequitur 2. electionem supra consensum ipsum addere relationem respectu ejus cui auctor præengitur, seu ejus quod non placet, vel minus placet. Unde electio & consensus quodammodo re ipsa differunt, & quodammodo non. Si enim inveniatur unum solum quod placeat; consensus, & electio re ipsa non differunt, sed ratione tantum, ita ut consensus dicatur prout id in quod consentitur ad agendum placet; electio autem prout his præfertur, quæ non placent. Si vero contingat per consilium plura ad finem ducentia accipi, quorum, dum quodlibet placet, in quodlibet eorum consentitur; dum tandem unum præ ceteris eligitur, ac præstatetur, tunc electio distinguitur re ipsa a consensu, quasi ræsuppositivè: nam & in electione illa etiam ratio consensus invenitur, cum placet, & amat per aperandum illud quod præcligitur, seu præcipitur. D. Th. ibid.

36 Ulus denique importat applicationem rei illius ad operationem aliquam : unde & operatio illa , ad quam rem aliquam applicamus , dicitur usus ejus; sicut equitare dicitur usus equi ; & percutere est usus baculi : voluntati autem primo , & per se competit applicare alias-potentias , imo & seipsum ad operationem , & ad suos actus-movere : nam in omnibus potentiis ordinatis operativis illa potentia , quæ finem respicit universalorem , cæteras movet, quæ particulares dunt taxat fines respiciunt : v. g. Cœlum , quod ad universalem rerum omnium generabilium , & corruptibilium conservationem , ceu finem destinatur , inferiora omnia corpora movet , quorum unumquodque ad conservationem propriæ speciei , vel etiam individui agit: objectum autem materiale voluntatis , quod est bonum universale , est quid universalius in ratione finis cæterarum potentiarum finibus , qui solùm sunt particula ria quædam bona : eapropter intellectum & cæteras potentias movet in ratione potentiarum quarundam particularium respicientium particularia bona: quia secundum ordinem finium est etiam ordo agentium , cum finis efficientem moveat : v. g. Deus , qui est universalissimus finis , & primus in ordine finium , est etiam primus in ordine efficientium cætera omnia movens : uti ergo primo & principaliter est actus voluntatis tanquam moventis , rationis ut dirigentis: sed aliarum potentium tanquam exequentium , quæ comparantur ad voluntatem , à qua applicantur , ceu instrumenta ad agens principale .

37 Imperium itaque dicitur actus rationis quo voluntas ordinatur ad istam applicationem ad opus exequendum , seu ad usum . Sciendum est autem quod imperans ordinat eum cui imperat ad agendum dupliceiter : primo intimando , vel denuntiando simpliciter , & absolute ; puta cum denuntiat alicui hoc esse faciendum ; v. g. diligendus Deum . Secundo ultra denuntiationem simplicem addendo motionem , seu movendo : puta cum denuntiat per verbum imperativi modi , fac hoc . Primo modo , prout videhcet imperium dicit simplicem ordinationem ac denuncia-

tionem , seu intimationem est propriæ actus rationis , cuius est ordinare : sed secundo modo est actus rationis præsupponentis actum voluntatis : quia voluntas est primum movens , unde intellectui non competit movere , nisi quatenus agit in virtute voluntatis motientis : quia omne movens secundum movet in virtute primi . Nec enim movet nisi inclinando aliquid ad actum ; omnis autem inclinatio est in aliis participative à voluntate in genere cognoscibilium . Unde elec-~~tie~~ aliter ad voluntatem pertinet , aliter vero judicium . Nam elec~~tie~~ ad voluntatem pertinet sub habitudine ad id , ad quod per se ordinatur ; scilicet bonum , quod per se respicit à voluntate , ut pertinere ad obiectum illius : sed imperium solèm præiuppositivè dicit rationem boni , & per extensionem rationis ad voluntatem , & formaliter respicit ipsam ordinacionem ac denuntiationem , non quidem præcisè , sed in ordine ad opus exequendum : quod habet ex eo quod agit in exercitio cum subordinatione ad voluntatem .

38 Ex his sequitur quod usus ab electione distinguuntur : quia in usu , & executione oritur nova difficultas Indigens nova applicatione , & novo motivo ad execu-~~endum~~ distin~~c~~tio à judicio , consilio vel electione qua unum alteri præoptatur , vel præaccipitur . Etenim multos videmus facillime judicare , consiliari , elige-~~re~~ , seu determinare se interius , qui postea in execu-~~tione~~ deficiunt . D. Petrus eligebat pro Christo vitam profundere : quod se effectum pollicebatur : & tam-~~en~~ in executione omnino defecit . Etenim eligere est actus mere internus , in quo voluntas secum cunctaxat pugnam init , & certat : nec aliud impedimentum experitur , quam obiectum hoc modo propositum alteri præceptare , ac præferre : at vero in executione non modo secum certat , sed etiam cum aliis , tum potentiis , tum subjectis , in quo mille difficultates se offerunt ; tam in labore potentiarum , & facultatum , quam in resistentia etiū , impedimentisque exterius .

ARTICULUS QUARTUS

De Libero Voluntatis arbitrio

39 **Q**uidam antiqui Philosophi turpissimè in hac materia erraverunt existimantes omnes actiones causarum Universi, etiam humana-
rum voluntatum, necessitate quadam fatali evenire, orta ex Cœlorum Siderumque irsfluxu, & mutua cau-
sarum inter se colligatione, ac concursu; atque adeo nullum in homine liberum arbitrium ad exercendas operaciones suas remanere. Ita sensisse Heraclitum, & Democritum refert Ludovicus Vives lib. 5. de civit.
 1. Quorum errorem postea hæretici plurimi amplexi sunt, ut Simon Magus, Bardesanes, Priscillianus, & omnes illius Sectatores. Manichæi etiam, & alii hæ-
retici, quorum meminit D. Aug. l. de hær. c. 35. Eundem errorem fecutus est Petrus Abaulardus, ut videre est in D. Bern. Serm. 65. & 66. super Cantica. Ioan. Vyclef in art. 27. & Lutherus in art. 36. ubi asserit liberum arbitrium in homine esse rem de solo titulo, imò esse figmentum in rebus, & titulum sine re. Cal-
vinus etiam, & ~~acton~~, etsi liberum arbitrium in ordine ad opera exteriora admiserint, ceterum in ordine ad interiora opera, quæ Deus respicit, ipsum omnino denegarunt, afferentes hominem, aut charitatis, aut peccati servum esse. Idem afferunt ejusdem farinæ innumeris Hæretici.

40 Attamen homines in multis actibus suis necessi-
tate non agi, sed ex voluntate sua libera duci, libera-
que pollere agendi facultate, & a arbitrio adstruit fides,
dissiniunt Concilia, afferunt Patres, & communiter Theologi ac Philosophi. Et quidam hoc multis Sacra-
Paginæ testimoniis probari solet. quæ diserte ponde-
rat M. Bannes i. p. q. 83. a. 1. ub. 1. unum aut alterum nobis sufficiat impræsentarum adducere. Pri-
mum igitur sit illud 2. Reg. c. 8. ubi dictum est Da-
vid Regi: *Trium tibi datur optio elige quod vis.*
Quid autem est facultas eligendi quia ~~alimus~~, nisi

T t 3 libe-

liberum arbitrium? Unde ipso uitetur ad probandum arbitrii libertatem D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum c. 52. Secundum sit illud Isaiae c. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quo testimonio necessitatem fati nervosè impugnat D. Chrysostomus hom. 2. de providentia. Hoc ipsum definivit S. Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 5. ubi habetur: Si quis dixerit hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, aut extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, aut titulum sine re, anathema sit. Et in Concil. Araucano cap. 8. & 13. diffinitur liberum arbitrium post Adæ peccatum infirmatum esse, non tamen totaliter extinctum.

41 Quoad SS. PP. spectat, idem ab exordio nascientis Ecclesiæ docuerunt. Nam D. Petrus Apostolus referente D. Clemente lib. 3. recog. cum Simone Mago de libero arbitrio disputavit. Et primis liberum arbitrium hoc pacto definit: libertas arbitrii est sensus animæ habens virtutem ad illos actus, ad quos voluerit inclinare. Deinde ratione duplice adversus illum usus est. Prima est: si nihil est in nostra potestate, frustra querimus aliquid à Deo, cum non sit in potestate quarens invenire. Secunda vero est: quo pacto Deus iudiicat recte in veritate unumquemque pro ~~actibus~~ suis, si non est in eorum potestate, ut agant? Idem docuerunt D. Clemens epist. 2. ad Jacobum. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. Lactantius lib. 2. Divin. Institut. c. 9. Origenes lib. 1. de principiis; ubi hanc assertionem de libertate arbitrii inter quasdam assertiones Ecclesiasticas statuit, quas dicit pro certo esse habendas. D. Basil. serm. de libero arbitrio. D. Amatus. lib. 1. de vocat. gentium c. 1. 2. & 3. D. Augustinus, D. Hieronymus, & D. Chrysostomus, innumeris penè in locis. D. Gregorius lib. 16. Moral. c. 12. D. Bernardus & D. Anselm. libr. de libero arbitrio, & communiter Patres. D. Thom. q. 24. de veritate & communiter Theologi, ac Philosophi.

42 Id etiam experientia, & ratio naturalis demonstrant: experimur enim evidenter situm esse in nostra po-

potestate aliqua eligere , vel omittere , & ad hoc ratione , discursu ; & consultatione utimur , ut in unam partem potius quam in alteram inclinemus , ac deflectamus : est ergo electio in nostro arbitrio sita , aliquin , ut egregie dixit S. Damascenus lib. 2. de fide Orthod. c. 25. nobis superflue deliberandi vis , ac consulendi facultas concessa fuisset . Huc usitatus operandi modus accedit , & regerendi humanas actiones legibus , consiliis , præceptis , per exhortationes , ac reprehensiones , ostensionem præmiorum , & pœnaru[m] comminationem , quæ omnia supervacanea erent , si homo necessitate naturæ in operando ferretur , & non sua sponte , & libera facultate ageret . Hanc rationem insinuavit D. Th. 1. p. q. 83. art. 1. Et profectè hoc quam maximè hominis dignitatem commendat , ut ius sponte in ea feratur , quæ sibi convenientia judicat ; & non instinctu naturæ in illa more brutorum ducatur , ac moveatur . Ut recte adnotavit D. Cyril. lib. 8. & 3. cont. Julianum , Mittimus alias rationes , & argumenta contraria ex sacræ Scripturæ testimoniis desumpta , quia hoc Theologici potius est negotii . Vide M. Bannes loc. cit. Albertum Pigum per 10. lib. Driedonem lib. de gratia , & libero arbitrio tr. 1. Decanum Lovaniensem art. 7. contra Lutheranos . M. Soto lib. 1. de nat. & grat. Bellarminum lib. 3. de grat. & lib. arb. & alios Theologos horum temporum .

43 Sit-ne liberum arbitrium potentia aliqua , vel habitus : distincta-ne à voluntate , vel eadem realiter cum illa ; & an sit potentia activa , vel passiva , indubium vertitur . Circa quod D. Thomas in 1. d. 25. q. unica a. 1. quorundam sententiam refert asserendum liberum arbitrium non esse potentiam , sed habitum ; qui tamen ab ipsa potentia realiter indistinctus est ; estque habilitas quadam , seu facilitas potentiae ad ipsos actus liberos producendos : unde liberum arbitrium arbitrii sunt facultatem voluntatis dici ; id est , facultatem quandam illa um potentiarum ad liberos suos actus exercendos .

44 Quam opinionem egregie confutat S. D. duplicitate : quarum prima est : natura est homini q. od.

libero arbitrio polleat, cum naturaliter agat ex con-
filio & electione, sique dominus suus actus, ita ut sit
in ejus potestate agere, vel non agere, ut docet Philo-
sophus lib. 3. & 6. Ethic. si ergo liberum arbitrium
sit habitus, seipso naturalis habitus erit: sed nullus ha-
bitus naturalis nobis inest ad ea, quæ libero subsunt
arbitrio: ergo nequit esse habitus. Proba. min. ad ea,
quorum naturales habitus nobis insunt, naturaliter in-
clinamur; v. g. ad primorum principiorum assensum:
sed ea ad quæ naturaliter ferimur, & inclinamur, li-
bero arbitrio non subsunt; sicut de appetitu beatitudi-
nis manifestum est: ergo nullus habitus naturalis nobis
inest ad ea quæ libero arbitrio subjacent.

45 Secunda ratio est: habitus dicuntur, secundum
quos ad passiones, vel ad actus, bene vel male nos ha-
bemus; ut dicitur 2. Ethic. cap. 6. v. g. per temperan-
tiam nos bene ad concupiscentias habemus; per intem-
perantiam autem male: per scientiam etiam nos ad
actus intellectus bene habemus, dum verum cognoscimus:
per habitum autem ipsi contrarium male: sed
liberum arbitrium indifferenter ad bene, vel male eli-
gendum se habet: ergo liberum arbitrium non est ha-
bitus. Confirm. inter habitum, & potentiam hoc dis-
crimen intercedere videtur, quod potentia ad opposi-
ta se habens, per habitum ipsum ad unum determina-
tur: sed liberum arbitrium nominat aliquid ad opposi-
ta se habens: ergo liberum arbitrium non est habitus.

46 Relinquitur ergo quodd liberum arbitrium sit po-
tentia: nam secundum Philosophum 2. Ethic. in ani-
ma tria duntaxat reperiuntur; potentia, habitus, &
passio: sed liberum arbitrium non est habitus, ut dixi-
mus, nec passio, cum sit in superiori parte animæ; pas-
sio autem, & passibilis qualitas circa partem animæ
sensitivam versantur ergo erit potentia. Nam est libe-
rum arbitrium secundum id, quo nomen impositum
est, seu propriam vocabuli significationem, actum
nominet, tamen communius usu loquendi accommoda-
tum est ac derivatum ad designandum hujusmodi actus
principium; nimiri vim, seu facultatem, aut po-
tentiam, quæ quæ libere judicat. Unde, & quando ip-

se homo actu nihil liberè judicat, aut eligit, etiamnum libero potitur arbitrio; nec per cessationem ab actu ipsum deperdit: non ergo consistit in actu, sed in principio talis actus. Deinde quia si arbitrij libertas in aliquo actu consistere dicatur, vel ille hujusmodi actus erit a potentia libera elicitus, vel non? Si primum dicatur, jam ex ipso fatendum est liberam aliquam potentiam antecedere hujusmodi actum, ut sit ejus principium. Si secundum dicatur; ille actus non liber, sed necessarius erit; unde in eo libertas arbitrij minime consistere poterit. Ex D. Th. 1. p. q. 83. a. 2. & q. 14. de verit. a. 4.

47 Explicandum ergo superest quænam potentia illa sit? Supponendum est tanquam certum liberum arbitrium, seu principium proximum actionis liberæ esse potentiam aliquam substantiæ spiritualis, quatenus spiritualis, seu intellectualis est. Quia res non habet dominium suū actus, nisi quatenus intellectualis est: ergo non pollet hoc dominio nisi per facultatem pertinentem ad gradum intellectualem, qui per se, & secundum se immaterialis est. Unde potentiae illæ, & facultates, quæ non competit animæ ut intellectualis est, sed ut sensitiva, vel vegetativa, nec simpliciter sunt immateriales, profecto non sunt formaliter immediatum, principium actus liberi; nec in eis libera facultas, seu liberum arbitrium constitui potest. Esto illorum actus quodammodo liberi sint, prout istæ potentiae a potentia superiori & libera ad agendum moventur, & applicantur.

48 Cujus rei gratia animadvertisendum est dupliciter aliquam actionem liberam determinari posse; scilicet ut actum elicitem, seu proximi in ordine ad principium hujusmodi actus effectivum; quo pacto volitio libera dicitur: vel ut actum imperatum, seu remote in ordine ad potentiam moventem, & applicanter inferiores potentias ad operandam, quomodo deambulare liberum dicitur. Quia si actus à voluntate imperatus, ceu potentia liberè movente, & applicante potentiam deambulativam ad actum suum. Cum ergo agimus de principio proximo actus liberæ, intelligendum

gendum venit de actione propriè , & simpliciter libera , in ordine ad suum formale , & intermediatum principium ; quo pacto dicimus oportere quod hujusmodi principium sit potentia intellectualis , & non materialis aut sensitiva . Esto in his potentiis quodammodo , & secundum quandam imperfectam libertatis rationem , liberum arbitrium inveniri dicatur ; prout quodammodo attingunt ad superiores potentias intellectuales , supremum enim insimi attingit insimum supremum ; quemadmodum & in brutis reperiri posse alibi ostendemus ex S. D. q. 24. de verit. a. 2.

49 Supposito igitur , quod liberum arbitrium non nisi potentia intellectualis esse possit , oritur difficultas apud ipsam et potestia volitiva , vel intellectiva , vel tertia potentia ab illis realiter distincta ? D. Thom. loc. cit. art. 6. cap. suppresso nomine quorundam sententiam refert , qui existimaverunt liberum arbitrium esse tertiam potentiam ab intellectu seu ratione , & voluntate distinctam . Hæc sententia D. Alb. M. placuisse videtur sum. de hom. tr. 1. q. 68. a. 2. & in 2. d. 24. a. 5. Alensi 2. p. q. 72. m. 2. a. 1. §. 3. & aliis qui bulldam Antiquis . Ratio est : quia potentiae per actus suos distinguuntur : sed actus liberi arbitrij est distinctus ab actu rationis , & simplicis voluntatis ergo etiam specialis potentia à ratione & voluntate distincta constitui debet , quæ sita sit in contractu rationis dijudicantis , & voluntatis complete volentis . Min. prob. actus liberi arbitrij , ex D. Augustino , est electio , seu eligere , quod simpliciter non est volitio , vel cognitio sola ; sed aliquid ab utroque distinctum , aliquid tamen de utroque participans : nam eligere propriè est ex duabus propositis unum altero praæoptare : praæponere ipsius rationis est , praæoptare autem ad voluntatem fractat .

50 Cujus rei gratia notat idem D. Alb. M. loc. cit. in opere animæ rationali quatuor sibi invicem succedere . Quorum primum est actus rationis , qui considerando appetibilia ipsi animæ proponit , arguit quid appetendum , fugiendum ve . Secundum est actus voluntatis in alterum appetibilem inclinantis , ac pro-

propendentis , seu consentientis . Tertium est actus quo eligit , unumque præ alio præoptat . Quartum est perfecta voluntas , quæ ad consecutionem ipsius appetibilis decreti per rationem , per voluntatem præoptati , & per liberum arbitrium electi movet . Quia vero de appetib[us] arbitrari rationis est , libertas autem volendi , vel non volendi ipsius voluntatis est , liberum arbitrium utrumque sequitur , unum præ alio eligendo .

51 Attamen liberum arbitrium non esse sp[eci]cilem potentiam a ratione , & voluntate realiter distinctam , docet D[omi]n[u]s Thom[as] loc. cit. ex q. 24. de verit. &c i. p. q. 83. a. 4. sed esse ipsam metu potentiam voluntavam , seu voluntatem , prout rationalis est . Sumitur ex D. August. seu potius Gennadio lib. de Ecclesiast. dogm. c. 20. afferente libertatem arbitrij esse ipsam rationalem voluntatem . Idem docent D. Damasc. lib. 3. cap. 14. D. Chrysost. homil. de verb. Isaiæ c. 1. quos sequuntur communiter Theologi , ac Philosophi . Probaturque i. ex Philosopho lib. 3. Ethic. dicente quod electio est appetitus præconsiliati : sed electio est actus liberi arbitrij : ergo liberum arbitrium est potentia appetitiva : sed non est appetitus inferior , qui dividitur per fascinum , & occupiscibilem : alioquin bruta libero prædicta essent arbitrio , cum in eis hujusmodi appetitus reperiantur : ergo est appetitus superior , qui est ipsa rationalis voluntas .

52 Prob. 2. ratione D. Thomæ i. p. q. 83. art. 4. sicut ex parte intellectus se habent intellectus , & ratio ; ita ex parte appetitus se habent voluntas , & liberum arbitrium , quod nihil aliud est quam vis electiva ; sed ejusdem potentiae est ratiocinari & intelligere , sicut ejusdem virtutis est quiescere , & moveri : ergo etiam ad eandem spectabit potentiam esse , & eligere : perinde idem realiter erunt voluntas , ac liberum arbitrium . Maj. latè explicata manet supra .

53 Vnde ad rationem dubitandi respond. ex D. Th. ibid. ad 2. quod electio , seu eligere equidem est actus à simplici volitione distinctus , ad eandem tamen potentiam pertinens . Nam simplex volitio tantummodo

est de fine, qui propter se appetitur; eligere vero est propter alterum consequendum: ejusdem autem potentia est tendere ad finem, & ad ea, quae sunt ad finem, suntque isti actus quodammodo inter se subordinati.

54 Objicies præterea D. Clement. lib. 3, recognit. asserentem, liberum arbitrium esse sensum animæ: sed sensus est res à voluntate distincta: ergo &c. Deinde D. Thom. 2. cont. gent. cap. 48. docet quod habere liberum arbitrium est habere liberum iudicium: sed habere iudicium ad partem cognoscitivam spectat: ergo liberum arbitrium est res à voluntate distincta. Tandem c. 12. D. Damas. lib. 2. de fide Orthod. c. 12. inter Thelism, & Bulism realiter distinguit: sed Thelius est simplex voluntas; Bulism autem est voluntas, quæ est circa aliquid per comparationem ad alterum, quod propriæ libero arbitrio competit; ergo liberum arbitrium est alia potentia à voluntate.

55 Resp. ad 1. ibi sensum large sumi pro ipso appetitu. Nam, ut docet D. Th. 1. 2. q. 15. a. 1. sensus aliquando pro ipso appetitu usurpatur; unde aliquis actus voluntatis decipiatur, qui dicitur contentus. Ita sumitur Genes. c. 8. ubi dicitur quod sensus & cogitatio humani cordis sunt prona ad malum ab adolescentia sua. Quem locum Interpretes communiter exponunt de appetitu hominis inordinato. Ad 2. respondet Ferrara loc. cit. in libero arbitrio duo esse, & quod sit iudicium, & quod sit liberum. Primum ad intellectum pertinet, secundum autem ad voluntatem spectat. Nam ex libertate voluntatis libertas in iudicium intellectus, quemadmodum, & aliarum potentiarum operationes derivatur. Resp. 2. cum M. Bannes liberum iudicium ibi non accipi pro actu intellectus iudicantis, sed potius pro electione voluntatis acceptans, & eligentis illud medium, quod per consilium, & iudicium rationis propositum est tanquam conveniens. Sumiturque hæc solutio ex D. Th. na vieta q. 83. a. 2. ad 1. ubi ait: quod iudicium est quasi conclusus, & determinatio consilii. Determinatur autem consilium, prima quidem per sententiam rationis, & secun-

Secundo per acceptationem appetitus. Vnde Philosophus lib. 3. Ethic. c. 3. dicit quod ex consiliatis judicantes, desideramus secundum consilium. Resp. ad 3. ex eodem S. D. Thelisim à Bulisi distingui; non quidem ob diversitatem potentiarum, sed actuū.

56 Hujusmodi potentia activa est, cum sit potestas quædam agendi, & non agendi; vel oppositum agendi. Vnde D. Aug. lib. contra Adimant. Manic. c. 26. ait: In voluntatis potestate possum est ita mutari, ut bonum possit operari. Et Methodius lib. de libero arbitrio hoc libertatem declarat quod homini data est potestas faciendi, quæ velit. Ac denique Concilium Tridentinum sess. 6. c. 4. & can. 4. & 5. ut n. træ voluntatis libertatem tueatur; docet eam in suis actibus non merè passivè se habere, sed activè illos operari; insinuans usum libertatis in actione consistere: facultatem autem libertatis in potentia aliqua, quatenus activa est. Probaturque ratione: quia passio ut passio patienti ut sic libera esse nequit, sed quatenus actio, à qua ipsa provenit, illi est libera; cum actio in passo passionem inferat: ergo libertas formaliter non est in potentia ut paciente, sed ut agente. Cœtera, quæ ad libertatem pertinent in Metaphysica explicabimus.

ARTICULUS QUINTUS

Vtrum voluntas sit nobilior potentia quam intellectus.

57 S Ententiam affirmativam tueruntur Scotus in 4. dist. 49. q. 4. & omnes illius Discipuli. D. Bonaventura, ibid. Ocham, Gabriel, Argent. Aureoli, Alensis 3. p. q. 80. & alii quamplures. Negativam autem defendunt D. Th. 1. q. 82. a. 3. & communiter omnes illius Discipuli. Cum quibus sentiunt Durandus Vasquez, Suarez, Ruyius, Conimbricens, & alii quamplures. Vtramque opinionem probabilem reputant Major in 4. d. 49. Navarus in Mannuali præclud. 3. & alii nonnulli.

58 Notandum est ex S. D. q. 22. de verit. a. 11. &

1. p. q. 82. a. 3. aliquid posse alio dici eminentius sive nobilior dupliciter, nimirum simpliciter & secundum quid. Nobilitas simpliciter attenditur penes ea, quæ rebus essentialiter & absolute convenientia, v. g. homo simpliciter & absolute leone nobilior est, quoniam essentialia differentiam nobiliorem habet, scilicet rationale, quod nobilior est irrationali. Ibidem vero eit nobilior secundum quid, quod est nobilior & eminentius penes aliquid accidentaliter sibi conveniens, vel per habitudinem ad alterum; v. g. leo dicitur nobilior leone secundum fortitudinem, & ideo secundum quid quoniam fortudo est differentia quædam accidentaliter utriusque conveniens. Differentia autem essentialis ac simplicitate potentiarum sumitur penes habitudinem ab objecta formaliter sumpta, seu penes rationes formales objectivas earum. Vnde illa potentia est nobilior simpliciter, quæ habet nobilior objectum formaliter, sive nobiliorem rationem formalem objectivam. Differentia autem secundum quid potentiarum desumitur penes ea, in quibus ratio formalis objecti reperitur; v. g. auditus est secundum quid nobilior visu, in quantum sonus reperitur in re nobiliori, quam color, quamvis color sit nobilior ac simplicior sono; & visus albi secundum quid est nobilior visione nigri, quoniam ratio formalis objectiva visus, nimirum coloratum reperitur in re nobiliori, scilicet albo, quod nobilior est nigro.

59 Notandum est ex eodem S. D. ibid, comparationem voluntatis ad intellectum dupliciter considerari seu accipi posse. Primo absolute & in universalis, siue secundum rationes formales objectivas eorum absolute sumptis, quatenus natæ sunt ipsam potentiam tali modo perficere; v. g. comparando verum a bonum absolute sumptum, quatenus intellectus natus est per hoc aero seu propria forma & actu, seu proprio motivo, voluntas vero a bono. Secundo per ordinem ad res, in quibus reperitur ratio boni atque veri. Quæquidem sunt in duplice differentia: aliae enim sunt res naturales ac sensibles, quæ sunt inferiores tam intellectui, quam voluntate: quæ sunt quid immateriale ac

spirituale; unde nobiliori modo habent res esse in intellectu quam in se: quoniam in intellectu habent esse immaterialiter; in se vero habent esse materialiter: habere autem esse immaterialiter nobilius est, quam habere esse materialiter, ut patet. Alioquin vero sunt res divinae, ut Deus, quae sunt Anima superiores: & istae nobilioris habent esse in se, quam in intellectu, quemadmodum notauit idem S. D. explicans illa Apostoli verba i. ad Corinth. c. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae præparavit Deus his, qui diligunt illum.* Ait enim: *Res sunt in intellectu secundum modum ejus: res igitur inferiores sunt in intellectu altiori modo, quam in seipsis.* Et ideo quando ab intellectu capiuntur, *quodammodo in cor ascendunt.* Vnde dicitur Isaiae 5. Non erunt in memoria priora nec ascendent super cor. Illa vero quae sunt intellectu superiora, altiori modo sunt in seipsis, quam in intellectu. Et ideo quando ab intellectu capiuntur, *quodammodo descendunt.* Iacobi 1. Omne donum perfectum desursum est descendens a patre lumen. Quia igitur illius gloria notitia non accipitur a sensibilibus, sed ex revelatione divina, ideo signanter dicit, *Nec in cor hominis ascendit.*

¶ 60 Conclusio: absolute & simpliciter loquendo intellectus, in ratione potentiae agentis per apprehensionem objecti, est nobilior quam voluntas, licet voluntas secundum quid, & ex parte rerum, in quibus reperitur ratio objectiva utriusque, & circa quas versantur, nobilior sit voluntas quam intellectus, cum versantur circa res illis superiores, nimirum divinas; non vero si versantur circa res sensibiles, ac inferiores illis. Ita D. Th. i. p. q. 82. a. 3. & q. 20. de verit. a. 3. & pro. ex eodem: verum, quod est objectum ipsius intellectus, est multo praestantius in ratione objecti, quam bonum, quod est voluntatis objectum, sed excellentia & perfectio potentiae attenditur penes objectum, scilicet rationem formalem objecti, a qua suam speciem sumit: ergo intellectus simpliciter est nobilior potentia, quam voluntas. Min. patet: quia per intellectum & nobilitatem cuiuslibet rei, sequitur ad propriam formam

mam per quam constituitur in esse , nobilioremque actum essendi , seu differentiam sortitur : unumquodque enim instantium est perfectum , in quantum est actu ; est autem actu per propriam formam , quæ præbet ei speciem . Maj. vero prob. in potentiss. cognoscitivis nobilitas objecti desumitur penes majorem immaterialitatem , ac spiritualitatem ; sed verum est ex se immaterialius , ac spiritualius objectivè , quam bonum : ergo simpliciter habet nobiliorem objecti rationem .

61 Maj. prob. potentia cognoscitiva non perficiuntur à suis objectis secundum esse materiale , & reale ; sed intentionaliter ac spiritualiter ; non enim lapis secundum se est perfectio intellectus , sed species immaterialis , ac intentionalis ipsius ; nec enim lapis secundum suum esse reale recipitur in aliqua potentia cognoscitiva ; ac subinde non potest eam perficere per modum formæ actuantis , ac speciem præbentis . Min. etiam prob. verum in ratione motivi , ac determinati vi ipsius intellectus solam quidditatem importat , ac rationem ipsius rei abstrahendo ab omni ratione particulari , sive existentia rei : bonum autem in ratione motivi ipsius voluntatis apprehenditur ut existens in rebus , vel ut potens existere : unde solet dici quod bonum est in rebus existens , verum autem in intellectu : quod debet intelligi de ratione formalí objectiva veri , & boni , cum verum secundum esse , & transcedentaliter non minus sit in rebus ipsis , quam bonum ; sed quidditas & ratio rei habet majorcm immaterialitatis , ac spiritualitatis modum , rationemve , quam prout existit in re , cum sub hac ratione sit in ipsis rationibus particularibus immersa , quæ sunt in materiales respectu formalis quidditatis , & essentiæ rei : ergo verum est immaterialius , quam bonum in ratione perficiendi , & movendi objectivè : ac per consequens nobiliori modo perficit , quam bonum . Hinc est quod D. Th. afferat beatitudinem formaliter in operante potentia intellectivæ consistere , quia est operatio nobilioris potentia simpliciter .

62 Respondet Mastrius , imprimitus falso est quod verum sit abstractius & simplicius bono ; quoniam ambo-

bo sequuntur ens in eadem abstractione. Deinde etiam falsum esse voluntatem ferri non posse in objectum à singularitate & existentia præcisum, sicut fertur intellectus: nam & ipsa comparatur ad bonum in communi velut ad objectum; & etiam ad bonum impossibile quantum ad simplicem affectum. Falsum tandem esse ait, quod objectum abstractius & simplicius sit perfectius: quia quidditas cum existentia utique perfectior est, quam ab ea præcisa, nendum in esse rei, sed etiam in esse objecti: nam hac de causa objectum cognitionis intuitivæ, quod est natura & quidditas ut existens, perfectius censeatur, quam objectum abstractivæ, quod est simplex quidditas & natura ab existentia præcisa: neque ex alio capite notitia intuitivæ abstractivæ præfertur.

63 Sed profecto hæc solutio nullatenus vim præfatae rationis enervat: etenim nobilitas potentiae simpliciter & absolute defumi non debet per ordinem ad ea, in quibus ratio formalis sui objecti reperitur, sed penes ipsas rationes formales objectivas, à quibus potentiae specificantur, & ab invicem essentialiter distinguuntur: sed esto res, in quibus reperitur ratio objectiva boni exercitè, sint nobiliores, quam res, in quibus reperitur ratio veri. Tamen absolute & secundum suas rationes objectivas ratio veri, ut est perfectiva tali modo ipsius intellectus, est nobilior ratione boni, ad quam voluntas ipsa fertur: ergo simpliciter & absolute, & secundum comparationem ad suam rationem formalem objectivam, à qua essentialiter specificatur, nobilior est intellectus, quam voluntas, licet ista quoad res, in quibus talis ratio objectiva reperitur, sit nobilior, ac perinde secundum quid. Major patet ex dictis, nam visus est nobilior quam auditus, quia color lucidus est nobilior sono, secundum rationem objectivam & modum immutandi potentiam spiritualiter, & tamen contingit scilicet reperiiri aliquando in re nobiliorem quam colorem, ut puta si quis audiat vocem hominis, & videat colorem lapidis: & cum quis videt abelinem hominis, & nigredinem corvi, nobilior est visio animalis hominis, quam nigredinis corvi sonum acciden-

taliter & secundum quid, quoniam scilicet ratio objectiva in re nobiliore reperitur. Min. verò prob. quia ratio objectiva veri perficit intellectum prout est forma & actus illius mediante sua specie intelligibili informans intellectum, & constituens illum in actu; ratio autem boni est in re, & per ordinem & inclinationem exercitam ad ipsum voluntas perficitur sua ratione objectiva: sed absolutè & simpliciter loquendo nobilius est habere perfectiones rerum in se, quam ad rem nobilium comparari extra se existentem: ergo simpliciter & absolutè loquendo ratio veri, ut est perfectiva tali modo ipsius intellectus, est nobilior ratione objectiva boni.

64 Unde perperam Mastrius imprimis assertum falsum esse, quod verum sit abstractius & simplicius bono secundum suam rationem objectivam, & subinde habeat modum spiritualiorem immutandi potentiam, quam bonum. Etenim ratio veri exercitè sumpta est movens intellectum secundum quodquid est ipsius rei, abstrahendo à conditionibus individuandibus, & se habet ut forma rei secundum se & in sua puritate accepta, quemadmodum supra explicatum est; ratio autem boni ut est motiva voluntatis de se non abstrahit à ratione existentiæ, nec dicit solam formam & rationem rei in sua puritate, sed ab illa abstrahit. Unde licet materialiter & in esse rei ambo sint idem cum ente, & convertantur cum illo, non tamen secundum suas rationes formales objectivas. Multominus falsum est, quod voluntas non feratur nisi in rem ut existentem actu, & in re, vel saltē in spe: quoniam bonum non inclinat voluntatem nisi ut possidetur actu, vel cum est spes & desiderium illud in re & cum effectu possidendi: sed bonum in re atque in effectu non est nisi existens: ergo bonum ut habet terminare voluntatis inclinationem debet esse existens actu & in re, vel in spe. Tandem neque ratiū est, quod ratio objectiva intellectus ab existentia abstrahat: nam ex Arist. 3. de Anima objectum intellectus est quodquid est ipsius rei, cui accedit existentia exercitè sumpta, cum sit prædicatum contingens; hæc enim non est prædicatio necessaria, Petrus existit, alioquin non posset non existere: ergo ob.

objectum intellectus abstrahit de se ab existentia rei ; Deinde notitia abstractiva simpliciter est actus intellectus , & tamen non versatur circa existentiam exercitè, sed abstrahit ab illa . Quòd autem notitia intuitiva versetur circa existens non habet ex ratione formalis objectiva ipsius cognitionis intellectivæ formaliter & secundum se sumptæ , sed est extra genus notitiæ , ut docet D. Thomas q. 2. & 3. de verit. Ab eo autem quod est extra genus rationis formalis objectivæ non desumitur simpliciter differentia & nobilitas illius ,

Solvuntur Argumenta Contraria.

65 **A** Rg. I. inter omnes ipsius Animæ potentias sola voluntas est potentia libera habens dominium sui actus ; ut regina movet ceteras potentias , ex D. Anselmo de concept. Virg. c. 4. ipsaque sola potest dicere , sic volo , sic jubeo ; unde S. Bernardus lib. de libero arbit. rationem voluntatis pedisquam nominat : ergo voluntas est nobilior potentia quam intellectus .

66 Resp. quòd equidem sola voluntas est libera uti subjectum liberatis ; attamen quoad originem & radicem libertas est in intellectu ; uti ostendetur in Metaphysica ; unde ex hoc capite non concluditur voluntatem esse nobiliorem intellectu , sed è converso intellectum esse nobiliorem voluntate . Habet pariter dominium super alios actus , sed inde non concluditur eam simpliciter & absolyte esse nobiliorem , sed secundum quid , nimirum in movendo . Ita sumitur ex D. Th. cit. q. 22. de verit. a. 11. ad 2. ubi ait ; *Dicendum quod libertas voluntatis non ostendit eam esse nobiliorem simpliciter , sed in movendo , seu quoad exercitium :* non vero quoad rationem formalem objectivam ac specificativam . Vide Tabulam Auream dub. 771. & 772.

67 Arg. : nobilitas potentiarum à nobilitate objectu descendit et ; sed objectum voluntatis est non ipsius objecto ipsius intellectus ; ergo etiam voluntas est nobilior intellectu . Prob. min. objectum intellectus est rectius ; voluntatis autem bonum ; sed bonum est nobilitas.

676. Quæst. Ult. De Appetitu sensitivo.

Iius atque perfectius vero: ergo objectum voluntatis est nobilis objecto ipsius intellectus. Min. pater, nam perfectio entis per bonitatem explicatur, estque unum quodque in tantum bonum, in quantum est perfectum & integrum. Conf. bonum & finis est objectum voluntatis: sed finis est prima & altissima causarum: ergo objectum voluntatis est nobilis objecto ipsius intellectus.

68 Resp. dist. maj. nobilitas potentiae desumenda venit à nobilitate objecti materialiter & in esse entis sumpti, duntaxat, nego min. secundum rationem formalem objectivam sumpti, quā habet potentiam immutare, & illam in actu constituere, corc. maj. & nego min. Ad cujus prob. dist. min. bonum est nobilis vero, si materialiter sumatur & quantum ad res in quibus reperitur ratio objectiva, transeat: si sumantur formaliter, & quoad suas rationes formales objectivas, quibus habent proprias immutare potentias, & illas in actu constituere, nego min. & conseq. Nam, ut probatum est supra, verum est immaterialius ac spiritualius bono, subindeque perfectiori modo immutat & constituit in actu suam potentiam, quam bonum.

69 Ad conf. respondet D. Th. i. p. q. 82. a. 3. ad 1. Dicendum, inquit, quod ratio causa accipitur secundum comparationem ad alterum: & in tali comparatione ratio boni principaliter invenitur: sed verum dicitur magis absolute, & ipsius boni rationem significat: unde & bonum quoddam verum est. Sed rursus & ipsum verum est quoddam bonum, secundum quod intellectus res quedam est, & verum finis ipsius. Et inter alios fines iste finis est excellentior, sicut intellectus inter alias potentias. Hanc secundam solutionem tradit etiam D. Th. q. 22. de verit. a. 11. ad 3. dicens: Cum verum sit quoddam bonum & est enim bonum intellectus, ut pareat per I. Sophum in 6. Ethic. c. 2. non est dicendum, quod bonum sit nobilis vero; sicut nec quod animal sit nobilis in nomine; cum homo includat in nobilitatem animalis, & superaddat. Loquimur enim de bono, & ero secundum quod sunt objecta voluntatis & intellectus.

70 Arg. 3. actus specificant potentiam, & quia perfectiores sunt potentiam nobiliorem pro principio exigunt: sed actus voluntatis est perfectior quam actus intellectus: ergo voluntas etiam est perfectior intellectu. Prob. min. 1. supremus actus voluntatis est actus charitatis, quo Deum amamus; supremus vero actus intellectus est cogitatio, qua Deum attingimus sicuti est: sed actus ille charitatis cognitionem hujusmodi in nobilitate superat: ergo actus voluntatis est perfectior actu intellectus. Prob. min. tum quia actus charitatis nos magis unit Deo summo bono; unde actus charitatis intrinsecè repugnat aversio à Deo, non autem ejus intellectioni: tum etiam quia excellentia amoris constituit supremum ordinem Angelorum, nempe Seraphim; non autem excellentia scientiae, quæ constituit ordinem Cherubinorum. Tandem actus voluntatis facit hominem bonum; non autem actus intellectus.

71 Conf. nobiliore potentiæ nobilior habitus attribui debet: sed habitus voluntatis est charitas, quæ cæteris virtutibus & habitibus, etiam infusis excellentior est; ut patet ex Apostolo 1. ad Corinth. c. 13. dicente *Major autem horum est Charitas*: ergo voluntas est nobilior intellectu & cæteris animæ potentiis. Nec valet dicere Apostolum loqui pro statu viæ; quia pro statu patriæ lumen gloriae perfectius est. Non, inquam, valet, quia ex eisdem Apostoli verbi ibid. colligitur, Charitatem etiam in patria eandem retinere eminentiam, quam habet in via; ait enim, *Charitas nunquam excidit*: immo ibi crescit, cum fiat consummata. Deinde quia D. Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 19. ait in donis Dei nullum esse majus charitate, nec æquale: ubi universaliter loqui videtur de donis viæ ac patris. Unde & idem Apostolus ad Ephes. c. 3. loquens de Charitate Christi Domini, qui nedium erat viator sed etiam conprehensor, vocat illam, *Supervenientis scientie statem*. Ideo Hugo de S. Victore cap. 7. cap. D. Dionysii de Cœlesti herarch. ait: *Dilexit supereminet scientię, & major est intelligentia; plus enim diligitur, quam intelligitur; quia intrit dilectio, ubi sciencia foris est.*

72. Resp. ad arg. & confirm. simul ex D. Th. q.
de verit. a. 11. & in 3. dist. 27. q. 1. 4. ex his rationibus
non concludi, quod voluntas sit absolute & implicititer
nobilior, sed per habitudinem ad ea, in quibus ratio
objectiva formalis illius reperitur, quæ sunt divina &
excedentia naturam animæ rationalis, & potentiarum
illius. Unde his optimè secunda pars conclusionis com
probatur; non autem aliquid contra primam conclu
ditur. Et hæc dicta sufficient de his quæ ad hosce tres
de Anima libros spectant. Quæ desiderantur, in Me
taphysica pertractabuntur. Die 20. Martii 1686.



I

IN-

INDEX

Librorum, Quæstionum, Articulorum, &
Capitum.

LIBER PRIMUS DE ANIMA.

QVÆSTIO I. PRÆLUDIALIS

De subjecto.

pag. 9.

Articul. 1. Vtrum Anima sit subjectum formale horum Librorum. 10

Caput 1. Quid Animæ vox significet. ibid.

Caput 2. Statuitur Animam secundum se & quasi abstractivè designatam esse subjectum horum Librorum. 13

Articul. 2. Solvuntur Argumenta, & discutitur utrum Animæ rationalis consideratio ad hanc scientiam attineat. 19

QVÆSTIO II.

De Anima Natura & Quidditate secundum Veterum Philosophorum opinionem. 22

Articul. 1. Veterum Philosophorum, qui Animam corpus aliquod esse asseruerunt, opinions recensentur, & confutantur. Ibidem.

Caput 1. Referuntur illorum sententiæ, qui Animam aliquod corpus simplex esse afferarunt. Ibid.

Caput 2. Recensentur eorum opinione, si Animam aliquod corpus è pluribus compositum, vel mixtum esse dixerunt. 34

Caput 3. Relata quorundam Patrum opinione, V n 4 qui

qui pariter Animam corpus quoddam
esse dixerunt, stabilitur veritas. 39

Articul. 2. Philosophorum opinione*s* sententur,
qui Animam aliquod accidens esse pu-
tarunt, & confutatur; ostenditurque
illam esse substantiam, & cujusmodi
substantia sit. 45

Articul. 3. Platonis de Anima sententia proponitur
& explicatur. 54

L I B E R S E C U N D U S D E A N I M A.

Q V Ä S T I O I I I.

De Animæ Natura & Quidditate secundum Peripa-
teticos & veram sententiam. 61

Articul. 1. Vtrum Anima rectè à Philosopho defi-
niatur, Actus primus corporis Physici
organici &c. ibid.

Articul. 2. Vtrum secunda Animæ definitio ab Aris-
totele tradita sit exacta. 75

Articul. 3. Vtrum Anima in Vegetativam, Sen-
sitivevam, & Intellectivam rectè dividatur.
pag. 82

Articul. 4. Vtrum sint quatuor vivendi modi, seu
gradus; nempe Intellectivum, Sensiti-
vum, Locomotivum, & Vegetativum.
pag. 86

Articul. 5. Per quid viventia à non viventibus dis-
tinguantur. 91

Articul. 6. Vtrum in plantis, aut aliis quæ animalia
non sunt, sit vita sensitiva sive sensus,
in animalibus autem brutis ratione. 95

Articul. 7. Vtrum omnis anima secundum enatiam
suam sit indivisibilis. 95

QVÄS-

Q V Æ S T I O I V.

De Anima quod ejus informationem , & corpore
quod ejus materia . 119

Articul. 1. Vtrum in quolibet vivente præter An-
imam sit aliqua corporeitatis forma rea-
litter ab ipsa distincta . ibid.

Artic. 2. An in nomine sint tres animæ realiter dis-
tinctæ : & quomodo una anima in alia
contineatur . 120

Articul. 3. Vtrum omnes & singulæ partes ipsius
corporis animati informentur per animam .

Caput 1. An sanguis , & reliqui tres humores ani-
ma informentur , & qua ratione . 131

Caput 2. Capilli ne , dentes , & ungues anima in-
formentur . 147

Q V Æ S T I O V.

*De partibus Corporis Humani , quod est Animæ
instrumentum , & materia compositi .* 154

Articul. 1. Quid & quotuplex sit pars corporis . 154

Articul. 2. De partibus similaribus in particuliari . 155

Caput 1. De cibis , & cartilagine . it

Caput 2. De Ligamentis , Membranis , Villis . 162

Caput 3. De Venis . 164

Caput 4. De Arteriis , & Nervis . 173

Caput 5. De Carne . 177

Artic. 3. De partibus organicis ac dissimilari bus . 178

Caput 1. De Capite , & organis animalibus . 179

Caput 2. De Collo . 191

Caput 3. De Thorace , & illius præcipuis parti-
bus . 194

Caput 4. De Ventre inferiore & organis
libus . 200

Caput 5. De Manibus ac Pedibus , seu Articulis . 204

Artic. ult. Vtrum omnes corporis partes sint ejus-
dem speciei . 206

Q V Æ S T I O VI.

- De potentia Animæ in communi. 209
Articul. 1. Vtrum potentia Animæ realiter ab es-
sentia illius distinguantur. *videtur*
Articul. 2. Vtrum potentia Animæ ab ea fluant,
& in ea recipiantur, ut subjecto. 217
Articul. 3. Vtrum potentia animæ specificentur, &
distinguantur per objecta. 220
Articul. 4. Quot sint genera potentiarum Animæ.
PAG. 227

Q V Æ S T I O VII.

- De Potentia Generativa: 236
Articul. 1. Quid sit Potentia Generativa, quidve se-
men, quod est instrumentum ejus. 237
Articul. 2. Vtrum femina activè concursat ad ge-
nerationem prolis. 240
Articul. 3. In quo sit Potentia Generativa, 248
Articul. 4. Vtrum Potentia Generativa in omnibus
reperiatur viventiis. 240

Q V Æ S T I O VIII.

- De Potentia Nutritiva, & Nutritione. 256
Articul. 1. An sit nutritio, potentiaque nutritiva,
& quid sint. *ibid.*
Articul. 2. Sit ne potentia nutritiva aliquid distinc-
tum à temperamento, vel calore natu-
rali. 260
Articul. 3. De actu proprio, & motu nutritivo, qui
est nutritio, in quo consistat. 262
Articul. 4. Vtrum nutritio semper duret, quandiu
animal vivit. 265
Articul. 5. De termino ipsius nutritientis, si modo
nimirum ad partiale subitant am vi-
ventis, seu partes substan- termine-
tus. 267
Articul. 6. Vtrum in omnibus partibus mate-
riæ poi-

possit fieri deperditio , & restauratio.
pag. 268

Q V A E S T I O I X.

*De Potentia Augmentativa, & Augmentatione, ac
Diminutione.* 272

Articul. 1. Quid sint Potentia Augmentativa, Aug-
mentatio, ac Diminutio. ibid.

Articul. 2. Vtrum Augmentatio, & Nutritio sint mo-
tus continui, ac successivi , à tempore,
quo animal nutritri i[n]c[ep]tit. 277

Articul. 3. Vtrum omni vitæ tempore vivens au-
geatur ? 280

Articul. 4. Vtrum vivens idem numero maneat an-
te , & post augmentationem , seu toto
vitæ decursu . 283

Articul. 5. Vtrum vivens secundūm omnes partēs
augeatur ? 286

Articul. 6. Vtrum dictæ potentiae animae vegetabi-
lis realiter ab invicem distinguantur ?
pag. 289

Q V A E S T I O X.

*De Anima sensitiva , sensibusque externis in commu-
ni sumptis .* 294

Articul. 1. Vtrum sensus sint potentiae passivæ , 8
in quo consistat sensatio ? ibid.

Articul. 2. Vtrum sensibile rectè dividatur in com-
mune, proprium, & per accidens. 302

Vtrum circa proprium sensibile in
su proprio error , & deceptio contri-
gere possit . 306

Articul. Vtrum sint necessariæ specie[s] sensibiles
ad actum sentiendi distin tæ à quali-
tibus sensibilibus ; & an p[er] se senti
percipientur . 309

Articul. 5. Vtrum sensibile positum supra n[on] solum
ten-

sensationem efficiat ; & an omni-
sus externi egeant medio .

318

Articul. 6. Vtrum sensibile vehemens , seu excel-
lens sensum corruptat .

Articul. 7. Vtrum sensus externi sint tantum quin-
que .

328

Q V Æ S T I O X I .

De Visu , seu Potentia Visiva .

322

Articul. 1. De objecto visus , seu potentiæ visivæ .

334

Caput 1. De natura luminis ac lucis .

ibid.

Caput 2. De natura coloris , & illius esse : & quo-
modo à lumine , seu luce distingua-
tur ; sitque objectum visus simul cum
illo .

340

Caput 3. Quomodo lumen requiratur ut aliquid
sit actu visibile .

345

Caput 4. De colorum diversoru generatione .

352

Articul. 2. De Organo ipsius visus .

356

Articul. 3. De actu & modo videndi , an scilicet vi-
sio fiat per radiorum emissionem .

360

Articul. 4. An id quod per reflexionem videtur in
speculo , sit species , vel imago objec-
ti , aut objectum ipsum , vel utrum-
que .

368

Q V Æ S T I O X I I .

De Auditu seu Potentia Auditiva .

371

Articul. 1. De objecto Auditus .

372

Caput 1. Quid sit sonus , & quomodo gene-
ratur .

ibid.

Caput 2. In quo sit sonus , & quid sit subiectum
immutatum seu alteratum ab i-

376

Caput 3. Quomodo sonus ad auditum occurritur ,
& an in omni parte —— sive ad
ipsum generetur .

379

Caput 4. De modo quo generatur Echo .

Ar-

| | |
|--|------|
| <i>Articul.</i> 2. De medio audiendi, & organo Auditus . | 386 |
| pag. | |
| <i>Articul.</i> 3. De voce, ac illius differentiis . | 3. 9 |

Q V Æ S T I O X I I I.

| | |
|---|-------------|
| <i>De Odoratu, Gustu, & Tactu.</i> | 393 |
| <i>Articul.</i> 1. De odoratu . | <i>ibid</i> |
| <i>Caput</i> 1. De natura odoris, ipsiusque generatione . | <i>ibid</i> |
| ac differentiis . | |
| <i>Caput</i> 2. De medio olfaciendi, & organo ipsius olfactus . | 398 |
| <i>Articul.</i> 2. De Gustu . | 402 |
| <i>Articul.</i> 3. De Tactu . | 407 |

Q V Æ S T I O X I V.

| | |
|--|-------------|
| <i>De Sensibus Internis.</i> | 411 |
| <i>Articul.</i> 1. De sensu communi . | <i>ibid</i> |
| <i>Caput</i> 1. Detur ne sensus communis , & quid sit | |
| pag. | <i>ibid</i> |
| <i>Caput</i> 2. De objecto sensus communis , & modo attingendi illud . | 417 |
| <i>Articul.</i> 2. De imaginativa . | 421 |
| <i>Articul.</i> 3. De Æstimativa . | 426 |
| <i>Articul.</i> 4. De Memoria, & Reminiscentia . | 429 |
| <i>Artic.</i> ult. In quo quædam de sensibus internis in communi explicantur . | 430 |

Q V Æ S T I O X V.

| | |
|--|-------------|
| <i>De Passionibus Anima Sensitivæ , scilicet Somno ,</i> | |
| <i>& Somniis.</i> | |
| <i>Articul.</i> 1. De Somno, & Vigilia . | <i>ibid</i> |
| <i>Articul.</i> 2. De Somniis . | 450 |



LIBER TERTIUS

DE ANIMA.

QVÆSTIO XVI.

- De Anima Rationali, seu Intellectiva secundum se,
& illius potentias in communi.* 46c
- Articul. 1. Vtrum Anima Rationalis, seu Intellectiva sit per se subsistens, & spiritualis,
seu incorporea.* 46r
- Articul. 2. Vtrum Anima Rationalis sit vera corporis forma.* 473
- Articul. 3. Vtrum anima rationalis sit immortalis,
vel an simul cum corpore corruptatur.* 473
- Caput 1. Statuitur Animam rationalem esse immortalē & ex consensu omnium nationum probatur.* 477
pag. ibid.
- Caput 2. Aliis rationibus eadē veritas stabilitur.* 500
pag.
- Caput 3. Solvuntur Argumenta Contraria.* 505
- Articul. 4. Vtrum omnes Animæ rationales sint in perfectione æquales* 509

QVÆSTIO XVII.

- De Potentias Animæ Rationalis.* 517
- Articul. 1. Quot sint potentiae Animæ Intellectivæ,
& quomodo ab invicem distinguantur.* ibid.
- Articul. 1. Quomodo potentiae Animæ Rationalis
ab invicem distinguantur.* 524

QVÆSTIO XVIII.

- De Intellectu.* 527
- Articul. 1. Vtrum praeter intellectum possibiliter sit
admittendus intellectus. Atque est intellectus
realiter distinctus, & quid sit uterque.* 525
pag.

- Articul. 2.* An, & quomodo Intellectus Agens abstrahat species intelligibiles à phantasmibus, & agat in ipsum Intellectum possibilem. 38
- Articul. 3.* De Intellectu speculativo, & practico, & differentia eorum inter se. 547
- Articul. 4.* Vtrum in Intellectu Praxis essentialiter dari queat. 551
- Caput 1.* Quid sit Praxis declaratur, sensus tituli explicatur, & referuntur Doctorum sententiae. ibid.
- Caput 2.* Solvuntur Argumenta Contraria. 565
- Articul. 5.* De Synderesi, Conscientia, Ratione & Mente. 567

Q V Æ S T I O X I X.

- De Intellectione, & speciebus intelligibilius.* 573
- Articul. 1.* Vtrum sit necesse ponere species intelligibiles in Intellectu, ut ipse intelligatur in actu, & quomodo ipsæ cum Intellectu concurrant ad productionem actus intelligendi. ibid.
- Articul. 2.* In quo explicatur quomodo ex Intellectu & re intellecta fiat unum. 587
- Articul. 3.* De verbo mentis, seu specie expressa. 592
- Articul. 4.* Quid sit Intellectio, & quomodo à dictione, & verbo distinguitur. 603
- Articul. 5.* Vtrum per omnem intellectionem creatam producatur verbum. 614

Q V Æ S T I O X X.

- De ipso Intellegibili, seu objecto Intellectus.* 593
- Articul. 1.* Quodnam sit objectum adæquitum Intellectus possibilis, & quo præto Deus clarè visus intra illud cont'natur. ibid.
- Articul. 2.* Vtrum singulare materiale pro loco statu directe à nobis cognosci possit. 631

A

Articul. 3. Vtrum possit Intellectus plura plarium intelligere, 637

Q V A E S T I O V L T I M A
De Appetitu Sensitivo, & Rationali, seu Voluntate.
pag. 642

Articul. 1. Vtrum Appetitus Sensitivus realiter distinguatur à Rationali, & quottippe ibid.

Articul. 2. De Appetitu Rationali, seu Voluntate, & ipsius objecto. 648

Articul. 3. De actibus ipsius Voluntatis. 652

Articul. 4. De libero Voluntatis arbitrio. 661

Articul. 5. Vtrum voluntas sit nobilior potentia quam Intellectus. 669

